
CHRISTIAN ERNST GRAF ZU STOLBERG

DE VERA
RERUM SACRARUM
NOTITIA,

Qua & quousque illa in hominem Irregenitum cadat?

DISQVISITIO,

IN QUA SENTENTIA AFFIRMATIVA EX GENUINIS S. LITERARUM FUNDAMENTIS ADSTRUITUR & CUM AB IMPACTO EIDEM PELAGIANISMO, TUM AB OBJECTIONIBUS ALIIS DILUCIDE DEFENDITUR.

OMNIA HÆC

EX DOCTRINA DE GRADIBUS & ORDINE GRATIÆ CONVERTENTIS AD OCULUM DILUCIDANTUR.

CUM CONSENSU R. FAC. THEOL. ROSTOCHIENSIS.

AUCTORE

JOANNE FECHTIO, D.

P. P. CONSIST. DUC. CONSILIARIO ET DISTR. ROSTOCH. SUPERINT. FAC. THEOL. SENIORE.

ADJICIUNTUR INDICES NECESSARII.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR

CUM PRIVILEGIO REG. POLON. & ELECTOR. SAXON.



FÜRSTLICH STOLBERG. BIBLIOTHEK WERNIGERODE

ROSTOCHII & LIPSIÆ,

Apud JOANN. HEINR. RUSSWORMIUM, CIↃ IↃCCXXVIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119425-p0005-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119425-p0006-7



VIRO

MAGNIFICO, SUMME REV. & EXCELLENTISSIMO,

DN. MICHAELI FOFRTSCHIO,

DOCTORI ET PROFESSORI THEOLOGO IN ACADEMIA JENENSI PRIMARIO, FAC. THEOL. SENIORI ET HODIE

ACADEMIÆ

RECTORI,

Per maxima in Ecclesiam merita dudum celebratissimo,

S. P. P.

JO. FECHT, D.

ADfero nunc ad Te alteras ejus doctrinæ vindicias, cujus priores amica manu uno abhinc anno a me susceptisti, quin & scripta ad me Dissertatione Epistolica sententiam à me defensam Tuo suffragio comprobasti.

probasti. Ut Tibi, qui animi Tui sensa intra summæ modestiæ limites aperueras, eorum tamen defensio instituenda est, quæ si Tibi inter tot occupationes, quibus in administratione gubernationis Academicæ distringeris, incommodior accidit, occasio ego quidem, ut laborem hunc subires, Tibi extiti, sed quam non tam mei causa quam veritati defendendæ non illubenter devovebis: ita & mihi, adversarium nec ambienti, nec optanti, necessitas, ut & mea tuerer, imposita fuit. Id genus scripta, quibus difficultates nonnullæ, in gravioribus fidei dogmatibus obortæ, evolvuntur discutiunturque, offensam apud æquos rerum æstimatores, si non sint omnis religionis empæctæ, parere non possunt, dummodo intra eos Christianæ moderationis fines subsistant, qui exemplo bonorum piorumque in Ecclesia doctorum,

ctorum. ipsiusque adeo Christi & Apostolorum, sunt consecrati. Nec enim inficias ire licet, modum nonnunquam & modestiæ terminos migrari, etiam ab iis scribendi quodam calore, qui nihil minus quam committere volebant excessum. Sunt vero, qui tanto intemperantiæ æstu scribentes agitantur, ut genio suo satisfactum haud esse arbitrentur, nisi in adversarium suum, quodcunque curiose excogitari potest maledictorum genus, ejaculentur, ut & veterum convitiandi modorum pertœsi novis inveniendis omnes ingenii sui nervos intendant. Qui restaurandæ pietati ex aliquanto tempore operam dare visi sunt, id scribendi cacœthes gravi subinde censura perstringere non dubitarunt. Nunc & ipsorummet professioni sub ipso pietatis nomine illud sese insinuat, majori, ut ita lo-

quar, furore, quam quem ullus unquam vel è Pontificiorum vel quarumlibet aliarum sectarum immanitate vibrare in nos potuerat. Sed ideo tamen deserendum non est veritatis vel investigandæ studium, vel defendendæ. Eorum potius exemplorum fœditas, ut in officio nos contineamus, omnique acerbitate scriptio nostra careat, admonere nos apta est & inflammare. Quam vero huic ad Te alloquio præfationem subjiciam, ne altercandi mihi libido, in re ad Christianæ vitæ emendationem, ut ajunt, parum fructuosa, exprobretur, quantum in me est, efficiet. Nosti, ipsum nomen meum pugnas & digladiationes in ore gerere, frequentemque malevolis obtrectandi mihi præbere materiam. Neque hunc lusum ipsis, si in re levicula frigidaque certamen cum quoquam ineam, invideo. Ut enim in re seria ludere

ludere non licet, ita in religionis negotio & argumento ad animarum ſalutem pertinente, vanis conflictationibus depugnare haud fas eſt. Ne vero & bonorum virorum animi, qui materiæ, nondum ex inſtituto hactenus excuſſæ, indolem haud penetrant, in illorum partes raperentur, danda mihi fuerat opera. Quod in ipſa opuſculi fronte omnium commodiſſime fieri poſſe, ut legentium animi præjudiciis minus occuparentur, non abs re exiſtimavi. De cætero, ut rem quidem unam agimus, ita non deeſt tamen utrique diverſa in re una de diverſis diſſerendi materiis, ceu & diverſi ſunt, & diverſis nonnunquam addicti opinionibus, qui ſeſe nobis neque illecti neque rogati oppoſuerunt. Et mea quidem tractatio in diffuſiorem ſeſe operam extendit, quia ut intra breviores me lineas continerem, ipſa longior

antago-

antagoniſtæ mei diſſertatio effecit. Ita Optime FOERTSCHI, denuo ſingulari fato in hoc conflictu conjungimur, qui antehac per complurimos annos in vario functionum genere, nullo unquam inter nos verbo colliſi, juncti fueramus. Non tamen, quod nunc ſentis, docesque, e mea hauſiſti diſciplina, ſed jam undecim abhinc annis in Tubingenſi Academia, Theologorum eo loco conſenſu, auditoribus Tuis tradidiſti. Conſervet Te DEUS, qui in florente ætate conſtitutus me defectum annis viribusque mox ad cœleſtia præmittes, ut pro Eccleſiæ ſalute innumeros adhuc annos excubare & ingenii Tui fœtus, qui non poſſunt non omnibus numeris partibusque eſſe exacti, publico communicare queas. Scr. Roſtochii, Ipſis Novembris Calendis MDCCX.

PRÆFA-

PRÆFATIO
AVCTORIS
AD
BENEVOLVM HVJVS TRACTATIONIS LECTOREM.

PRius quam hujus opuſculi lectionem aggrediaris, de quibusdam monendus mihi neceſſario es, Candide Lector. Et quidem revocandum Tibi denuò in memoriam eſt, quod in introitu hujus ſcripti fuſius memoravi, non me eſſe hujus, quod cum Theologo adverſæ partis mihi intercedit, de re ſacra litigii auctorem. Quippe qui doctrinam in eodem comprehenſam jam quatuordecim abhinc annis in innoxia *de Ordine Gratiæ* Diſputatione, nemini hominum me opponens, propoſui; & ſeptennio poſt alia exercitatione, anonymo quidem, ſed, ceu omnia arguunt, Indifferenti religioni addicto, oppoſita defendi. Quam cum Theologus citra ullam vel invitationem vel provocationem meam, tractatu potius quam diſputatione & ſtylo quidem ſub Reſpondentis tanquam auctoris nomine perquam immodeſto, oppugnaverit, quis auctor hujus rixæ eſt niſi Theologus, me adoriens? Et quid æquius, jurique etiam naturæ convenientius

est, quam me contra aggressorem defendi? Si quis igitur nostrum litium contentionumque infamia notandus erit, saltem de me æquius ferendum fuerit judicium, qui intra defensionis, ut vocant, terminos constitutus, eum promerebor ab æquitate favorem, quem & civiles leges id genus litigantibus admetiuntur.

Deinde cum ejusmodi scholarum controversiis primum quasi à quolibet telum aridæ exuccæque disceptationis intorqueatur; nec enim magis pervulgatum quidquam est, quam Academiarum Theologis, quamprimum de quæstione una alteraque contenditur, inutile altercandi studium plenis quasi buccis in os ingerere, eosque ad ea rractanda scribendaque ablegare, quæ ad avertendos à profano hujus seculi amore Christianorum animos & continendos intra moderationis & virtutum limites conducant. Cui enim alii rei altercationes istæ inserviant, quam ad distrahendos, rapiendosque in infesta odia cum doctorum ab invicem, tum ipsorum in Ecclesiis Christianorum animos? Ut qui antea amoris adhuc vinculo quasi conglutinati fuerint, misere dein distrahantur in partes & dum lites serantur ex litibus, fides tandem ipsa in periculum adducatur. Unde & fiat, ut qui in Academiis studiorum gratia versentur, neque quicquam aliud vel videant, vel audiant, nisi ejusmodi contentionum serras inter doctores reciprocari, eandem ab illis artem hauriant, itaque alte pectoribus suis imprimant, ut in hoc solo veram Theologiam consistere, à primis illico studiorum sacrorum unguiculis reddantur persuasi.

Jam quæ magis pia, magisque in DEum religiosa possit esse doctrina, quam quæ tradit, solam eam DEI rerumque sacrarum notitiam veræ notitiæ nomine dignam

dignam esse, quæ notitiam DEI cum pietate in DEum ita arcte conjungat copuletque, ut illa, quæ hac destituitur, notitia larva potius & spectrum notitiæ, quam veri Divinique nominis notitia dici mereatur. Quo magis enim propiusque ad DEum quidpiam, veritatis omnis fontem primamque originem accedit, eo veritatis nomine dignius esse, quilibet ipso pietatis sensu commotus facile judicaverit.

Præterea negari non posse, doctrinam illam de vera irregenitorum circa res sacras notitia fructus progenerare tum in vita civili, tum in Ministerio Ecclesiastico, tum in communi Christianorum officio, vere pernicioſos, nec unquam ullis satis lacrymis deplorandos. Si enim ista placita juventuti studiosæ, ad vitæ luxuriam & mundanam carnis securitatem ipsa etiam ætatis indolepronæ, tanta licentia instillentur, fieri non posse, quin tenera in vitium flecti pectora id cupidissime apprehendant, quod pravis cupiditatibus frena laxet & peccandi submministret materiam. Quod si verissima solidissimaque scientia Theologica cum corruptis moribus & solutioris vitæ consuetudine æque ac cum animi probitate & seria in DEum pietate consistere possit, quid opus sit, ut virtutis ineat semitam, qui Theologus fieri cupiat? Quo nequior petulantiorque Theologiæ studiosus, eò verior subtiliorque Theologus. Ista se semina rectâ dein via in Ministerii Ecclesiastici agrum diffundunt & quales fuerant sacri officii candidati, tales & redduntur Ecclesiarum pastores. Suam cutem, sua commoda, non gregis sibi commissi salutem curantes. Quid enim opus est, cum æque verissimus sit Theologus, qui est impius lurco, ac qui devotus est

DEI servus? Ita Ecclesiæ replentur pastoribus, libidini, crapulæ, habendi cupiditati, socordiæ, dominandi furori dediti, oves deglutientes potius quam pascentes. Istud cacoëthes postremo in universum se Reip. corpus insinuat, ut quilibet, sepositâ interiore animi pietate, videri potius, quod esse debebat, quam esse vel desideret, vel adlaboret, immo in profanam omnis impietatis, ipsiusque adeo atheismi licentiam degeneret.

Atque ita, qui diversam à nobis amplectuntur, sententiam, declamant. Verum enim vero recte dico: declamant. Aliud enim est, oratoriis figuris rem, quam verosimilem reddere aliis adnitimur, exagerare, aliud veritatem simplicem nudamque, prout in se est, Logico more & citra figurarum involucra repræsentare. Quum Herodis ingenium callidum, fallax, veteratorium, ex meris fraudibus & mendaciis consutum describere vellet Christus, vulpem eundem vocat, qui extra figuram nihil minus erat quam vulpes, sed verissimus homo. Quum Pharisæorum tinctam variorum errorum veneno doctrinam & varios lubricosque emungendi seducendique alios tractus delineare institueret Christus, serpentes eosdem vocat & aspides. Matth. XXIII. 33. qui detracta figuræ larva nihil minus erant quam tortu multiplicabili aspides, sed veri inque Mosis cathedra sedentes doctores. Matth. XXIII. 2. Plane ad eundem modum quum Jacobus, Apostolus, notitiam rerum sacrarum, à primis Christianis avide quidem haustam, sed variis inter sese litigiis, invidia, ob donorum in ipsis diversitatem, fastu, ob scientiæ præ aliis excellentiam, hypocrisi, ob ementitam externo fulgore pietatem, defœdatam, depingere oratoria gravitate vellet, omnem eruditionem ipsorum traducit tanquam terrestrem, humanam,

manam, immo Diabolicam. Jac. III. 15. quæ tamen exuto figuræ umbraculo vera erat σοφία καὶ ἐπιστήμη ἐν ἀνθρώποις, Jac. III. 13. Ita nihil solennius est, quam rem unam eandemque partim ob abusus ei adhærentes, tanquam tetram & abominandam oratoriis invectivis perstringere, partim vero ob rei ipsius in se bonitatem laudare & in cœlum tollere. Ceu cap. de statu controversiæ luculenter ostendimus §. III.

Si quis vero in simili argumento ineptire velit & defendere, non esse veram agriculturam, vel laborem quemcunque alium, nisi qui precibus ad DEum Patrem per Christum directis perageretur, idque ex iisdem fundamentis, quibus docetur, notitiam rerum sacrarum non esse veram, nisi cum praxi notitiæ copulatam; quia, sicut Divina severissima voluntas, ne unquam notitia sacrorum esset inanis, sed fructibus suis perpetuo gravida, ordinaverit, ita illa eadem prorsus severitate voluerit, ne ulla agricultura laborque ullus sine directo ad DEum animo, fusisque ad illum precibus perficeretur; annon momentum suæ opinionis eodem prorsus modo, quo partis adversæ defensores, extollere poterit? Si non minus vere colit agrum & manuaria quælibet opera peragit, qui sine ullo vel precum vel devotæ ad Deum mentis interventu illa suscipit, quam qui, quicquid facit sive verbis sive opere, id facit in nomine JEsu, DEoque & Patri gratias agit per Christum, quid opus est operosa gratiarum actione & precum exercitio? Quo nequior agricola, eo verior sæpe agricultura. Ista si semel obtinuerit persuasio, quid aliud sequi potest, quam supinus orationis omnis, sive surgamus è lecto, sive in quocunque vitæ genere & functione negotia nobis expedienda sint, sive eamus cubitum, sive

edamus atque bibamus, contemptus? Quid enim iis opus est, si verissimus labor est, sive precibus eundem consecremus, sive preces omittamus? Vides, ovum ovo non esse similius, quam tuam, factam notitiæ irregenitorum veræ, quam hanc ipsam, factam orationis in omni negotio necessitati, objectionem.

Interea quærere liceat, cum ipse Antagonista praxin notitiæ ad notitiæ ipsius ESSENTIAM, ceu loquitur, pertinere existimet, ego vero ad effectum tantum ipsius, Divino tamen & immutabili mandato requisitum, an doctrinam ideo nostram tam exitiosam esse judicet, ut PESTILENTISSIMA DOCTRINA ET IN ECCLESIA NOSTRA INTOLERABILIS appellari mereatur? Itemque nostra an partis adversæ doctrina vel magis ad pietatem inflammet, vel minus ei impedimentum injiciat? Hinc enim momentum alicujus doctrinæ vel maxime æstimari posse, nequaquam inficiabor. Edicat igitur: an fortiorem ad pietatem indat stimulum, si Christianis persuasero, pietatem ad ipsam notitiæ vere essentiam pertinere, quam si docuero, ex DEI voluntate & mandato ita alligatam esse pietatem notitiæ, ut nisi illa hanc indivulso nexu sequatur, homo æternæ damnationi obnoxius reddatur? An vero hoc posterius injiciat aliquod impedimentum pietati & quodnam illud sit & qua in re consistat? Aut si hoc edicere quis dubitaverit, an existimet, majus vinculum, ad pietatem inflammans, esse essentialem notitiæ cum pietate connexionem, quam connexionem mandati Divini cum pietate? An aliquid me magis & fortius obligare possit ad obsequendum quam Divina voluntas? An detur ullum aliud in re supernaturali obligandi vinculum, quam Divina voluntas? Et annon etiam re-

rum

rum supernaturalium connexio essentialis ultimo in voluntatem Divinam resolvatur, quæ res illas taliter in essentia connexas esse voluit? Hos nodos ante omnia solvat etiam ipse antagonista; id si facere nequiverit, confiteatur publice, non minus nostram doctrinam ad pietatem inflammare, quam suam. Interea tamen cogitet, Divinam voluntatem, quæ velit notitiam cum pietate connexam esse, extra omnem controversiam positam, essentialem vero connexionem cerebri humani commentum, ne quidem verisimilitudine qualicunque subnixum esse.

Nunc dispiciendum est, an itaque tam exigui momenti controversia hæc sit, ut de ea inter partes contendi neque necessarium sit, neque conducat? Et quidem in memoriam ante omnia revoco lectori, quanti rem ponderis esse judicaverit Antogonista meus, ut mihi vel centies improperaverit ob dissensum à se meum non Pelagianismum tantum, sed pulcerrima mutatione Pelagianismum subtiliorem, Pelagianismum crassissimum, Pelagianismum dominantem, Pelagianismum maxime detestandum, immo ut genio suo ad omnem cupiditatem suam satisfaceret, plusquam Pelagianismum, quem pestilentissimam vocat hæresin, in Ecclesia nostra intolerabilem, ob quam metuit Ecclesiæ nostræ, ne illa ob me brevi in præsentissimum periculum adducatur. Hæc omnia ipsius sunt Theologi verba. Qui vero nec primus sum, nec unus, qui in Ecclesia nostra præsentem doctrinam defendo, ceu testium pro hac veritate ex Suecia, Dania & Germania syllabus demonstrabit, qui velle quisquam potest, ut vel dissuadente ipso, qui in hoc argumento tanto in pretio est Theologo, *Augustino*, in imputatione hæreseos sim patiens? Poteram

ego

ego majori longe jure parti adversæ Pelagianismum oggerere, quæ per media merè naturalia, ex parte hominis, ad regenerationem deveniri contendit. Quicquid enim juxta eandem regenerationem antecedit & à Sp. S. per gratiam prævenientem & præparantem effici potuit, id ipsi nonnisi legale est & naturale, nihil verum, nihil spirituale, nihil supernaturale; sive vocetur motus, sive pulsus, sive notitia, sive amor, sive desiderium, sive propositum, sive assensus, sive pro veritate zelus. Et tamen adeo evidens est, auditum verbi generare notitiam, notitiam generare assensum & assensum generare fiduciam in Christum, ut ne quidem per naturam omnium rerum, fiduciam quandam in se continentium, alius processus esse possit; quod adeo omnium oculis expositum est, ut facilius sit negare, solem lucere, quam hoc ipsum vocare in dubium. Quo tamen non obstante Pelagianismum Theologo, nisi propria eundem interpellet conscientia, non objectabo, si forte ex ineluctabili hac difficultate sese extricaverit.

Ut igitur nemo bonus & incorrupto affectu judicans liticulas mihi, quas nunquam excitavi, quas primus mihi Theologus, quem adversarium mihi nunquam vel exoptavi vel provocavi, movit, aut bella scholæ inania, neque ad quidlibet conducentia objectet, æquum omnino justumque esse videtur. Quod si in quocunque hujus seculi negotio, cum vel inter amicos ipsos, nedum hostilem inter sese animum gerentes, colloquia quæcunque, sive jocosa illa fuerint, sive seria, sive aliquod in se momentum, sive exiguum, sive nullum contineant, orta aliqua æmulatiuncula, cum in jurgium deflectitur, immo convitium, alterque alterum vel scelus vocitaverit, vel ab eo animalculo quidpiam,

quod

quod latrat & mordet; quis est, rogo te, qui æquo id animo ferat, qui taceat, qui à regerendo sibi temperet, si vel justitiæ ipsius sit sacerdos, vel Theologus, immo vel Pietista? Ego verò, cui convitium in Theologia longè deterrimum & contumeliosissimum in totius orbis theatro quasi in os intruditur, instar muti sileam, justum animi dolorem vultu celem & taciturnitate tegam? Quis verò non confiteri me eo ipso crimen dixerit? Quis mihi ubique terrarum non insultaverit? Qui famam de se contemnit, sicarius est propriæ existimationis, neque dignus est, ut inter honestos numeretur viros.

Quando vero de controversiæ hujus momento, non ex judicio adversarii nostri, sed ex re ipsa & insita ipsi argumento indole judicandum est, ante omnia doctrina nostra, ut recte integreque intelligatur, perspicue & à terminis scholarum liberata, ante oculos ponenda est. Nec enim quæstio illa: an notitia rerum sacrarum in homine irregenito, ante completam conversionem, sit vera, seu veri nominis notitia, rem omnem conficit, aut sufficientem lucem materiæ de controversiæ momento adfundit. Nonnulli enim nudam hanc quæstionem intuentes conciliari utramque sententiam posse arbitrati sunt, si sensum vocis: *Veri* Biblicum à vulgari distinguerent, Biblico loquendi modo solam regenitorum notitiam veram esse concedentes, nec tamen interea negantes, veritatem alia ratione notitiæ irregenitorum adjudicari posse. Sed ex iis, quæ postea dicemus, apparebit, hanc observationem, quæ nec ipsa sufficienti satis fundamento nititur, sententiarum compositioni parum inservire posse. Quomodo etiam vox veri in communi loquendi consuetudine diversimode capiatur

& nonnunquam per figuram id notet, quod non tantum in se verum est, sed in effectu quoque veritatem causæ suæ demonstrat, non in capite tantum de vero controversiæ statu, sed ex profanis quoque scriptoribus capite ultimo §. XL. uberrime est demonstratum. Quæ vero nec ipsa vel ad judicium de controversiæ momento formandum, vel ad sententias oppositas secum fronte pugnantes mitigandas, aut redigendas in concordiam quicquam inservire possunt.

Quare id inter utramque partem quæritur: An Spiritus S. hominem irregenitum conversurus hoc ordine procedat, ut per gratiam, ceu jam veteribus vocabatur, prævenientem, excitantem, præparantem, operantem, paulatim & pedetentim unum gradum post alterum, nisi ei resistatur, ita producat, ut primo hominem adducat ad audiendum verbum Divinum, mox ei amorem & venerationem erga verbum, tanquam ab ipso DEO proveniens, tum vero desiderium & appetitum plura audiendi & verum Scripturarum sensum indagandi & scrutandi, porro ea potissimum sciendi, quæ ad miseriam ipsius cognoscendam & salutem suam in Christo quærendam faciunt, quæque articuli fidei ideo appellantur, ingeneret? Et an his obtentis, per acquisitam hanc notitiam, tanquam per medium verum & causale, assensum in animo hominis, primo infirmiorem, deinde certum & firmum, denique Divina fide indubitatum, qualis ad fidem seu fiduciam in meritum Christi ponendam necessario requiritur, efficiat? Et an hæc universa fidem justificantem, tanquam effectum suum, præcedant? Et per nostram quidem sententiam ad hæc omnia affirmative respondetur, esse nimirum auditum verbi, ejus amorem, scrutinium, notitiam

titiam articulorum fidei, assensum iisdem præbitum, firmum & indubitatum, jam ante conceptam fidem, veriſſimos effectus gratiæ Spiritus Sancti, veramque notitiam, quippe â Spiritu S. hunc ipsum in finem in irregenito effectam, ut per eandem assensum & per assensum ipsam fidem concipere possit. Cum vero fides concepta quidem & per peccatum mortale iterum amissa est, talis homo lapsus & impius non statim omnia ista amittit, sed & notitiam & plerumque etiam assensum retinet, quæ in illo perpetua quasi sunt campana Spiritus Sancti, qua eundem ad pœnitentiam, statumque priorem invitat, quam invitationem ipse quoque lapsus per reminiscentiam & compunctionem, unus magis, unus minus sentit. Nec enim Spiritus Sanctus ideo, quia ex corde hominis lapsi, quod antea inhabitabat, discessit, hominem impium plane deserit, sed stat ante ostium cordis & perpetuo pulsat, quippe in convertendo homine etiam impiissimo nunquam defatigatur Ap. III. 20. Atque hæc est doctrina nostra de notitia rerum sacrarum in homine irregenito, per specialem enumerationem omnium graduum gratiæ, à Spiritu S. in conversione hominis irregeniti observari solitorum, dilucidata. Sine qua dilucidatione impossibile est, aut sciri, quid inter nos disputetur, aut judicium de momento controversiæ ferri.

Majorem adhuc lucem huic rei conciliabit recensio doctrinæ nobis oppositæ, quantum quidem illa ex abstrusiore eandem proponendi modo intelligi potest. Docet igitur pars adversa, quamquam Spiritus Sanctus per gratiam prævenientem & præparantem operari incipiat in homine irregenito, effectum tamen actionis suæ verum, supernaturalem & spiritualem ob irregeniti

hominis indolem obtinere non posse. Ut enim aliquid verum & vere spirituale sit, requiri fidem. Quæ quamdiu absit, verum & spirituale nihil omnino in homine esse posse. Non igitur dari in homine ante completam regenerationem vel veram notitiam, vel verum erga DEum amorem, vel verum salutis desiderium, vel verum, nedum Divinitus certum assensum. Quod asserere horrendum foret. Si vero sit in homine ante completam regenerationem aliquis motus, aliqua compunctio, aliquis amor DEI, aliqua sacrorum notitia & qualiscunque assensus, si vel maxime sint â Spiritu sancto, tamen non esse vere talia, veram notitiam, verum assensum, ex Evangelica spiritus Sancti gratia ortum, sed mere naturalem & legalem, mortem adferentem & damnantem. Quod si aliqua sit ante regenerationem in homine irregenito vera notitia, (quod tamen rotunde profiteri semper refugiunt) eam tamen non retineri, quamprimum accedat resistentia oblationi fidei opposita, sed illico aboleri, disperdi, perimi & in mere naturalem converti. Omnium minime in homine lapso & impio ullam veri nominis notitiam remanere, sed illam à primo statim lapsus momento illico evanescere. Atqui ita sese habet doctrina partis adversæ.

Quæ duæ sententiæ, hac cum dilucidatione propositæ, si vel leviter animo imprimantur, vehementer dubito, utrum quisquam dicturus sit, easdem in reipsa convenire, dissentire tantum in verbis, aut liticulam solum inter eas scholasticam intercedere. Ceu forte nonnulli persuasi sunt, qui ipsius argumenti recessus non satis penetrarunt & quibus forte nec occasio fuit, utriusque partis scripta paulo curatius perlustrandi.

Ego vero lectori in animum nunc revoco latentes

tes in nostra quidem doctrina immensas & ineffabiles Divini amoris & erga peccatores quoslibet, etiam sceleratissimos, misericordiæ divitias. Grande amoris Divini pignus est, quod DEUS Pater totius generis humani misertus viam ipsi ad salutem non tantum aperuit, sed media etiam, quæ quilibet acceptare posset, si ordini se Divino submitteret, ad eandem perveniendi ordinavit, Grande amoris Divini pignus est, quod Filius Dei nostri causa humanam induit carnem, nosque æternæ damnationi non tantum eripuit, sed sufficientibus nos mediis, quæ, si ordini nos Divino submitteremus, apprehendere facillima opera possumus, instruxit. Grande amoris Divini pignus est, quod Spiritus Sanctus ad beneficia, nobis à DEO Patre oblata & à Filio proprio sanguine parta, non tantum vocat, sed media etiam suppeditat, quibus ad fidem in Flium adduci & æternæ salutis participes fieri possumus. Talia fidem consequendi media sunt: auditus verbi, scrutinium verbi, amor verbi, notitia verbi, assensus verbo adhibitus. Quæ nisi a supernaturali Sp. S. virtute in hominem irregenitum influerent, neque fidem neque salutem procurare possent. Nec indignum Spiritu Sancto est, dona illius effundi & recipi ab homine indigno. Nam DEus Pater omnes bonitatis suæ thesauros, vitam, valetudinem, robur, honores, divitias, provincias, regna, imperia, in flagitiosissimos quosvis homines effundit, & hoc indignum DEO non est, sed ei gloriosum. Qui itaque Spiritus Sancti gloriæ detraheret, si is sua sibi propria dona in indignissimos impiissimosque nebulones erogat? Filius DEI proprium sanguinem pro peccantibus in Spiritum S. eumque blasphemantibus, ô impietatem inauditam! effundit. Is

idem carnem ſuam propriam & ſanguinem DEI proprium in S. Euchariſtia in impuriſſimos teterrimosque atheos DEIque empæctas diſpenſat. Hocne gloriam benignitatis & gratiæ ejus augeat potius, quam diminuat & quando Spiritus Sanctus dona ſibi propria in irregenitos & impios effundit, id gloriam ejus diminuat potius quam augeat? Apage ejusmodi cogitationes, ſuco pietatis oblitas, nucleo caſſas!

E contra quid in adverſæ partis doctrina eſt, quod amorem ei & æſtimationem conciliare poſſit? Operationes omnes Spiritus Sancti, ſi vel decem vel triginta annos, immo per totam vitam durent, ne quidem idoneæ ſunt, ut vel miculam veræ cognitionis producant. Quem uſum itaque habent, & quid efficiunt? Omnes ad pacti tantum legalis maledictionem pertinent, ceu loquitur Theologus, proficiſcuntur ex ſpiritu timoris, non ex potentiæ Spiritu, qui pacti Evangelici eſt. Quæ igitur ſpes poteſt eſſe irregenitis, miſeris & deſperabundis? Fidem comparare ſibi volunt & tamen, quamtumlibet operante & laborante Spiritu Sancto, illi non ſunt capaces & idonei vel unicum verum medium fidei recipiendi. Cur? Sunt enim ſub lege maledicente, non ſub Evangelio, media fidei acquirendæ, ita ut accipi poſſint, ſuggerente. Expectandum igitur eſt homini irregenito, quousque per Spiritus Sancti gratiam veram, non legalem, ſine omni medio poſitivo, & hactenus immediate, fides in ipſo exſuſcitetur. Apage doctrinam, ad deſperationem potius & vanum Enthuſiasmum, quam ad ſpem ſalutis deducentem!

Laudent igitur illi doctrinam ſuam à pietatis, quam promoveat, ſtudio, nobis licebit in noſtra prædicare

dicare eminentem Divinæ bonitatis gloriam, qua se Spiritus Sanctus non minus ac Pater & Filius ad homines etiam impiissimos demittit, iisque dona sua dispensat. Quo ipso illos ad pietatem fidei cum charitate conjunctæ efficacius longe, quam per mille vincula legalia excitat & pertrahit. An enim Evangelii virtus infirmior est virtute legis? Annon vivum est verbum Divinum, ad quod primo omnium à Spiritus Sancti gratia præveniente adducuntur irregeniti & efficax & penetrantius quolibet gladio bicipiti, pertingens usque ad separationem animæ & Spiritus, medullarum & ossium? Quod si non uno momento producit fidem, tu consilium Divinum injustitiæ accusabis, aut imprudentiæ, quod in actionibus suis non præcipitanter, sed ordinate, ut prudentiæ Divinæ humanæque regula requirit, procedat? Quæso ne sapientiam Divinam in viis suis justifices, aut rationem ab ea requiras, dicasque: cur ita facis?

Quod si dixeris: sine fide impossibile esse placere DEO. Quomodo itaque irregeniti, quousque irregeniti sunt & fide destituuntur, quidquam agant faciantque, quod DEO gratum acceptumque esse possit? Præterea cum Spiritus Sanctus non habitet in anima, peccato subjecta, quomodo cum homine irregenito conversari, in illo operationes & negotia sua exercere, cum eo familiariter per verbum colloqui, amorem in illo DEI, desiderium salutis, reverentiam erga verbum, assensum summis & supra omnem rationem positis mysteriis præbendum, ipsam immotam & Divina fide subnixam verbi Divini certitudinem excitare potest, cum hæc universa, quia fide destituuntur, ne quidem bona sint, nedum vera. Perstare enim semper immotam illam

Apo-

Apostoli regulam: *quicquid non est ex fide, peccatum est.* Verum enim vero non ideo, quia placere sine fide eousque DEO non possumus, ut ad eum accedamus & gratiæ ab eo accipiamus mercedem, Hebr. XI. 6. nec in eo etiam placebimus, quando verbum Divinum audimus, cæteraque, quæ ei connexa sunt, facimus, antequam fidem habemus, eum in finem, ut fidem consequamur. *Quomodo in eum credent, de quo non audiverunt?* Rom. X. 14. Qui itaque placere DEO non possit, quod præcepit, ut faciamus, eum in finem, ut credere possimus? Conduco servum ad ministerium corpori meo præstandum. Solum obsequium est, ex quo & propter quod mihi placet. Si vero ut ad nutum mihi meum servire possit, variis animum scientiis, corpus habilitate & artibus instruit, hæcne placere mihi non possunt, quia solum obsequium mihi placet? Inter auditores meos, qui scholas meas frequentant, ii soli mihi placent, qui auditorium meum ingrediuntur, attentique assident & auscultant. Ergo mihi non placet, quod è lecto surgentes & è domibus suis exeuntes, instructi libris & atramento, per plateas progrediuntur & domum meam intrant. Cæterum non habitat Spiritus Sanctus in anima peccatis subjecta, stat tamen ante fores animæ talis & pulsat, Ap. III. 20. extenditque manus suas ad eam, ut apprehendat. Es. LXV. 2. laborat in ea, muro circumdat, fodit, secat, plantat, nihilque intermittit, ut fidei bonorumque operum fructum ferat. Es. V. 2. 3. Quid hoc aliud est, quam conversari cum anima peccatis subjecta & operationes in ea suas exercere, resecare ignorantiam, plantare notitiam & assensum, muro immotæ certitudinis circumdare? Quicquid autem ex fide non est, peccatum est, non in se,

sed

sed ex accidente infirmitatum & defectuum, rei adhærentium, quæ, cum abesse deberent, nisi tegantur perfectione meriti Christi, fide apprehensi, perfecti, Deoque ad salutem nobis largiendam placentis, operis locum sustinere non potest. Id vero de notitia, amore, desiderio, assensu, in homine irregenito tum demum dici potest, quando v. g. notitia in assensum & assensus in fiduciam progredi deberet, & non progreditur, tum enim peccatum esse non negatur; sed quando notitia & assensus in gradu adhuc sibi debito consistunt, quamquam respectu deficientis fidei & regenerationis imperfectionem respective involvant, hæc tamen æque culpabilis appellari aut peccatum esse non potest, ac culpabilis defectus non est, quando infans in utero materno nondum ambulare aut loqui potest, aut semen in gramen ascendens nondum spicas protrudit, aut scriniarius sellæ partem conficiens integram nondum absolvit, aut DEUS cœlum terramque creans, terram nondum animalibus, neque cœlum sideribus implevit. Quomodo opus esse poterat, ut defectus primi secundique gradus notitiæ & assensus merito Christi tegerentur, cum nihil culpabile in iis esset, neque quousque in gradu illo versarentur, major ab ipsis perfectio requiri possit, nisi DEUS ordinem suum mutare & uno momento perfectionem omnem infundere velit?

Sed præter illud Divinæ gloriæ in demonstrando summo & eminentissimo hominis peccatoris amore momentum & alia latent, quæ doctrinam nostram præ adversa commendare possunt. Quantum enim illud est homini peccatori ad regrediendum à peccatis suis incentivum, cum in memoriam sibi revocat collata à Sp. S. in se dona, quorum subsidio ad gratiam vel procedere

dere vel redire, quocunque tempore libuerit, sine negotio possit? Qui opificium manuarium addidicit, inque eo singularem sibi acquisivit perfectionem, ab aliis vero seductus, deserto artificio, malis artibus sibi suisque de sustentatione prospicit, ad paupertatem & miseriam redactus, ab ipsa interna & quasi sensuali opificii sui recordatione ad pristinam felicitatem suam exstimulatur. Cum ex adverso notitia in homine lapso ex vera & spirituali in larvatam & naturalem conversa tam eundem non possit admonere officii sui, ac non potest is, qui lingua solummodo Turcica utitur, salutariter adhortari eum, qui linguam tantum Germanorum intelligit. Quæ enim est habitudo inter intellectum linguæ Turcicæ ad Germanicam, ea habitudo quoque est inter notitiam rerum sacrarum naturalem & spiritualem. Reliquiæ vero illæ spiritualis notitiæ in homine lapso juxta internam indolem suam, qua & ipsæ spirituales sunt & Spiritum Sanctum sibi perpetuo præsentem & animantem habent, hominem lapsum per recordationem pristini beneficii pungunt, castigant, reprehendunt, vellicant, terrent, utque ad se redeat, incendunt atque inflammant. Immo nec hoc tantum, sed vires quoque supernaturales, quippe Spiritu gravidas, resurgendi ex lapsu adfundunt & suppeditant. Alloquuntur itaque lapsum cum angelo Ephesinæ Ecclesiæ: *memor esto, unde excideris, age pœnitentiam & prima opera fac.* Apoc. II. 5. Econtra nec id incognitum est homini lapso, si beneficium istud, concionatoris intra animum suum latentis, proterve spreverit, fieri non posse, quin eo majorem sibi attrahat damnationem. Quam enim horrendi judicii se reos faciant, qui *Spiritum gratiæ* (etiam prævenientis & præparantis) ἐνυβρίσαι, probro, contemtu, contumelia

melia proterve afficiunt, donorum nempe suorum, intra se repositorum, quo minus ea ulterius ad regenerationem usque proveherent, contemptores, id Paulus gravibus verbis repræsentat Hebr. X. 29. Quid vero e contrario est in doctrina adversa, quod vel guttulam solatii homini lapso, si sese erigere vellet, vel granulum terroris, si in obstinatione perseveret, vel spei, si naturalem suam notitiam consulat, adferre possit?

Atque hæc hactenus de momento præsentis controversiæ, quamque utilitatem ejus consideratio in vitam Christianam diffundat, ideò à me adducta sunt, ut non de argumento me leviculo, aut liticula otiosa contendere quibusdam videri queam. Hæc enim qui legere voluerint, aliter persuasum iri prorsus confido. Ne de eo quid dicam, quod nulla cœlestis veritatis particula, quantilla ea nobis visa fuerit, indigna videri nobis debeat, de qua è sacris disquiri, inque usum nostrum converti non licitum tantum sit, sed & fructuosum.

Materiam ipsam, ceu conspectus docet, ita tractavi, ut perpetuo oculos reflecterem ad gradus & ordinem gratiæ Divinæ, in conversione hominis occupatæ. Quippe sine hujus ordinis penitiori consideratione, quicquid de veritate notitiæ rerum sacrarum disputatur, non potest nisi confusionem & diversas apud Theologos loquendi rationes, quibus modo notitiam sacram in homine impio in cœlum extollunt, modo in infernum usque deprimunt, progenerare. Quare & ab initio adversarii mei, visa disputatione mea, qua controversiam de notitia irregenitorum *ex orthodoxa de gratiæ illuminantis ordine & gradibus doctrina*, ceu ipse Disputationis titulus exprimit, illustravi, conjecti in admirationem, conquesti sunt, statum me immutare &

ad rem seu subterfugium aliud me recipere. Sed qui duplici adversus me Disputatione, nunquam à me allectus, insurrexit, vanam esse hanc objectionem non ignoravit, sed causæ suæ, filum Disputationis meæ κατὰ πόδα sequendo, alia quacunque ratione mederi adlaboravit. Nec enim, nisi qui oculis orbatus est, haud viderit, hanc ipsam de ordine gratiæ doctrinam, penitus excussam, fundamentum decidendæ controversiæ unicum præbere. Cumque ordinis illius gradus actusque particulares, quo pacto conversionem hominis procuret Spiritus Sancti gratia, non ita enucleate hactenus à Theologis fuerint evoluti, cum contenti plerique fuerint nominare quosdam motuum pulsuumque sub generali gratiæ prævenientis, præparantis, excitantis, operantis, perficientis nomine actus, paulo pressius in actuum illorum connexionem & quid per illos in homine irregenito efficiatur, quoque pacto per illos tandem ad fiduciam in Christum concipiendam deveniatur, inquirere cœpi. Quæ res etiam Antagonistæ meo id negotii facessivit, ut sese, nonnisi inauditis hactenus in Ecclesia nostra hypothesibus, quales in ipso fine præsentis tractationis non exiguo numero nominavit, tueri potuerit. Qua vero vi, quoque robore, id in præsenti exercitatione uberrime, nisi omnino fallor, ostendi. De quo ut lector, si qui futurus est, eo promptius judicare possit, ut ipsa de ordine conversionis Disputatio, quæ forte in paucorum manibus est, huic tractationi præmitteretur, consultum judicavi.

Unicæ adhuc objectioni, priusquam huic præfationi imponamus finem, occurrendum esse videtur. Nihil est, quod majori vel specie vel robore nobis obvertitur, quam absoluta illa, ut ajunt, de ipsa hac contro-

troversia nostra tractatio celeberrimi Theologi, *D. Speneri*, sub Θεοδιδάξεως nomine jam ante XXX. annos in lucem edita. In hac enim præsens argumentum ita evisceratum & exhaustum, probatumque adeo invictis argumentis, non dari posse notitiam rerum sacrarum veram, quin sit cum pietate indissolubili nexu copulata, esse ajunt, oleum perdere & operam videatur, qui contra vel hiscere ausit. Negantem præterea sententiam, quod notitia hominis irregeniti non sit veri nominis notitia, Theologorum ex universo orbe Lutherano suffragiis ita communitam esse, ut qui post tot annos contrariæ doctrinæ semina in Ecclesiæ nostræ agrum inferre fuerit ausus, intempestivi novatoris nomen effugere nullo modo possit. Inprimis cum eo tempore, quo in lucem prodiit libellus, ne unus quidem Theologus auctori contradicere fuerit deprehensus.

Non potest hoc loco tam diffusi tractatus justum à me examen requiri, ne tamen libelli existimatio quemquam in diversa rapiat, liceat quasdam tantum judicii de eo nostri stricturas lectori repræsentare. Itaque I. ex iis, qui adducuntur, Theologis longe plurimi magna vi, magnoque rigore requirunt conjunctionem pietatis cum notitia sacra. Ita ex nostris hic Theologis *Simon Pauli*, in Methodo doctrinæ: *cum fons lucis & veræ sapientiæ DEUS sit, ante omnia in Theologiæ studioso requiritur pietas, quæ humanæ naturæ imbecillitatem agnoscens & juxta voluntatem ac verbum DEI consilia & actione gubernans, petit se Divinitus exaudiri. Nam de Theologiæ studioso apud Prophetam Esaiam scribitur: erunt omnes docti ex DEO. Et Salomo inquit: principium sapientiæ timor Domini. Quare doctrinæ cœlestis studiosus ardenter petat à DEO, ut per Spiritum*

S. lucem veræ doctrinæ in mente accendat, cerebrum, cor, manus, linguam, cogitationes, affectus, scriptionem, sermonem gubernet & discendi labores clementer fortunet & adjuvet, ut ipsi DEO sint grati & Ecclesiæ salutares. Cujusmodi & assertiones & admonitiones longe plurimæ adducuntur, quæ officium hominis, debitumque, in acquirenda vera sacrarum rerum notitia magna sæpe cum ἐμφάσει describunt urgentque. Id vero nemo hominum negat. Nam & eadem prorsus necessitate & obligationis vinculo ubique in sacris combinatur pietas cum institutis & actionibus quorumlibet hominum universis, inprimis cum prudentia gubernandæ reip. in Proverbiis passim & cum manuariis operibus quibuscunque. Col. III. 17. Quo vero debiti effectu cessante grave quidem peccatum contrahitur, veritas tamen ipsius actionis non tollitur. II. Necessarium Spiritus Sancti concursum ad recte solideque intelligendas res supernaturales & revelatas requirunt. Talis est illa Lutheri ipsius sententia, quæ præ ceteris omnibus commendatur: **ein Mensch, der nicht erleuchtet ist durch GOttes Geist, vernimmet nichts aus natürlicher Vernunfft von GOttes Willen oder Göttlichen Sachen. GOttes Reich und was darinnen ist, heisset darumb Geheimnüß, daß es geistlich und heimlich ist. Es ist unmöglich, daß ein natürlicher Mensch, der Fleisch und Blut ist, und nicht durch den Geist GOttes unterweiset ist, daß derselbige solte richten und verstehen die Ding, so GOtt angehören.** Quæ & aliæ complures ab utraque parte conceduntur. Quomodo enim sine superiori lumine intelligetur, quod rationem omnem supergreditur? Et quomodo converti posset irregenitus, nisi ante conversionem supernaturali Spiritus

tus

tus Sancti lumine, notitia nempe & assensu, cujus tamen effectus, ipsa regeneratio, frequenter intercipitur, colluſtraretur? Cum per naturalia media converti homo non possit. III. Si negant, hominis irregeniti notitiam, quæ est sine pietate, veram esse notitiam, ad veritatem fructuosam & effectu salutarem diserte restringunt. Ita *D. Calovius: non intelliguntur Scripturæ salutariter*, (SALUTARITER, inquit, ut salutem actu adferant) *nisi per Spiritum, à quo profectæ sunt, cujus gratia & illuminatio quotidianis impetranda est precibus.* Ita *D. Scherzerus*, pariter allegatus: *Sine speciali Spiritus Sancti illuminatione Scriptura salutariter & cum fructu*, (SALUTARITER, inquit, & CUM FRUCTU) *ut plenum verbo assensum præbeamus & fidem salvificam concipiamus, legi non potest. Homo* ψυχικὸς *spiritualia non potest intelligere. Non ex nobis ipsis, sed ex DEO* φωτισμὸν *salutaris* γνώσεως *in cordibus nostris producente, SALUTARITER cognoscendi.* Ita ipsa Concordiæ Formula: *Nisi Dominus ipse Doctoris & Præceptoris officio fungatur, nihil eorum, quæ ipsi grata, nobis autem & aliis SALUTARIA sunt, discemus.* Ita & alii. Et qui ejusmodi voces restringentes non addunt, revera ad horum exemplum subintelligunt. Quis autem hæc unquam in dubium revocat? IV. Quando negant, notitiam seu Theologiam cum pietate non conjunctam esse veram Theologiam, Theologiam in eminente significatu accipiunt. Ita *D. Rudrauffius* ibidem: *Non est in impio, qui mortaliter peccat & peccatus studiose indulget, PERFECTA Theologia, cui nihil desit eorum, quæ ad ejus integritatem & complementum requiruntur. Deest enim PRAXIS, deest operatio Theologiæ veræ conveniens, deest fides, pietas & alia ad veram & PERFECTAM*

Theologiam

Theologiam requisita. Equidem in impio tali manere potest vera notitia, (VERA, inquit, NOTITIA) *fides dogmatica, theorica & eximia scientia, at cum Theologia tota & PERFECTA sit practica, SALUS in impio non retinetur.* Ut cum Aristocratiam definio, illam reip. formam definio, cujus regimen ex optimis constat, quamquam Aristocratia esse non desinat, si non omnes sint optimi: Ita quoque per *Rudrauffium* Notitia hominis impii VERA est & eximia notitia, quamquam non eousque sit perfecta, ut salutem homini adferat, cum ipsi desit notitiæ effectus, praxis fidei. Prorsus ut notitia virtutum moralium, notitia juris civilis vel naturalis, notitia quarumlibet functionum & laborum quotidianorum, si in perfecto suo statu, ad quem notitia ordinata est, considerantur, includunt praxin virtutum, praxin justitiæ & praxin devotionis ad Deum directæ, ut tamen, quæ ab hac perfectione deviant, verarum ideò notitiarum nomen non amittant. Quis hæc in dubium revocet? V. Complurimi inter eos, qui adducuntur, practici sunt Theologi, qui ex ardore promovendæ, de qua agunt, notitiæ praxeos, in alterum extremum declinare videntur, notitiam praxeos expertem nimis criminando, qui ex mente potius sua, quam verbis intelligendi sunt. Quinimo si dicantur modum nonnunquam excessisse & Fanaticorum usi esse locutionibus, nihil dixero, quod à veritate alienum est. Quales sunt v. c. illæ: Das heilsahme Erkäntnüß GOttes entspringet aus der innwendigen Offenbahrung des Geistes. Was GOtt sey, kan ich seeliglich nicht aus Büchern ins Gehirn fassen, sondern der Heil. Geist muß es in dem Hertzen innwendig durch eine lebendige Berührung zeigen. Sonst ist es ein todtes Wissen, kein lebendiges

bendiges Wesen. Itemque: daß die Salbung uns alles lehret, nicht auswendig, sondern innwendig, nicht nach dem Buchstaben, sondern nach der Krafft. Denuo: Was Christus in der Seelen redet, ist ein himmlisches Wort, ein unaussprechliches Wort, dadurch in einem Augenblicke die erleuchtete Seele mehr empfindet, als ihr die gantze Welt lehren kan. Ihr innwendiger Lehrer lehret ohne Wort-Gereusch, und eröffnet ihr im Nu und Augenblick ein klares scheinbahres Erkäntnüß von unbegreifflichen vielen Sachen, das sie sonsten mit grosser Mühe nicht hätte können erlangen. Quæ & alia id genus benigna interpretatione opus habere, non facile quisquam negaverit. Ita nempe fieri solet, ut cum in fœditatem, rei adhærentem, graviter invehi, eamque detestari volumus, id, quod in re ipsa bonum & laudabile est, simul supprimere & eliminare velle videamur. Fœda est annexa notitiæ impietas, bona est interim veraque ipsa notitia, quæ si ad animum revocetur, à fœditate me liberare & pietati me asserere potest. Qua de re diximus Cap. I. §. III. VI. Ipse Theosophiæ auctor tantam tribuit homini impietati dedito sacrorum notitiam, quæ non potest non esse vera & à Spiritu S. profecta. Verba ejus sunt: die Erfahrung lieget an dem Tag, daß derjenigen sehr viel sind, dero gantzes Leben also geführet worden, daß klar seyn könte, daß sie zur Welt gehören und den Geist GOttes nicht empfangen haben, noch in sich kräfftig haben würcken lassen, die dennoch zu einer vortrefflichen erudition und Gelehrtheit gekommen seynd, daß sie über alle Oerter der Schrifft mit scharffem Verstand reden, predigen und lehren, die gantze analogiam des Glaubens und der Christlichen Articul, ohne

Untermischung von der Kirchen verworffener Irrthüme, fassen und anderen zeigen, davor aus der Schrifft streiten, die falschen Lehren wiederlegen, und also mündlich und schrifftlich sich ihres habitus oder Wissenschafft gebrauchen haben können. Si enim hæc notitia, qualis hoc loco describitur, non est vera notitia, definitio veritatis, à toto orbe recepta, immutanda & nova cudenda erit. Quomodo enim verius aliquid in Theologia esse potest, quam quod cum universa fidei analogia extra intellectum ex asse convenit? Et quomodo à Spiritu S. esse non potest, quod ex proprio ipsius verbo oritur & progeneratur? Potestne aliqua notitia non à Titio esse, quæ ex ore ipsius hauritur? Nec obest, quod finis notitiæ, qui est vitæ sanctitas, non impetretur. Nam magister, qui scholæ suæ alumnum æque ad honestatem, ac ad variarum rerum scientiam adducere debebat, si priori fine excidit, eruditio tamen, ab ipso acquisita, neque vera ideo esse desinit, neque à magistro profecta. Denique VII. in universa ista tractatione de vera sacrorum notitia graduum Divinæ gratiæ ne uno quidem verbo fit mentio. Non differitur, quo ordine rerum sacrarum notitiam in animo hominis vel irregeniti vel lapsi pedetentim plantet & producat Spiritus Sanctus; utrum hi notitiæ gradus sint à Spiritus Sancti gratia supernaturali effecti, an vero à natura & lege; annon medium sint, ex intentione Spiritus Sancti efficiendi assensum; annon assensus, adhuc in homine irregenito existens, verissima causa & medium sit efficiendi fidem; an notitia & assensus medium esse possint efficiendi fidem, ut tamen non sint vera & à Spiritus Sancti supernaturali gratia, sed à mera natura & lege, proveniens notitia & assensus;

sus; an notitia, in homine impio post lapsum superstes, sit à natura; an non obstante impietate à Spiritu S. annon hunc ipsum in finem in ipso relicta, ut miseriæ suæ eundem admonere & viam redeundi ad Christum ostendere debeat; annon abesse ab homine impio & irregenito gratia sua justificante & inhabitante Spiritus Sanctus & tamen simul adesse gratia sua revocante possit; annon intime conjunctus sit Spiritus Sanctus cum notitia hominis irregeniti & impii, quia notitia illa in reipsa nihil aliud est, quam verbum Divinum quoad sensum suum intra animum receptum, à quo Spiritus Sancti gratia, virtus & efficacia, nunquam absit; annon amor audiendi verbi Divini, annon desiderium salutis ex verbo conceptum, annon propositum à peccatis antea non agnitis desistendi ex eodem verbo haustum, dum adhuc sunt in homine irregenito & impio, sint a Spiritu Sancto, quia sunt ex verbo? Et si quæ sunt alia, in hoc de notitia hominis irregeniti argumento ita necessaria, ut sine illis rem ipsam vel intelligi vel decidi prorsus sit impossibile. Ut uno tantum id alteroque exemplo in singulis Theosophiæ istius lemmatibus ostendam, prima quæstio Speneriana hæc est: Ob aus natürlichen Kräfften durch menschlichen Fleiß, ohne sonderbahres Licht des Heil. Geistes, und also auch von denjenigen, die desselben Gnaden-Würckungen nicht fähig seynd, (irregenitos & impios intelligit) möge einige Wissenschafft und Erkäntnüß von Göttlichen Dingen aus der Schrifft zuwegen gebracht werden? Quod dum negat, ex hac ratione, weil diejenige, die zur Welt gehören, der Gnaden-Würckungen des Heil. Geistes nicht fähig seyen; anne hæc quæstio decidi potest sine his similibusque:

annon ii, qui ad mundum perinent, id est, irregeniti & impii, dum adhuc irregeniti & impii sunt, adeoque ad mundum pertinent, capaces sint gratiæ Spiritus Sancti prævenientis & præparantis? Annon capaces sint audiendi verbi Divini? Et voluptatem plura cognoscendi ex illo capiendi? Immo eousque in notitia & assensu proficiendi, ut credant exemplo Agrippæ, qui ad mundum pertinebat, Mosi & Prophetis & parum absit, quin regeniti & pii fiant? Ecce quanta capacitas eorum, qui ad mundum pertinent, ex gradibus gratiæ elucescens! Sed & ad secundam quæstionem Spenerianam progredior: **Ob solche in natürlichem Licht aus menschlichen Kräfften gefaßte Wissenschafft und Erkäntnüß die wahre Erkäntnüß GOttes seye?** Quæ nec ipsa sine hac similibusque decidi potest: an igitur, quæ ex Spiritus Sancti gratia præveniente & præparante, mediante verbo Divino, eodemque intra animum per scrutinium & meditationem recepto, oritur, notitia sit notitia, ex naturali lumine & viribus humanis producta, non obstante, quod vires humanæ & lumen naturæ intercedat? An aliqua notitia vera esse non possit, quæ ex Spiritus Sancti lumine, per auditum intra animum recepto, accenditur, non obstante, quod eam perfectionem nondum habeat, quam notitia omnium credendorum completa habet, quippe quam nec in illo gradu ex intentione Spiritus Sancti habere debet? Ecce notitia in lumine naturali & ex viribus humanis, tanquam instrumentis, ex verbo tamen Divino, tanquam principio proprio, hausta notitia, eo ipso, quia ex verbo & Spiritus Sancti gratia præveniente est, est notitia vera! Sequitur quæstio tertia: **Ob dann zu solcher aus natürlichen Kräfften gefaßten Wissenschafft auch eine von GOtt**

GOtt selbst aus dem göttlichen Wort und desselben Krafft durch seinen Geist gewürckete Erkäntnüß kommen müsse? Quod affirmat. Ubi quæritur: An igitur notitia, à Theologiæ studioso, intercedente naturali ingenii industria, & per Spiritus Sancti gratiam, eundem præparantem, acquisita, non acquiratur ex verbo Divino, quod quotidie legit & meditatur? An illud verbum Divinum non secum, etiam in ipso studiosi intellectu, habeat vim & efficaciam Spiritus Sancti vere Divinam & supernaturalem? An per vires naturales possit acquiri notitia cum assensu, rebus supra omnem humanam rationem positis præbitus? Ecce notitia quælibet, ex verbo Divino per gratiam Spiritus Sancti prævenientem hausta, est notitia virtute Spiritus Sancti effecta! Quæstio quarta: Ob diejenige, welche in boshafftigen Sünden leben, solcher Gnaden-Würckung und Erleuchtung des Heil. Geistes fähig seyen? Quod negat. Ubi quæritur: An igitur homines in peccata malitiæ lapsi gratiæ Spiritus Sancti, eosdem ad pœnitentiam illuminantis, non sint capaces? Annon illud ipsum lumen supernaturale, quod *Dannhawero* dicente, adhuc in lapsis est, sit operatio Spiritus Sancti gratiosa, eosdem, quantum in se est, ad reditum ad fidem & pietatem illuminans? Ecce etiam malitiosissimi peccatores, eo ipso, quia gratiæ Spiritus Sancti prævenientis & præparantis sunt capaces, operationis Spiritus Sancti & illuminationis ejus sunt capaces! Quæstio quinta: Ob die Theologia allein eigentlich in jener natürlichen Wissenschafft bestehe, oder ob darzu auch die Göttliche Erläuchtung nöthig seye? Ubi quæritur: an igitur scientia naturalis sit, quæ à Spir. S. supernaturali virtute gratiæ prævenientis & præparantis excitatur? An naturalis scientia

sit, cujus objectum rationem omnem & naturam supergreditur? An igitur illuminatio non sit, quando homo non illuminatur ad effectum usque notitiæ, qui est regeneratio? Ecce notitia sacra, ex gratia præveniente & præparante hausta, est Divina illuminatio, non mera scientia naturalis! Quæstio sexta: **Ob der Zweck der Theologie ohne solches Göttliches Licht zur Genüge erhalten werden könne?** Ubi quæritur: An ubicunque finis & effectus notitiæ non impetratur, notitia non sit vera? An quia finis & effectus notitiæ, in primo gratiæ gradu à Spiritu S. effecti, fides nempe & pietas, nondum impetrati sunt, ideo falsa notitia à Spiritu Sancto in illo gradu sit procurata? Annon sibi ipsi contradicens sit quæstio: an finis Theologiæ sine Divino lumine impetrari possit, cum dari non possit Theologia sine Divino lumine, id est, verbo Divino, quod est Divinum lumen. Psalm. CXIX, 105. Ecce contradictio in adjecto est, notitia sine Divino lumine, & notitia ex verbo per gratiam prævenientem hausta! Quæstio septima: **Ob nicht diese Lehre** Enthusiastisch, Weigelianisch, Quackerisch, Donatistisch sey? Ubi quæritur: an non admodum vicinum sit Enthusiasmo, hominem per omnes gratiæ gradus, sive audiendo verbum, sive scrutando, sive cognoscendo, sive assentiendo, nihil prorsus vere & causaliter efficere, quo conversio, tanquam per verum medium, promoveatur, adeoq; necesse sit, ut per motum quendam momentaneum, à Deo ei impressum, i. e. immediate, immediatione medii veri cujuslibet præcedentis, convertatur? Annon admodum vicinum sit Weigelianismo, asserere: veram DEI notitiam non ex libris, non ex litera Scripturæ, non ab extra, sed ab intra, à Christo

animæ

animæ loquente & in momento sine omni verborum strepitu instillante notitiam plurimorum & incomprehensibilium mysteriorum? Ceu supra ad num. V. ejusmodi effata notavimus. Annon admodum vicinum sit Quackerismo, **man müsse die heilsame Erkäntnüß GOttes nicht aus Büchern lernen, sondern der H. Geist müsse es in dem Hertzen innwendig durch eine lebendige Berührung zeigen?** Annon admodum vicinum sit Donatismo, à vera religionis Christianæ notitia excludere omnes eos, qui cum pietate notitiam non conjungunt? Non quod illos harum hæreseon reos agamus, sed ut ostendamus, quibusdam è Theologis, ex tam insolentibus locutionibus & sententiis, non omnino nullam ingestam esse suspicionem, annon ὑπαλύτι. sub nova illa districtaque Theosophiæ, seu Theologiæ piæ unicè veræ commendatione deliteſcat? Quæstio octava & ultima: **Was für Schade bey der Kirche entstehe, wo solche Lehre von der nöthigen Erleuchtung des Heil. Geistes nicht fleißig getrieben, oder gar wiedersprochen wird?** Ubi quæritur: an igitur quisquam, non dicam, Lutheranorum, sed Christianorum in universum, doctrinæ de necessaria Spiritus Sancti illuminatione contradicat? An quisquam Theologorum illuminationem Spiritus Sancti ex instituto & præcepto Divino ad id necessariam, sub pœna æternæ damnationis, esse neget, ut salutem consequatur? An qui docent, hominem à Spiritu S. ordine per unum gradum ad alterum usque ad summum illuminationis gradum & conversionis effectum eundo, illuminari debere & quemvis illuminationis gradum, non minus ut in illuminatione naturali fiat, verissimam illuminationem esse, tum verò demum perfectæ illuminationis

nomine

nomine dignam esse, quando in EVENTU est efficax, ut loquitur *D. Spenerus*, in Tab. Hodos. ad Phœn. IX. aliquod damnum Ecclesiæ ratione ædificationis inferant? An qui dicunt, conversionem & pietatem non pertinere ad essentiam, sed ad EVENTUM notitiæ seu illuminationis, majori detrimento afficiant pietatis promotionem, quam qui docent, pietatem non pertinere ad essentiam peritiæ juris dicendi, sed ad finem ejusdem & affectum, detrimentum inferunt reip. aut qui docent, pietatem & preces non pertinere ad essentiam agriculturæ, sed ad effectum felicem & in Domino benedictum, Psalm. CXXIIX. 1. s. detrimentum inferunt rei familiari? Annon detrimentum inferant pietati, qui inæstimabile Spiritus Sancti donum, notitiam post lapsum in homine impio reliquam, tanquam internum gratiæ prævenientis documentum, eundem rigidi censoris instar, ex ipso intrinseco pectore sollicitans & percutiens, II. Sam. XXIV. 10. adeoque ad pœnitentiam fidemque adducens, in meram notitiam naturalem & Philosophicam convertunt? Vide nunc, Lector, & judica, an tanti momenti materiam, qualis est notitia hominis irregeniti & impii, vel intelligere solide vel justo de ea judicio pronunciare queamus, non intellecto & in partes vocato universo de ordine & gradibus gratiæ argumento. De quo vero ordine & gradibus in diffuso quamlibet & copioso de Theosophia libro ne litera quidem una reperire est.

Ex quibus omnibus patescet, non habere tractatum istum Spenerianum id in recessu, quod in fronte promittit. Prorsusque credo, si *D. Spenero*, aut omnibus iis Theologis, quorum effata magno numero adducit, hæ similesque quæstiones fuissent propositæ: annon

non auditus vel lectio verbi Divini, aut libelli cujusvis, ex verbo Divino ad pœnitentiam & vitæ emendationem compositi, homini securo & in quotidiana peccandi consuetudine constituto, à confessionario suo commendata, si ille admonitioni bono animo paruisset, tamen dulcedine voluptatum captus à peccando non destitisset, verus fuerit & supernaturalis motus, non affectatus tantum a Spiritu Sancto, sed à securo receptus & in effectum deductus? An notitia rerum sacrarum, sive parva, sive mediocris, sive magna, in homine vel securo, vel impio vel flagitioso, seposita peccandi consuetudine & fœdo notitiæ abusu, non tantum à Spiritu S. ei indita & concessa, sed ab illo etiam recepta sit, ut per ejus recordationem compungi & in se redire debeat, & quo illustriorem habet notitiam, eo facilius in viam reverti possit? An compunctiones illæ sive rariores sive frequentiores, quæ nihil aliud sunt, quam invitationes & vocationes ad pœnitentiam & fidem, exemplo Davidis, quem suummet pectus concussit, possint esse non veræ & supernaturales operationes Spiritus S. ex vera notitia & assensu orti, non obstante, quod talis reapse non convertatur? Annon in notitia rerum sacrarum, non minus ac in omni alia rerum practicarum in universum omnium notitia, separari debeat veritas notitiæ ab ejus abusu, ut dum hunc improbamus, illam non negemus & an aliqua non dicam ratio, sed vel levissima ratiuncula allegari possit, cur in rebus aliis abusus notitiæ cum vera notitia consistere possit, in rebus sacris autem abusus veritatem notitiæ plane absorbeat & annihilet, cum tamen DEUS eodem prorsus rigore in rebus quibuslibet practicis aliis ac in sacris conjunctionem praxeos cum notitia indivulse connexam

requirat? Annon Theologi illi omnes, qui negant, veram esse DEI notitiam, quæ cum pietate non sit conjuncta, quique negant, talem expertem praxeos notitiam à Spiritu Sancto provenire posse, id necessario intelligant de veritate effectus salutaris, ceu & hanc restrictionem plurimi totidem verbis adjiciunt, notitiamque expertem praxeos à Spiritu S. esse negent, qua illa expers est praxeos, non qua in se consideratur, sicut in omnibus aliis rebus in toto hoc universo, inque ipsa adeo blasphemia motus linguæ à DEO est, excessus à Diabolo; cumque hoc DEO non sit indignum, qui Spiritu Sancto in simili materia sit indignum? Si, inquam, hæ, aliæque id genus quæstiones vel *D. Spenero* vel Theologis aliis, ab ipso allegatis, propositæ fuissent, nunquam persuaderi me patiar, illos easdem negaturos fuisse. Omnium minime credo, illos tam mirabilibus & incredibilibus hypothesibus, quales sub finem Tractatus nostri expressimus, hypothesin suam fuisse defensuros.

Et quid dicemus? Provocat *D. Spenerus* ubique ad Præceptorem suum meumque, *D. Dannhawerum*, qui septem una annis ad ipsius pedes consedimus, eoque adversus *Dilfeldium*, nihil novi se docere, sed presse ubique eidem adhærere profitetur, deque Hodosophia ipsius in parte altera Theosophiæ hoc fert judicium: In der Hodosophie ist warhafftig die gesambte Theologia gründlich verfasset, die einem nicht nur gemeinen Christen, sondern Studioso Theologiæ genug seyn mag. In ea vero Theologiam seu notitiam rerum sacrarum in fronte statim libri definit: *Theologia nostras est lumen constans, cœleste, efficax, in oculo spirituali, puro, illuminabili, quod hominem cœlo exulem ad patriæ cœlestis beatitudinem ductu suavi reducit* De Spiritus Sancti

vero

vero gratia ubi Phænomeno IX. agit, ejusque ordinem & gradus in adjecta tabella repræsentat, Prævenientem gratiam ita describit: *Præveniens ac incipiens, trahens, excitans, invitans, impellens, pulsans quæ intellectum illuminat ad agnitionem & detestationem peccati, repugnantiam originalem tollit. Ephes. V. 14. Ap. III. 20. Esai. LV. 11. Matth. XIII. 8. Act. XXVI. 28. Hæc præveniens gratia prima est, quæ sæpe in aliud agentem incidit, ut dum quis asinas quærit, ad sortem regni invitetur. Operans,* quam alii præparantem vocant, *aperiens quæ præter excitationem assensum, desiderium, vires credendi, propositum conversionis efficit, Luc. IIX. 13. c. XIII. 17. Actor. XIII. 48. cap. II. 37. ac aperit cor, Act. XVI. 14. XXIV. 25. emollit saxum, Ezech. XI. 19. XXXVI. 26. II. Cor. III. 3. Cui si homo non resistit, sequitur gratia perficiens.* Ecce juxta hunc Theologum notitia rerum sacrarum Theologica combinata est cum oculo seu animo spirituali puro, id est, ut in minusculis literis sese exponit, RENATO. Quod pro se vehementer urget *D. Spenerus.* Sed ecce tamen iterum per eundem ipsum Theologum per prævenientem gratiam in homine adhuc irregenito, quique gratiæ perficienti resistere potest, ILLUMINATUR INTELLECTUS. Bone DEus, quantum hoc piaculum in oculis *Doct. Speneri* & quotquot eundem hodie sequuntur! Sed audi porro. Intellectus illuminatur ad AGNITIONEM ET DETESTATIONEM peccati, talem nempe, quæ fidei locum faciat, quippe in operatione gratiæ, non legis aut naturæ eademque præveniens gratia REPUGNANTIAM ORIGINALEM TOLLIT. Si repugnandi necessitatem tollit ante fidem & completam regenerationem, ergo admittere homo irregenitus ante completam conversionem potest omne id, quod Spiritus S. in

eodem operari intendit. Ergo falsum est, quod homo irregenitus, quamdiu irregenitus est, *repellat & excutiat gratiæ & legis radios illabentes & sic illuminationis scintillam actu secundo nullam retineat, nedum ut mereatur illuminatus dici.* At juxta *Dannhawerum*, consentiente *Spenero*, in primo statim gratiæ gradu illuminatur & repugnantia originalis tollitur in irregenito, eodemque, si gratiæ perficienti repugnet, irregenito manente. Sed quid opus est pluribus? Per gratiam prævenientem *illuminatur*, seu notitiam rerum sacrarum conseqvitur *intellectus*. Per gratiam operantem APERITUR COR, EXCITATUR ASSENSUS, DESIDERIUM, VIRES CREDENDI, PROPOSITUM CONVERSIONIS. Bone DEUS, quanta beneficia! Hocne est repellere & excutere gratiæ & legis radios & non mereri illuminatum dici? Videmus igitur, aliter loqvi Theologos, quando hominem irregenitum & impium considerant, ut notitia sua ad resistendum fidei & pietati turpiter abutitur, ad omne peccati scelerisque genus perpetrandum, & dum negant, hanc notitiam, qva talem, veram esse, Divinam esse, spiritualem esse & desuper à Spiritus Sancti gratia provenire. Aliter vero qvando notitiam & assensum in irregenito & in ipso quoque impio considerant, tanqvam à Spiritu S. per gratiam prævenientem & operantem effectam, ipsumqve in ipsa etiam impietate, ut *Dannhawerus* loquitur, trahentem, excitantem, invitantem, impellentem, pulsantem, (Davidem in ipso flagranti peccato percutientem) intellectum illuminantem, agnitionem peccati efficientem, repugnantiam tollentem, assensum, desiderium, vires credendi, propositum conversionis largientem. Illam notitiam qva talem, vocant tetram, terrenam, dæmoniacam, non superne advenientem. Hanc, qua talem, appellant

pellant gratiæ Divinæ ineffabile & saluberrimum donum. Adesto *D. Dannhawere*, in partes à *D. Spenero* vocate & de hoc testare!

Dices: cur itaqve sibimetipsi contradicit *Dannhawerus*, notitiam sacram ita definiendo, ut omnis species notitiæ sacræ sub definitione generis comprehendi neqveat? Quo pacto hanc definitionem *Dannhaweriana*m interpretentur *D. Masius* in Vindiciis Spenerianis, *D. Foertschius* in Decade Thesium Tubingensium & ex Collegis meus vir celeberrimus, in Syllabo, DEO volente, dicam. Nunc vero respondeo, jam supra responsum esse, definiri rem qvamlibet, prout in perfectissimo suo statu consideratur. Qvi acervum tritici definit, describit per coagmentationem granorum, è spicis tritici excussorum. Verus tamen est tritici acervus, qvamquam vel magis vel minus granorum, quæ in definitione non continentur, ex alius generis frumento in se complectatur. Cum aurum definitur, describitur per purissimum metallum, ab omni corruptione immune. Et tamen verissimum aurum est, quod cupri quidpiam habet admistum. Cum Philosophus civitatem definit per *societatem ex pluribus pagis constantem, legibus unitam, bonorum affluentiam continentem, beatitudinis causa institutam*, civitatem describit à perfectissimo suo statu, in quo consistere potest. Non tamen ideo negat, veram civitatem esse, quæ omni bonorum genere non affluat, dummodo præsidiis & adminiculis sit instructa, bonorum illam affluentiam consequendi. Ita & Theologus notitiam rerum sacrarum definit, quæ omni bonorum spiritualium genere, fiducia in Christum, amore in DEum & proximum, animi puritate & omni virtutum apparatu sit instructa. Ut tamen ideo non neget, veram notitiam esse, quæ his aliqvando destituatur,

tur, dummodo notitia ita sit comparata, ut virtutem viresque in se contineat, omnem istam felicitatem sibi comparandi. Talis autem est omnis notitia, ex verbo Divino, cui Spiritus Sancti virtus indivulso nexu adest, hausta & in animum hominis per gratiam prævenientem & præparantem recepta.

Elucescit iterum ex novo hoc exemplo, quam impossibile sit, materiam de vera rerum sacrarum notitia sine doctrina de ordine gratiæ Divinæ intelligi aut dijudicari. Cum si semel concedatur, per gratiam prævenientem excitari notitiam hunc in finem, ut ea assensum & assensus fidem producat, quousque illa notitia in homine, etiam post grandia scelera, remanet, hanc virtutem non amittat, neque amittere possit, cum sit, quoad materiam, quam in se complectitur, nihil aliud quam verbum Divinum, virtute hominem commovendi perpetuo instructum, neque ulla ratio sit, cur hæc notitia uno tempore sit effectus gratiæ prævenientis, altero non item. Ut conscientia semper est testis bene maleque factorum, Rom. II. 15. sive ad extra moveatur, sive ad intra, nec hoc officio, nisi prorsus occalluerit, defungi cesset, cum ejus naturæ hoc sit inditum & immutabiliter impressum: ita notitia verbi Divini semper est præco pœnitentiæ & fidei, ubicunque existit, sive in pio, sive impio, sive in pœnitente sive in impœnitente, quia hoc ipsius verbi Divini indoli & naturæ ita alte est impressum, ut ab eo divelli nulla vi possit sive prædicetur verbum ab extra, sive ab intra. Quamquam ob malitiam subjecti vel majorem vel minorem aliquando fortius & frequentius, aliquando remissius & rarius in effectu moveat. Ad minimum movet compungendo, cum vel verbum ab extra ad animum impii admovetur, Act. XXIV. 25. vel ab intra animum impii commovet. II. Sam. XXIV. 10. Luc. XIIX. 13,

Atque hæc quidem sufficiant. Quæ quamquam præfationis modum excedere videantur, ita tamen comparata esse planissime sum persvasus, ut tractationi ipsi lumen nequaquam exiguum adfundant. Cum enim verear, ne ex obscura & intellectu difficili proponendi ratione, qua adversa pars utitur, & tenebrosi qvid in ipsam hanc discussionem nostram influxerit, sanari qualiscunque hic morbus poterit, si, quæ hic præmisimus, ad animum revocentur. Tu verò vale, Lector optime.

PELAGIA-

PELAGIANISMVS
DOCTRINÆ
DE
VERA IRREGENITORVM
CIRCA
RES SACRAS
NOTITIA,
CALVMNIOSE OBJECTVS ET AB EADEM
PER ORTHODOXAM DE GRATIÆ
ILLVMINANTIS ORDINE
ET
GRADIBVS DOCTRINAM
AD CONSCIENTIARVM VSQVE CONVICTIONEM
DEPVLSVS
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI
DIE II. OCTOBR. ANNO M DCC IX. DISCVSSVS,
RESPONDENTE
ANTONIO BALEMANNO, *Gedanenſi.*

PELAGIANISMI LVTHERANIS OBJECTI ET AB IISDEM DEPVLSI PRÆLOQVIVM.



IN more positum Fanaticis est, ut ad persuadendos credulos disciplinæ suæ alumnos adversariis suis eorumque dogmatibus hæreses, à vetere Ecclesia condemnatas, plenis ubiqve buccis objectent, qvamquam ne Argus quidem nonnunqvam viderit, qua in re vel qvaliscunque compareat inter doctrinam, ab orthodoxis defensam, & inter hæresin eidem ingestam similitudo. Qui terminum divinæ gratiæ, quibusdam hominibus ante finem vitæ à DEO positum, adversus consentientem fere totius Ecclesiæ nostræ concentum, defendunt, summas delicias in eo agunt, ut gratiæ universalis propugnatoribus, quoties ad hujus controversiæ considerationem accinguntur, *Huberianissmum & Puccianissmum*, pulcerrimo scilicet invento, exprobrent, quantumlibet Sphingis ænigma facilius fuerit dissolvere, quam conjectare, qua magis in re quam qualibet alia gratiæ Divinæ universalitate, gratiæ ad finem usque vitæ protensio vel cum *Huberi* delirio, vel cum *Puccii* impietate concordet. Qui noviſſimum Pietiſmi ἀίρεσιν: *Notitiam rerum sacrarum in homine irregenito esse falsam & Diabolicam*, tanquam Helenam ad pietatis amorem ipsa pulcritudine sua inflammantem, deamare ex aliquo tempore occœperunt, singularem in eo intimi pectoris sui delectationem quæsiverunt, ut iis, qui adversæ sibi sententiæ addicti sunt, *Pelagianissmum, errorem pestilentissimum*, ceu vocat in Institutionibus *Breithauptus*, ubique Stentoreo clamore objicerent, in Hæretificum classem manifeste incidentes ipsi, qui Theologos sectæ suæ inimicos Hæretificum nomine ubique infamant. In Disputatione Halensi, cujus nuper aliquam partem excussimus, hic ludus frequenter agitur. Conqueritur auctor, quisquis est, *Pelagianissmum methodi practicæ neglectu* à nobis *foveri*. §. XXIV. Alibi

bi exclamat: *sic Pelagianismum habemus dominantem.* §. XXXI. Denuo alio loco non sine sancto fervore: *adversariorum hypothesis*, ait, *quod ipsa notitia impiorum de Divinis sit vera, ipso usu pericula longe maxima in ecclesiam introducit, ut nullum habeatur discrimen regenitorum & irregenitorum, ac DIABOLVS sine obstaculo omnia confundat. Ita PELAGIANISMVS APERTIS FORIBVS ET VALVIS IN ECCLESIÆ PRAXI DOMINATVR*, (Bone DEUS, quantum scelus, quam execrabile flagitium designant Anti-Pietistæ!) *ne advertentibus quidem hominibus, inimicum SATANAM sævire tantopere; nec praxis modo, sed ipsa illa hypothesis prorsus est PELAGIANA, ut quivis PELAGIANISMI heterodoxiam non ignorans, judicare facillime possit.* Ita misellus Zelota, & si is est, quem disputationis inscriptio præfert, à Præceptoribus suis deceptus. Jam Præses ipse, testatus dolorem suum, conqueritur in Epistola Disputationi præfixa, *nonnullos Theologos nostri temporis Erasmo Roterodamo sese assimilasse.* Professos quidem, *humanas vires nullas esse in iis, quæ Spiritus DEI sunt; & tamen non vereri palam docere, quod homo Spiritui Sancto constanter resistens verè possit DEVM & Divina cognoscere. Quos si audivisset Pater Ecclesiæ nostræ nunquam satis laudatus, annon Erasmi asseclarum*, i. e. *PELAGIANORVM, in numero collocasset? An putas, Lutherum ipsos pro suis potuisse agnoscere? Nullo hac in re modo.* Desinet hæc inculpatio pro aperta calumnia haberi, quam-primum vel ex unico *nostri temporis Theologo*, contra quos quidem calamum tam audacter stringit, eosque suæ sectæ opponit, probaverit, fateri eundem, & *palam docere, quod homo Spiritui Sancto CONSTANTER*, id est, in omnibus singulisque gradibus gratiæ, ejusque supernaturalis, ad conversionem vero & causali influxu tendentibus, à primo usque ad ultimum, *constanter resistens, vere* (& ex Spiritu S. ceu & ipse Præses intelligit) *possit DEVM & Divina cognoscere.* Quia vero metuendum mihi est, ne vel unquam unum sit producturus, vel producere possit, nos in præsenti Disputatione rem totam ex immotis fundamentis, quin etiam ex ipsis Theologis ab adversa parte pro quibusdam Numinibus cultis, ita claram dilucidamque reddemus, ut indubitatam spem foveamus, fore, ut nec cum specie quicquam possit nobis opponi. Ut vero, quæ dicturi sumus, legentium animis fortiter & ad con-

victionem usque illabantur, methodo utemur Aphoristica, quam & adhibuimus in Disputatione, Beati *Sandhagenii* precibus impetrata, eaque anno MDCXCVII. hic habita & ex eo tempore, cum à nemine unquam improbaretur, ter recusa, *de Ordine Modoque gratiæ Divinæ, in conversione hominis occupatæ*, quam conferri cum recentiore hac tractatione omnino optamus.

Veni creator Spiritus
Mentes tuorum visita,
Imple superná gratiâ,
Quæ tu creasti pectora.

APHORISMVS I.

Pelagianismus est, cum in illuminationis & conversionis negotio, vel omnia vel aliquid, quod unicè à gratiæ Divinæ supernaturalis operatione dependet, naturæ viribus tribuitur.

I.

QVanquam de mediis cognoscendæ veritatis cœlestis, ad promovendam salutem nostram à Spiritu Sancto in Scripturis revelatæ, quæ figurato *Illuminationis* vocabulo perquam commodè enunciantur, atque ad hanc veritatem piam Divinamque vitam instituendi, quæ non minus metaphorica *Conversionis* voce apte exprimuntur, Pelagiani, eorumque variæ propagines atque Sectæ, non unam eandemque in omnibus doctrinam fuerint complexi, aliis gratiæ supernaturali & viribus humanis plus minusve adscribentibus, ad institutum tamen nostrum nullo modo pertinet, ad hanc sententiarum varietatem, de qua *Vossius* aliique fuse egerunt, tractationem nostram deflectere, cum ex utraque hodie contendentium parte extra controversiam positum sit, conversionem & illuminationem nostram unicè à gratia Spiritus Sancti supernaturali, in principio, medio & fine, nullo vero modo à natura,

ra, tanquam principio causali, produci atque adeo eum, qui viribus naturæ hoc in negotio vel tantillum adscribit, *Pelagianismi* reum esse. Est enim Apostoli rotunda sententia: *DEus est, qui in nobis operatur & velle & perficere juxta beneplacitum.* Phil. II. 13.

II. Equidem & notitiæ naturales à quibusdam ad gratiam etiam aliquo modo supernaturalem referuntur. Qua de causa & actiones ad conversionem *Pædagogicæ* dicuntur. Sed improprio quodam, non verò causalis ex parte hominis influxus genere. Partim enim sunt conditio, sine qua præcedente gratia proprie dicta in homine agere & conversionem producere non potest; partim vero indirecte hominem sollicitant, ut modum veriorem, qua salutem suam acquirere possit, investiget. Crassa enim rerum Divinarum ignorantia & manifesti adversus ipsam naturam errores, quales fuerunt variæ apud gentiles idololatriæ species, spreti item naturæ instinctus, qui DEum esse colendum & honeste vivendum esse dictitant, impedimenta sunt, quo minus verior circa res Divinas notitia & perfectioris sanctitatis studium in homine exoriri possit. Iis igitur remotis veriori notitiæ via paratur & amplior subministratur occasio, cultum DEO magis placentem investigandi. Plane ut lex est pædagogus ad Christum, ut, cognita legis servandæ impossibilitate, de alio adipiscendæ salutis medio solliciti, etiam præter intentionem nostram, adeoque nulla ex parte nostri causandi ratione, ad Christum deferamur. Atque hæc, nisi omnino fallor, extra controversiæ aleam posita sunt. Id tantum inter Theologos disputatur, utrum his ipsis naturæ instinctibus gratia quædam supernaturalis insit, hominem ad veram Ecclesiam & consequenter ad salutem suam deducendi? Et sunt, qui hoc affirment, eò quod ex Scripturarum assertis indubium sit, his instinctibus DEum uti ad pœnitentiam in homine procurandam, Rom. II. 4. & ad quærendum DEum, utrum forte eundem sint sensuri & inventuri, Act. XVII. 27. Cum si meram naturam respiciat DEus, salutem hominis per eandem intendere non possit, sed in homine nihil inveniat, nisi mortem & damnationem Gal. III. 10. Cum natura sibi relicta & extra Christum considerata de propitiando per pœnitentiam Deo nihil prorsus norit & extra Christum DEus non possit non esse homini iratus, nedum, ut ad pœnitentiam ipsamque adeo Ec-

cleſiam illum adducat. Ajunt igitur, quâ illi inſtinctus ad ſalutem hominis dirigantur, id eſſe à gratia aliqua ſupernaturali, merito Chriſti innixa, quamquam non omni modo. Nec enim per verbum gratiam illam offerri, quod alias ſupernaturalis gratiæ proprium ſit, nec ad hominis usque ſcientiam penetrare, cum ille quidem per inſtinctus illos impellatur ad veriorem colendi DEI rationem, ſed quænam illa ſit, revera ignoret, DEUS tamen hunc ſpecificum DEI colendi modum per inſtinctus illos directe intendat. Ut exempli gr. herus puello peccanti ſchedam committit ad parentem, qua requirit, ut juſtæ illum diſciplinæ ſubjiciat. Ubi herus ſalutarem puelli caſtigationem ſcheda illa directe intendit, puellus vero, tanquam totius rei ignarus, nihil minus, qui tamen hoc ipſo ad fructuoſam ſui emendationem deducitur. Quo ſenſu *D. Hülſemannus* ſcribit: *Suſcitatio concluſionem practicarum in mentibus infidelium fit à DEO non per modum principii & concurſus communis, quomodo influit in procreationem liberorum infidelium, ſed per influxum gratioſum merito Chriſti partum & directè intendentem adductionem gentilis ad inquiſitionem de Eccleſia;* Cap. IIX. Brev. Theſ. II. Quæ ex eo repetit *D. Jo. Ad. Oſiander*, Part. III. Coll. Syſt. Loc. VI. Th. XXI. & Loc. X. Th. II. Quicquid vero hujus rei ſit, nobis in præſenti Diſputatione unice de mediis illuminandi & convertendi hominem ex verbo, eidemque inſita ſupernaturali virtute, cauſalibus ex parte ipſius hominis ſermo eſt, abs quibus, quicquid in illuminatione & converſione hominis naturæ viribus adſcribitur, Pelagianiſmum ſapere ultro & libentiſſime confitemur.

APHORISMVS II.

Illuminatio & converſio hominis ſunt actiones Divinæ, ordinatè & intra certos gradus effectus ſuos producentes.

I.

ILluminare vi vocis & metaphoræ nihil aliud eſt, quam tenebras intellectus, id eſt, errores eidem inhærentes, informando

formando dispellere, iisque inferre lumen veritatis cœlestis, salutarem de DEO & mediis salutis, nostræ notitiam complectentis. Quam in rem sole clariora sunt loca, Eph. I. 8. III. 9. 2. Cor. IV. 6. Act. XXVI. 18. Convertere est deviantem in viam reducere, adeoque figurate ab impietate ad vitam legi Divinæ conformem permovere. Psalm. I. 1. 2. Act. III. 26. Ez. III. 19. Ut adeo illuminatio primo & immediate actionem, quæ intellectum, conversio, quæ voluntatem immutat, significet, quamquam quia intellectus illuminatio ad voluntatem commovendam ordinata est, & voluntatis conversio intellectus illustrationem supponit, duæ istæ voces indifferenter nonnunquam usurpantur. Utpote conversio de illuminatione intellectus ad abjiciendam falsam de Diis gentilium & amplectendam veram de Christianorum DEO opinionem, Act. XIV. 15. II. Cor. III. 16. Illuminatio inflexionem voluntatis ad abjicienda vitia voluntatis, ex falsa intellectus persuasione orta, & amplectendam virtutum sequelam, Hiob. XXXIII. 30. Eccles. IIX. 1.

II. Ipsa verò harum vocum naturalis significatio ordinem quendam & gradus in se complectitur. Qui enim in re quapiam illuminatur seu informatur, is non illico & uno momento omnem illius notitiam consequitur, sed per gradus ad perfectiorem semper ascendit, quemadmodum ipsum lumen modo clarius est, modo obscurius. Et qui à via erronea convertitur, in momento in viam rectissimam non deducitur, sed e pluribus sæpe obliquitatibus in viam regiam eluctatur. Nec etiam Scripturæ usus requirit, ut quoties DEUS illuminare & convertere hominem dicitur, id de effectu ultimo illuminationis & conversionis termino intelligatur. Nonnunquam enim sola intentio Divina exprimitur, quæ pro capacitate subjecti vel ad majorem vel ad minorem illuminationis & conversionis gradum progreditur. Nec enim, quos vera lux, Filius DEI, illuminat, Joh. I. 9. ad perfectum omnes gradum illuminantur. Nonnulli primæ statim lucis operationi, oculos claudentes, resistunt, alii quendam illuminationis gradum admittunt, cæteros repudiant. Pauci ad summum lucis fastigium adscendunt. Omnes tamen ex intentione Christi, quantum

juxta ordinem à se constitutum fieri potest, illuminantur. Et qui in aliquo ordinis gradu illuminantur, quamquam ad perfectam illuminationem non deveniant, vere tamen quoad gradum illum illuminantur. Ne quidem in illustri illo Apostoli loco, 2. Cor. IV. 6. è quo nonnulli nobilius esse illuminationis vocabulum, quam ut de qualibet in sacris informatione intelligi possit, demonstrare contendunt, nisi intentio perfectæ illuminationis comprobrari potest. Hunc enim in finem lumen salutaris cognitionis acceperant Apostoli, ut & alios ad eandem lucis claritatem adducerent. Quemadmodum Theologiæ constitutus Professor ideo eruditionem suam acquisivit, ut & aliis eandem implantaret. Quos si ad eundem eruditionis gradum non adducit, nonnisi insipide colligitur, veræ eruditionis, quamquam in inferiori gradu, eos participes factos non esse.

III. Intra certum ordinem dispensare DEUM homini salutem, non tantum ipsa Divini verbi prædicatio, cui si primo locus vel omnimodo non relinquitur, vel ex parte tantum repetenda illa & urgenda est, 2. Tim. IV. 2. si vero plane rejicitur, reliquæ gratiæ species subtrahuntur, Act. XIII. 46. Sed & ex parabola Christi de elocatis talentis, quorum usus uberiorem DEI gratiam procurabat, neglectus omnimodo auferebat; quæ si vera sunt de donis ministrantibus, longe magis vera erunt de sanctificantibus, luculenter comprobat. Luc. IIX. 18. Sed nec ulla probatione opus est, cum dubium hac in re omne tollat universalis Ecclesiæ nostræ consensus.

APHORISMVS III.

Gradus illi ad quatuor commode reduci possunt, ut initium faciat gratia præveniens, prosequatur gratia præparans, perficiat gratia operans, continuet gratia auxilians vel cooperans.

I.

APud auctores veteres pariter & recentiores innumeræ propemodum gratiæ Divinæ species recensentur, quæ vel generaliori loquendi ratione designantur, utpote gratiæ

gratiæ prævenientis, excitantis, monentis, præparantis, aperientis, operantis, concomitantis, cooperantis vel adjuvantis, subsequentis, perficientis; vel quæ specialiorem gratiæ actum exprimunt; unde gratia vocans, convertens, illuminans, regenerans, justificans, in filios adoptans, sibi uniens, inhabitans, ungens, mortificans, consolans, obsignans, pacem cum DEO & gaudium concilians, renovans & sanctificans, ad preces inflammans, in fide conservans, à lapsu revocans, in gratia confirmans, denique glorificans. Quæ equidem gratiæ species omnes singulæquæ, atque etiam plures, (cum dentur gratiæ *divitiæ*, eæque *superabundantes*, Eph. I. 7. 19.) secundum ordinem vel naturæ vel temporis sibi invicem succedentes, pulcerrima utilissimaque ratione considerari possunt. Dubitandum tamen non est, posse illas omnes ad quatuor istos gratiæ Divinæ ordines gradusque, quos in Aphorismo expressimus, revocari. Sequimur ea in re institutum *D. Jo. Conr. Dannhaweri* & *D. Jo. Musæi.*

II. *Gratia præveniens* est, quæ hominem nihil vel de Divinis vel de corrupto statu suo cogitantem per verbum compungit, excitat, pulsat, ut miseriam suam consideret, DEIque iram metuat. Cujus rei exemplum Felix est, qui ad concionem Pauli de pudicitia & futuro judicio ἔμφοβος γενόμενος, *expavefactus est*, Actor. XXIV. 25. & Judæi in prima N. T. pentecoste, qui ad concionem Petri κατενύγησαν *compuncti sunt.* Act. II. 37. Referunt Theologi ad hunc gratiæ Divinæ effectum etiam morosi obicis, seu *cordis lapidei* remotionem, Ezech. XXXVI. 26. ut qui antea non poterat non omnibus in conversionem suam motibus reluctari, *aptus nunc esse incipiat cogitandi aliquid* de salute sua. 2. Corinth. III. 5. Quibus cum obsequitur, *Gratia præparans* ex verbo de iis eundem informat & illuminat, ut sciat, quæ cognoscenda ipsi sint, ut fidem in Christum concipere possit, quæque voluntatem moveant, ut *deserat mundanas cupiditates*, desideretque pie, prudenter & juste vivere. Tit. II. 12. Ejus itaque effectus est, ceu ipsa gratiæ hujus denominatio innuit, præparare & illuminare animum, ut agnoscat ignorantiæ suæ & peccatorum gravitatem, Ephes. IV. 18. & commovere affectus & voluntatem, ut sentiat furorem iræ Divinæ & maledictionis legalis, Ps. XXXIIX. 6. Ut adeo aperiatur intellectus,

ad

ad intelligendam Scripturam, Luc. XXIV. 45. & desiderium excitetur ad electandum ex miseria & salutem consequendam. Actor. II. 37. Quibus Divinis motibus si locus conceditur, subsequitur gratia perficiens, quæ impedimenta & dubia reliqua omnia removet, Philip. II. 13. hominemque in libertatem salutem suam actu apprehendendi deponit, Joh. III. 16. atque eousque perducit, *ut Christus in ipso* plenè *formari possit.* Gal. IV. 19. Quod ubi factum fuerit, succedit denique *Gratia adjuvans*, quæ omnia media suppeditat, quibus homo semel regenitus in statu salutis suæ adversus omnes tentationes perseverare & bonorum operum exercitio gratum erga DEum animum declarare possit.

III. Quæ universa non ex S. tantum Literarum dictatis certissima sunt, sed consensu denuo gaudent totius Ecclesiæ nostræ, nec diffitente quidem in Institutionibus ipso Halensis Disputationis Præside.

APHORISMVS IV.

Omnes hi singulique gratiæ Divinæ gradus à supernaturali virtute & operatione Spiritus S. procedunt, consequenter & effectus per eandem operationem in homine producti.

I.

SUnt enim operationes illæ ex verbo Divino, cui virtus supernaturalis indivulso nexu conjuncta est, ortæ, & effectus illi, ex operatione provenientes, inque homine nondum regenito recepti, quales in singulis gratiæ gradibus superiore aphorismo recensuimus, ex supernaturali verbi virtute processerunt.

II. Res adeo evidens est, ut ab adversa parte neque negetur, neque ulla veri specie negari possit. Ipse *D. Breithauptus* in Institutionibus pag. 235. *certum est*, ait, *nihil vere spiritualis boni ex nostro proficisci arbitrio, imo ne incipere quidem esse nostrum, nec ortum regenerationis conatu humano emergere, sed sanctam cogitationem, pium propositum, cupiditatem veram, seu desiderium*

boni

boni (qui nempe sunt effectus gratiæ conversionem præveni-entis & ad illam præparantis) *esse donum & operationem Spiritus Sancti.* Cujus rei sequenti pagina eandem, quam nos reddidi-mus, reddit rationem: *Spiritus Sancti gratia verbo nunquam deest, qua nos uti & magis magisque petere debemus, ut apud nos efficaciam exerere cum incremento possit.* Et qui aliter fieri potest, quam ut id, quod ex verbo, tanquam causa supernaturali est, id & ipsum sit supernaturale? Ex verbo est auditus, Rom. X. 17. qui est actus hominis & ab homine atque in homine receptus. Ex auditu est eorum, quæ audita sunt, intellectus & notitia, à Spiritu Sancto ideo in homine effecta, ut per notitiam illam supernaturalem desiderium in homine accendatur, salutis suæ curam agendi. Ex habituali hoc & supernaturali desiderio oritur porro studium in verum sacrarum literarum sensum inquirendi & consequens inde uberior & accuratior sacro-rum notitia. Atque ita ex supernaturali initio reliqui gradus cum gratiæ agentis, tum motuum hominis, per gratiam in ho-mine effectorum, justo ordine omnes succedunt.

III. Quæ vulgo actiones pædagogicæ & naturales di-cuntur, duplici modo considerantur, ut pro diversa hac ra-tione & naturalibus & supernaturalibus, seu, ut vulgo loquun-tur, & hemispherio inferiori & superiori accenseri possint. Naturales sunt, qua v. gr. ire in templum consideratur ut motus aliquis naturalis, & auditus verbi, ut naturalis aurium accommodatio, delectationis forte alicujus gratia; supernatu-ralibus, qua itio in templum consideratur ut itio, informa-tionis ex verbo capiendæ gratia & auditio verbi, quatenus cum desiderio proficiendi conjuncta. Plane ita *D. Kœnigius* noster, Loco de Libero arbitrio §. 240. & 243. qui & huc re-fert externam & historicam cognitionem sensus veri propo-sitionum Biblicarum, mysteria fidei tradentium. Unde & disputat *D. Jo. Ad. Ostander*, in Coll. Systemat. Parte III. p. m. 198. facultatem locomotivam hominis circa externum cultum DEI non suscipi ab homine instinctu naturali, eum in finem, ut propositum habeat bonum ad sui conversionem, aut ad desiderandam salutem suam, sed tantum sub ratione cujus-cunque rei Divinæ cognoscibilis & laudabilis. Nec negare

hoc poteſt allegato loco *D. Breithauptus*, cujus iſthæc ſunt verba: *Etſi ad gratiam prævenientem referri poſſunt omnia beneficia externæ diſciplinæ, ipſa notitia DEI naturalis, opus item legis & conſcientiæ; unde eſt vocatio ſeu gratia generalis; tamen ſpecialiter præveniens illa eſt operatio verbi, qua Spiritus Sanctus intellectum & voluntatem hominis movet ſenſu hortationis & promiſſionis, ſimul virtutem præbens ceſſandi à repugnantia naturali vel acquiſita, ne pertinaciter reſiſtat.*

IV. Certum igitur & immotum manet, quicquid boni ante converſionem in homine reperitur, quod ex intentione DEI & hominis ipſius ad converſionem tendere debet, id eſſe ex Spiritu S. ejusque operatione ſupernaturali.

APHORISMVS V.

Et tamen omnibus his ſingulisque gratiæ Divinæ ſupernaturalis gradibus & operationibus ab homine reſiſti & plenaria converſio impediri poteſt.

I.

SOlus primus gratiæ gradus, qui dicitur gratia præveniens, inevitabilem habet effectum, compunctionem, cui quoad ſe & ſui ortum ſeu initium reſiſti non poteſt. Nec enim, ipſa experientia teſte, facere homo etiam extreme malus poteſt, quin ſi ex verbo Divino de peccatis, de ira Divina, de contemptu DEI & rerum Divinarum, deque pœnis eundem conſequentibus ſerio admoneatur, terror aliquis & compunctio in animo ipſius exoriatur, quamquam quo minus ille moram trahat, ſedemque figat, è veſtigio reſiſtere poſſit. Atque hic effectus ſingulari conſilio Divino inevitabiliter verbi Divini virtuti affixus eſt, ne homo ullam habeat excuſationem, qua obtendere poſſit, vocationem ſe DEI ab impietate ad pietatem nunquam ſenſiſſe. Ideo verbum Divinum

apud

apud Prophetam dicitur esse *sicut ignis & sicut malleus petram dispergens*, Jerem. XXIII. 29.

II. Cæteris vero gradibus omnibus à primo ad ultimum, ne hoc quidem excepto, resisti posse, nimis clara & generalis assertio Divina convincit: *vos semper Spiritui S. resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.* Act. VII. 51. Ipsi effectus harum gratiarum omnium ita comparati sunt, ut vel admitti per vires gratiæ possint, vel respui per propriam malitiam. Ita quoad primum gradum primo statim pulsui Divino, semel admisso, quo miseriam nobis nostram ob oculos per verbum ponit, resistere nos posse & in summo malitiæ gradu perseverare, ni ipsam experientiam in dubium vocare velimus, negare non possumus. Matth. XXIII. 37. Si Divinum hunc tractum admittimus, resistere cæteris possumus. Possumus verbum vel audire vel repellere, Luc. VII. 30. Audito vel meditatione insistere, vel ab eadem remittere. Act. XXIV. 25. Maledictiones legales vel ad animum revocare, vel contemnere. Jer. V. 3. A sceleribus gravioribus vel nobis temperare, vel in iisdem perseverare. Exod. XXXIII. 5. Non puto, apud quemquam de his dubium esse posse. De perficiente gratia dubitaverint forte nonnulli, utrum eidem possit resisti. *Eâ* enim, ait *D. Breithauptus*, Inst. p. 243. *connotatur conversionis veræ successus apud hominem non amplius resistentem.* Sed nulla additur ratio. Cur enim non resisti possit actioni Divinæ, hominem non cogenti aut necessitanti? Vineam suam curat DEUS ad eam accurationem, ut *ei nihil amplius desit*, quin fructum ferat, Esa. V. 4. id est, ad ultimum usque fructus ferendi gradum. Et tamen illa fert labruscas. *D. Seb. Schmidius* ad hunc locum: *cui gratia post OMNEM NECESSARIAM OPERATIONEM* (qualis & est operatio perficiens) *ad effectum obtinendum in tantum resisti potest, ut non sequatur eventus à DEO intentus, ista gratia est resistibilis & non operatur irresistibiliter.*

III. Nec excipi potest, DEUM quidem quoad se omnia ea circa hominem facere, quæ ad conversionem ipsius necessaria sunt, sed hominem, quamdiu irregenitus sit, operationes istas non admittere. Nam jam antea demonstratum

est, posse hominem per Spiritus Sancti gratiam omnes singulosque gratiæ gradus admittere & ultimo tamen, quo minus convertatur, resistere. Ipse *D. Breithauptus* p. 227. concedit, qui primo gratiæ gradui seu vocationi obnitantur, non tantum *ab efficaci gratia sollicitatos*, sed & sensu *spiritualium affectos esse*. Quid hoc aliud est, quam vocanti gratiæ locum intra animum reliquisse, & motum quendam spiritualem in ipsis effectum esse; quem nempe alibi vocat *SANCTAM COGITATIONEM, pium propositum, cupiditatem VERAM, seu desiderium boni*, quæ non sunt actiones Divinæ, sed actionum Divinarum effecti in homine motus. Tales quoque Spiritus Sancti motus, à gratia supernaturali effecti, sunt agnitio peccati, contritio, tristitia, metus iræ Divinæ, Act. XXIV. 25. apertio intellectus, assensus verbo Divino præbitus, isque ex convictione cordis, & desiderium salutis. Quæ omnia non sunt operationes Divinæ, sed operationum effectus, in hominem terminati. Quorum tamen & ultimo, si omnes reliqui fuerint admissi, resistere homo potest, *& gratiam Divinam* accipere quidem, sed *frustra accipere*. 2. Corinth. VI. 1. Gratiam autem ACCIPERE non est tantum notitiam rerum sacrarum homini offerre, ut salutem operetur, sed ab hominis intellectu & voluntate comprehendi, id est, veram sacrorum notitiam, salutem, quantum in se est, operaturam, revera habere & possidere. Et quid aliud est, quod Agrippa ad Paulum ait: ἐν ὀλίγῳ με πείθεις χριστιανὸν γενέσθαι, *parum abest, quin persuadeas, me fieri Christianum*? Actor. XXVI. 28. Ita *Valla, Vatablus, Clarius, Grotius*, inter veteres *Cyrillus Hierosolymitanus & Chrysostomus*, ante omnes *Lutherus*. Erat enim Agrippa Judæus, credebatque vera esse, quæ in Vet. Test. scripta erant, diserte testante Paulo, vers. 27. Cumque jam audivisset Paulum vetera de Messia testimonia de Christo explicare, lumen jam majus & veræ fidei proximum accipiebat, neque quicquam ei, quin in Christum exemplo Pauli crederet, deerat, nisi quod regiam dignitatem religionis mutatione in periculum adducere nollet. Quod ὀλίγον & exiguum effecit, ne perficienti gratiæ, quæ de cætero omnem in animo ipsius ad Christianam fidem apparatum pleniſſime effecerat, obsequium præberet. Et quis dubitet, adhuc hodie plurimos de veritate Lutheranæ fidei vel

per

per librorum sacrorum lectionem, vel per aliorum informationem firmissime persuasos, Christum immota fide, cui nihil prorsus amplius nisi sola applicatio fiducialis desit, apprehensuros esse, (qui est gratiæ perficientis effectus) nisi vel amittendarum dignitatum metus, vel causæ atque respectus alii temporales quicunque remoram ipsis injicerent? Ex quibus evidentissime sequitur, non primo tantum secundoque gratiæ illuminantis & convertentis gradui, sed ipsi postremo, qui ab aliis operans, ab aliis perficiens dicitur, ab homine eousque illuminato resisti posse.

APHORISMVS VI.

Ex quibus omnibus indubitato sequitur, dari in homine irregenito motus à Spiritu S. excitatos & eo ipso notitiam rerum sacrarum spiritualem, ad salutem ipsius destinatam.

I.

DAtur enim in homine nondum converso compunctio, quæ est à Spiritu S. Datur notitia peccati, DEUM offendentis, datur notitia verbi, ex scrutinio illius eum ipsum in finem, ut veritatem cœlestem inveniret, ab homine inquisita, datur sensus maledictionis legalis, pædagogi instar ad Christum ducentis, datur delectatio, ex verbi consideratione orta, datur convictio cordis de Divinitate verbi, datur seria peccatorum agnitio & contritio, datur desiderium salutis æternæ; & hæc omnia per gratiam Spiritus Sancti supernaturalem in homine nondum regenito, & cum publicam cœlestis veritatis confessionem, tum ultimum fiduciæ in Christum ponendæ gradum ex rationibus temporalibus repudiante. Ergo dantur in homine irregenito motus spirituales veri & notitia rerum sacrarum spiritualis vera. Quicquid enim à Spiritu S. provenit, id spirituale est & verum est, quia qualis est causa, talis & est effectus, & à Spiritu veritatis id, quod falsum est, provenire non potest.

II. Quæ cum vera sint, qua fronte scribere Disputationis Halensis auctor p. 31. potest: *illud minime omnium ferendum est, quod adversarii notitiam irregeniti vel impii ita veram apellant, ut à Spiritu S. originem habere, nec modo hausta ex verbo Divino, sed eidem etiam conformis esse perhibeatur.* Cur vero non sit conformis verbo Divino, cum sit à Spiritu Sancto? Ergone difformitas à verbo provenire potest ab eo, qui verbi auctor est & qui veritas ipsa est qui nunquam mentitur? Mal. III. 6. Quomodo â Spiritu Sancto provenire non potest, quod ab ejus gratia præveniente, præparante & perficiente provenit? Plusquam insipida vero est, quæ statim ab auctore subjicitur, exceptio: *licet doctrina, cui impii assensum aliquem præbent, à Spiritu Sancto ipsa sit, tamen hic assensus, quamdiu non est spiritualiter & salutariter affectivus atque obsequiosus, minime est Spiritus Sancti, nec ipsius verbo consentaneus sive adæquatus, sed humanæ tantum persuasionis & Diabolicæ fraudis. qua periculosissime hac ratione miseri irretiuntur.* At vero I. à gratia præveniente & præparante non est tantum doctrina, per verbum proposita, sed etiam notitia doctrinæ & assensus, imo obsequium, doctrinæ per metum iræ Divinæ, per agnitionem peccatorum & contritionem, perque delectationem in gratia oblata, quamquam nondum acceptata, imo tandem ex motivis temporalibus repulsa, præstitum. Hi enim sunt effectus gratiarum illarum, in homine, non in DEO, existentes. II. Juxta ipsum disputationis Præsidem per vocationem non sollicitare tantum DEUM hominem, sed hominem *sollicitari & sensu spiritualium affici dicitur.* Sentit igitur irregenitus res spirituales, cognoscendo nempe illas per intellectum, & amando & desiderando illa per voluntatem. III. atque hoc ipso assensus ille est spiritualiter & salutariter affectivus & obsequiosus, non quidem usque ad fiduciæ in Christum & amoris perfecti fastigium, sed tamen, ceu denuo Disputationis Præses loquitur, usque ad *sanctam cogitationem, pium propositum, cupiditatem veram & desiderium boni.* Quæ singula sunt utique verbo Divino consentanea & quia à gratia Spiritus Sancti supernaturali effecta, non sunt humanæ persuasionis, multo minus Diabolicæ fraudis. IV. Diabolica fraus, qua miseri irretiuntur, non consistit in eo, quod irregeniti vi gratiæ prævenientis & præparantis non habeant,

beant veram notitiam, verum amorem, verum assensum, sed quod, quo minus per ista ad fiducialem Christi complexum & amorem inde ortum deducantur, voluptates hujus seculi vel respectus quoscunque alios ab ipso proposito abduci sese patiuntur. Hæc est fraus Diabolica, non vero notitia, assensus & delectatio, quæ antecedunt, & nobilissimi sunt saluberrimique Spiritus Sancti, non vero vel naturæ vel Diaboli effectus, quod sine blasphemia dici nequit. V. Quam fraudulenter vero & contemptim Auctor assensum per gratiam prævenientem, præparantem & perficientem in homine nondum regenito elicitum vocat assensum ALIQUEM! *Licet*, inquit, *doctrina, cui impii assensum aliquem præbent, à Spiritu S. ipsa sit.* Quasi vero per gratiam non possit in homine irregenito & qui irregenitus manet, perfectus assensus, rebus omnibus revelatis, quin & sacrarum literarum Divinæ auctoritati præbitus progenerari! Jam supra ostensum est, posse ipsam ultimam illam gratiam, quæ perficiens dicitur, omnes, quantum ad se, effectus, qui ad conversionem & necessarii sunt, & sufficiunt, quos inter & perfectissimus, non aliqualis tantum, assensus est, in homine producere, ut tamen conversio ipsa ex rationibus quibusvis temporalibus non sequatur. Quæ adeo certa sunt, ut ab iis ipsis admittantur, quos in subsidium causæ suæ Halenses unice adducunt, qua de re suo loco dicetur.

III. Porro si datur vi gratiæ prævenientis, præparantis & perficientis, in homine irregenito notitia & assensus, Divinis mysteriis adpositus, qua confidentia scribere auctor Disputationis potuit p. 35. *mere naturalia esse docti hominis irregeniti dona, negari nequit.* Imo qua vel specie affirmari id potest, cum inter præcipua ministri irregeniti dona, per istud gratiarum choragium à Spiritu S. accepta, sit Dvinorum mysteriorum & œconomiæ salutis notitia, ex qua profluit peritia & prudentia eadem populo proponendi? Nec ratio, qua temerariam suam assertionem probat Disputator, ullius momenti est: *propterea*, inquit, *quod, quamdiu minister irregenitus est, resistit efficaciæ Spiritus Sancti, sine qua admissa non datur supernaturalis illuminatio, nec regeneratio, quæ divelli non possunt.*

sunt. Talia proinde irregeniti dona reduplicative spectata, an idonea erunt ad regenerandum? Quid absurdius? Irregenitus quo pacto regenerabit? Non existens spiritualis, quomodo generabit spiritualem? Nam respondetur I. si minister, quamdiu irregenitus est, resistit efficaciæ Spiritus Sancti, tum nullam unquam rerum sacrarum notitiam in quocunque conversionis ordine graduque acquirit. Hæc enim est effectus gratiæ, hominem ad conversionem suam præparantis. At quid hoc est absurdius? II. Resistere dicitur vel generatim de omnibus gratiæ gradibus, vel de quibusdam. Minister irregenitus, quamdiu irregenitus est, ultimo conversionis gradui resistit, sed non omnibus antecedentibus, quorum vel uni vel pluribus locum, quantumlibet irregenitus, relinquit. Id si fieri non posset, frustra DEUS gratia sua supernaturali per gradus procederet, aut certe in omnibus gratiæ gradibus irresistibiliter ageret. Quo quid absurdius? III Sine admissa gratia Spiritus S. in omni gradu gratiæ non datur ulla supernaturalis illuminatio, concedo. At sine admissa unius alteriusque gradus gratia datur aliqua illuminatio, dummodo alicui gratiæ gradui locus fuerit relictus. Qui enim per gratiam prævenientem & præparantem notitiam verbi Divini accepit, is in tantum illuminatus est, in quantum notitiæ & veritatis lumen accepit. Nec enim illuminatum non est conclave, quia non ad perfectum gradum est illuminatum. IV. Si irregenitus regenerare non potest, omnes infantes ab hypocrita vel impio ministro baptizati rebaptizandi erunt. Quo quid absurdius? V. Si quæritur, irregenitus quomodo regeneret, respondendum est regenerare non propria sed verbi virtute. Nec enim regenitus vi suæ regenerationis regenerat, sed ratione officii regenerandi, sibi a DEO commissi. Sicut vicarius Principis Remp. gubernat, non quia princeps est, sed quia Principis personam gerit, quomodocunque de cætero quoad virtutes & vitia sit comparatus. Ita Rex Doctorem creat, quamquam doctor non sit & aurifaber aureum poculum fabricat, quamquam ipse neque aureus sit neque poculum. Quamquam illuminatio & regeneratio divelli non possint, non tamen ideo, quicquid de illuminatione dicitur, id statim & de regeneratione dicendum est. Illuminatio enim vi ipsius vocis, quæ à lumine

dedu-

deducitur, gradus admittit, ut possit quis vel pedetentim illuminari vel in momento. At regeneratio vi vocis ut generatio in instanti perficitur. Ut homo non successive sed simul in momento egrediendo nascitur. Unde non commode dico, homo successive regeneratur, cum juxta plerosque Theologos regeneratio fiat in instanti. Recte autem dico: homo successive illuminatur. Quamquam & recto sensu non originem vocis respiciendo, sed usum, dici possit, & regenerationem & conversionem successive & per partes fieri, ut qui nondum in omnibus intellectum necessaria articulorum fidei cognitione instruxit, illuminatus, sed in tantum & partialiter dicitur, idem & regeneratus & conversus in tantum & partialiter dici possit. Ad eum nempe modum, quo & alia similia vocabula usurpantur, ut v. g. carnalis dicatur modo, qui carnis operibus totus immersus est, Rom. IIX. 5. 6. 7. modo, qui à carnis concupiscentiis tantum sollicitatur, resistente & vincente quamlibet Spiritu, Rom. VII. 14. Quo duplici sensu & voces, regenitus, conversus, spiritualis, aliæque pro diversis, in quibus usurpantur, locis & circumstantiis accipi dubitari non debet. Denique VII. quid illa disputantis limitatio: *talia irregeniti dona reduplicativè accepta non sunt idonea ad regenerandum;* sibi velit, conjicere difficile est. Si enim dona irregeniti sunt MERE naturalia, quomodo aliter accipi possunt, quam reduplicative, id est, qua sunt naturalia? Hæc ipsa auctoris restrictio aperte arguit, vi veritatis ipsum in conscientia convictum fuisse, dona irregenitorum, ex Scripturæ lectione hausta, non esse mere naturalia, sed de supernaturalitate simul aliquid participare; qua tamen naturalia sunt, ad regenerandum non esse idonea. Quod & facile conceditur. Ipsa lectio Scripturæ in se naturalis est, & sub hac reduplicatione, quâ naturalis est, ad convertendum hominem idonea non est. Sed qua lectio illa Spiritu in Scriptura latente & cum lectione necessario connexo quasi imprægnata est, in tantum & sub hac reduplicatione spiritualis est, adeoque hoc ipso ad regenerandum idonea.

APHORISMVS VII.

Effectus illos graduum gratiæ, ultimum conversionis momentum antecedentes, esse à gratia Spiritus Sancti supernaturali, non à natura, universalis est Theologorum consensus.

I.

DOct. *Jo. Frid. Kœnigius*, in Theologia Positivo-Acroamatica, quæ apud nos quasi Symbolici libri auctoritatem obtinet, Part. III. §. 504. seq. ubi ordinem Divinæ gratiæ recenset, gradus singulos Spiritus Sancti operationi, non naturæ adscribit & operantem, quam vocat, gratiam, quæ ultimam perficientem antecedit atque adeo in irregenito adhuc negotiosa est, ait esse *universalem Divinæ affectionis dispensationem, qua SPIRITVS S.* non natura, *in homine externam & literalem credendorum notitiam, cum assensu historico,* fiduciali nempe opposito, *VIRESQVE SVPERNATVRALES agnoscendi peccatum ex lege, assentiendi salutariter verbo Evangelii & credendi in Christum, mediante verbo producit.* Ecce in homine nondum regenito, neque forte unquam ultimo regenerando, datur notitia rerum sacrarum, quam externam & literalem vocat, quia non ad internam usque ipsius animi per fidem in Christum conversionem progreditur, & assensus, immo *supernaturales vires credendi* in Christum. Quem nempe ex verbo eousque habitualiter cognoscere poterat, ut causam nullam haberet salutarem in ipsum fiduciam haud ponendi, nisi amore rerum terrenarum retraheretur, adeoque conversioni ipse suæ resisteret, juxta §. 510.

II. *D. Hülsemannus* de Auxiliis gratiæ pag. 107. *Hoc discrimen tenaciter observandum est, ne gratiæ prævenientis nomine natura vestiatur, quam cum communiore gratia non solum non reciprocari, sed cum eadem, omni gratiæ ad conversionem directe ducenti,*

ducenti, opponi concedimus, ipsique contendimus. Quod fusius & ex instituto ex parabola à Christo proposita Matth. XIII. 12. seq. comprobat, ex qua evidenter pateat, quod modus ordinarius convertendi homines per seminationem verbi describatur, omnem nempe conversionem, i. e. illuminationem mentis & renovationem voluntatis fieri successive, non in instanti, neque irresistibiliter. Neque per naturam, ut Calviniani locum exponant, sed supernaturali gratia. *D. Georg. Calixtus*, Tractatu de Pactis §. XIIX. & L. *Evangelium ex parte DEI est organum, per quod efficitur salus hominis. Per Evangelium verò suppeditantur dona atque auxilia naturalibus viribus superiora, sine quibus fides haberi non potest. Non autem operatur potentia absoluta, sic enim omnes audientes obtemperare & credere oporteret, sed ita, ut Spiritui Sancto resistere & operationem ejus per auditum inchoatam interrumpere aut excutere possint.* Unde eleganti sententia concludit: *Quum dicimus, DEUM donare & impertire facultatem & vires, Pelagianismum declinamus. Cum addimus, per annunciatum & auditum Evangelium, Enthusiasmos repudiamus. Denique quum adjicimus, necessitatem non imponi, fatum vel absolutum decretum negamus.* Plane & eodem modo *D. Dannhawerus* in Hodosophia gradus illos gratiæ in prævenientem, operantem, perficientem & cooperantem, eorumque effectus in animo hominis excitatos, utpote compunctionem, illuminationem ad agnitionem & detestationem peccati, assensum, desiderium, vires credendi, propositum conversionis, apertionem cordis, emollitionem saxi, usque ad ipsum fidei eventum, ait esse *gratiam meritis Christi partam, oppositam naturæ & illi gratiæ, quam homo habet per creationem.* Phæn. IX. pag. 612.

III. *D. Jo. Ad. Osiander* in Coll. Syst. Part. IV. pag. 230. disputat, non à natura, sed à præveniente gratia esse compunctionem hominis irregeniti & cessationem morosæ repugnantiæ, sive ablationem cordis lapidei. Et pag. 335. primum gratiæ assistentis gradum facit illuminationem objectivam in verbi prædicatione, actualem item naturalis repugnantiæ inhibitionem, denique *dispensationem literalis notitiæ & historici assensus, in Evangelium, nec non generalem fiduciam in DEum & mediante lege contritionis productionem.* Dum notitiam literalem vocat, non in-

telligit dæmoniacam illam novatorum, quæ â gratia Spiritus Sancti assistente seu præparante esse non potest, sed verum sacrarum Literarum sensum, una cum assensu, Divinis mysteriis præbito & fiducia in DEI bonitatem generali, quibusque adeo ad plenam conversionem nihil desit, nisi fiducialis cognitorum applicatio & vita tanto beneficio digna.

IV. *D. Quenstedtius* in System. Part. III. p. 493. seq. *Præveniens gratia*, quam postea ex *Hülsemanno* perpetuo & indivulso nexu cum verbo DEI conjunctam esse ait, *offert verbum & mediante eo objectum salvificum, ac naturalem incapacitatem & inidoneitatem quoad spiritualia tollit; deinde gratia præparans per illud verbum agit, repugnantiam cohibendo, cor legis pulsu afficiendo, Evangelium explicando. Ubi homo nondum renatus per assistentem Spiritus Sancti gratiam audire verbum ἠθικῶς, sentire legis pulsum & contritionem potest. Hancque suam operationem per gratiam præparantem Spiritus S. continuat, QVOAD VSQVE CAPACEM hominem reddat ad recipiendum summum illud bonum translationis è morte & statu iræ ad vitam & statum gratiæ.* Ecce homo irregenitus omnem eam notitiam rerum sacrarum & voluntatis inclinationem ad recipiendum summum bonum ex gratia supernaturali habere potest, quæ requiritur ad id, ut ultimum conversionis punctum consequatur. Postea allegato eam in rem etiam *D. Dorscheo* ad gratiam excitantem refert externam & literalem credendorum notitiam & assensum historicum Evangelii & generalem quandam fiduciam in DEUM, de quibus ait pag. 495. *Evangelii literalis cognitio nullo modo absque gratia haberi, multo minus ergo eidem historice quis assentiri potest.* Ita quoque in pulcerrimis de Gratia conversionis concionibus *M. Otto Henrici*, ubi ait p. 33. Die vorkommende Gnade würcket kräfftig eine Veränderung des Hertzens/ indem das harte Hertz wird in ein fleischernes verwandelt/ nicht durch ein bloſſes Bereden/ Ermahnen und Bewegen/ wie ein Mensch den andern zu bereden pfleget/ welches zwar gnugsam wäre/ wann unser Hertz gnugsame Kräffte hätte/ jenen Beredungen zu folgen/ aber nun/ da das Hertz untüchtig ist/ geschicht es durch eine übernatürliche Göttliche Krafft/ welche an die Seele kommt und das Hertz ändert.

Und

Und solche Aenderung geschicht mittelbahrer Weise/ nemlich durch das göttliche Wort. de Compunctione ait pag. 44. Der Mensch kan nicht wehren/ daß ihme von der Gnad keine Bewegungen solten gemacht werden/ welches auch der Gottloseste würde gestehen müssen/ daß ihm oft bey seinen Sünden Gedancken einkommen/ es seye gleichwohl nicht recht/ ob sie wohl dieselben so fort als Melancholisch vertreiben/ weil die Vernunfft sich mit Fleisch und Blut bespricht und die Würckungen der Gnaden nicht verstehet. Præparantis gratiæ hos pariter in homine effectus constituit p. 89. seq. Erstlich so wird die Widerspenstigkeit je mehr und mehr geschwächet und weggenommen. Die andere Frucht ist die Erkändtnüß der Sünden und eine ernstliche Reue über dieselbe. Die dritte ist das Fühlen des göttlichen Zorns und Fluches des Gesetzes. Die vierdte die Eröffnung des Verstandes. Unter dieser Gnad weiß ein Hertz/ daß Christus dem Menschen gemacht sey zur Weißheit/ zur Gerechtigkeit/ zur Heiligung und zur Erlösung. Er weiß/ daß Er sey der Weg/ die Warheit und das Leben/ daß GOtt durch Christum versöhnet und daß für alle Welt ein Löß-Geld abgestattet sey. Und dieses hat Fleisch und Blut nicht geoffenbahret/ sondern der Vater in dem Himmel. JEsus hat das Verständnüß geöffnet. Der Heil. Geist hat das Hertz auffgethan. Die fünffte Frucht ist der Beyfall in dem Hertzen. Und daß deswegen/ weil es GOttes Wort saget/ dadurch das Hertz inwendig überzeuget ist/ mit einem göttlichen Glauben/ also daß ers für wahr hält/ wann gleich tausend Leute sagten/ es wäre nicht also. Die sechste das brünstige Verlangen nach Vergebung der Sünden und der Göttlichen Gnade. Hæc omnia antecedunt juxta hunc Theologum gratiam perficientem, adeoque sunt in homine adhuc irregenito. Quippe fieri potest, ut hæc perficiens gratia nunquam sequatur, cum omnibus gratiæ gradibus, quominus ultimata conversio sequatur, possit resisti.

V. Ne plures paginas, in re quippe clariſſima, oppleamus, provocamus denique ad ipſum Diſputationis Halenſis Præſidem, qui quamquam ſtudioſe defugiat, quo minus ſpeciatim determinet, quinam ſint in homine effectus gratiæ prævenientis & præparantis, tamen aliquando non omnino potuit reticere & defugere veritatis confeſſionem. Nam in Theſibus credendorum pag. 129. gratiam prævenientem *fundari dicit in eo, quod nec incipere ſit noſtrum, ſed bona cogitatio, deſiderium, propoſitum ſit donum Spiritus Sancti.* Ecce in homine nondum regenito, ſeu irregenito eſt donum Spiriritus Sancti. Ergone jam Spiritui Sancto cum irregenito convenit? Et bona iſta cogitatio & deſiderium & propoſitum anne ſine vera cogitatorum, deſideratorum & propoſitorum notitia eſſe poſſunt? Anne ignoti eſt aliqua cupido? Et ſi Spiritus Sancti donum eſt notitia cogitatorum, deſideratorum, propoſitorum, anne hæc notitia falſa & diabolica eſſe poteſt? An poteſt eſſe non ſpiritualis, cum ſit donum Spiritus Sancti, à Spiritu Sancto effectum? An poteſt hæc notitia eſſe non vera, cum ſit à Spiritu omnis veritatis? Joh. XV. 26. An bona cogitatio ſine Spiritu Sancto eſſe poteſt, cum *nihil cogitare poſſimus ex nobis ipſis tanquam ex nobis?* 2. Cor. III. 5. An bonum deſiderium ſine Spiritu Sancto eſſe poteſt, *cum quid petere debeamus, ut decet, planè ignoremus?* Rom. IIX. 26. An proponere nobis bonum quid, quod efficere velimus, poſſumus, cum *omnes viæ viri ſint quidem puræ in oculis ipſius, ſed eas diſponat ſolus Spiritus Jehovæ?* Prov. XVI. v. 2. 9. Ita veritatem profeſſus eſt Theſium auctor, qui tamen nihil minus quam hanc profiteri voluit. Tanta eſt ejus vis.

IV. Priusquam hinc abeamus, tacita diluenda eſt objectio, quæ ex communi Theologorum loquendi ratione deſumitur, quâ nixi dicto Paulino, 1. Cor. II. 14. 15. aſſerunt, hominem animalem, qui ſpiritualis ſeu regenitus non ſit, intelligere ea, quæ Spiritus ſunt, nullo modo poſſe. Ad quam reſpondetur I. illos ſimul omnes & hoc aſſerere, quod ex ſupernaturali Spiritus Sancti gratia, vi gratiæ prævenientis & præparantis, in homine convertendo, adeoque irregenito, producatur *externa & literalis credendorum noti-*

notitia & assensus Evangelii historicus, ceu supra fuse probavimus. Quomodo vero cum hac assertione stare potest illa altera: hominem irregenitum non posse intelligere ea, quæ sunt Spiritus; quæ inter præcipuo loco est verus & literalis Scripturarum sensus, ex quo cætera omnia, quæ voluntatis sunt, tanquam ex origine sua profluunt? II. In loco Paulino non dicitur: hominem irregenitum non posse intelligere, quæ sunt Spiritus DEI, sed hominem animalem seu naturalem, qua nimirum alio principio quam natura instructus non est, non intelligere ea, quæ sunt Spiritus. Cum vero homo irregenitus ea, quæ Spiritus sunt, intelligit, ea intelligit, non qua naturalis est, sed qua ad naturam revelatio, tanquam superius principium accessit. III. Homo regenitus & irregenitus, spiritualis item & animalis, pariter duplici modo dicuntur, vel ut intelligantur tales ex toto vel ex parte, vel absolute vel secundum quid. Ex toto regenitus & spiritualis dicitur, qui eousque illuminatus atque conversus est, ut vera fiducia in Christum & vita hac fide digna sit instructus. Ex parte & secundum quid, qui ad hunc apicem non ascendit & tamen *bonam* verboque Divino conformem cogitationem, desiderium & propositum jam assecutus est. *D. Seb. Schmidius*, in collegio Biblico posteriori pag. 164. *Homo animalis absolute consideratus, talis est, ut nihil suscipiat vel capiat eorum, quæ sunt Spiritus DEI: interim subjective potest esse ψυχικὸς animalis, qui aliquid intelligit eorum, quæ sunt spiritus DEI. Non quidem qua talis, sed qua jam á Spiritu DEI imperfecte illuminatus.* Ita & spiritualis absolute est, qui ductum Spiritus in omnibus, quæ ipsi necessaria sunt, sequitur, secundum quid, qui in nonnullis. Nec mirum hoc nobis videri debet, cum & Carnalis vox, quæ spirtuali opponitur, ceu jam supra monuimus, cum dupluci hac differentia dicatur. Itaque cum Theologi nostri asserunt, solum regenitum veram habere rerum Divinarum notitiam, de regeniti voce utroque significatu accepta id intelligunt, nisi sibimetipsis in faciem contradicere sint dicendi.

APHO-

APHORISMVS IIX.

Neque diversum hac in re sentit, qui tanta cum pompa ab adversa parte adducitur, Salanæ quondam Ac. D. Jo. Musæus.

I.

UT in hujus Theologi auctoritate eo glorioſius triumphare Diſputationis Auctor poſſit, Muſæum *accuratiſſimum* appellat *Jenenſium Theologum*, eundemque *omnibus calumniis ſuperiorem*: accinitque tumultuoſiſſimus ſcribaciſſimusque hodie Barbariſex, cujus ſunt iſta: *D. Jo. Muſæus, Theologus pie eruditiſſimus & limatiſſimo judicio inſtructus, ob ſua in Eccleſiam merita nominis celebritate inclaruit.* Nec vero hoc tantum encomium vir longe lateque celeberrimus, ſed majora etiam ob eruditionem & à melioribus jamdiu promeruerit. Sed tamen ideo neque cauſæ adverſæ acceſſit, neque ſi acceſſiſſet, ſententia illius veritati præjudicium crearet.

II. De quo ut rectius conſtet, oſtendendum nobis ante omnia eſt, non aliam de ordine & gradibus converſionis doctrinam *D. Muſæum*, quam hactenus à nobis propoſita eſt, foviſſe. Nempe in tractatu minore de Converſione, Diſp. V. fuſe adverſus Calvinianos propugnat, converſionem hominis eſſe ſucceſſivam & in omnibus gradibus reſiſtibilem. Probat §. XXX. ab ipſa verbi Divini efficacia, *quæ ſeſe exerit in homine convertendo, quando voluntati ejus mediante intellectus cognitione, rerum ſpiritualium bonitatem exhibet*, (ergo primus quaſi gratiæ ſupernaturalis gradus èſt, producere ante omnia notitiam intellectu rerum ſpiritualium) & *Spiritus S. ſimul cum verbo in ipſius animum influit & novos in ipſo motus & actus SPIRITUALES accendit Et primum quidem, cum converſio inchoatur, in mente excitatur ſancta quædam de rebus Divinis cogitatio, conjuncta cum voluntatis pio quodam deſiderio, vel conatu ſaltem, tendente in illa ut acquirenda. Tale forſan conver-*

conversionis initium Lydiæ, purpurarum venditrici, Actor. XVI. 14. *erat apertio cordis, posita vel in desiderio quodam attendendi sermoni Paulino, vel, quod verisimilius, in inspirata cogitatione sancta de ipsis fidei mysteriis, & desiderio quodam bonorum spiritualium, quo incitata fuit ad diligentius attendendum & discendum, quæ ad salutem per Christum obtinendam creditu essent necessaria. Verum hisce nondum absolvitur conversio.* Ecce juxta *Musæum* ab homine nondum converso, adeoque irregenito, rerum spiritualium bonitas apprehenditur, Spiritus Sanct. in ejus animum influit, novos in illo motus & actus spirituales excitat, unde nascitur apertio cordis, sancta cogitatio de rebus Divinis, pium desiderium & conatus acquirendi animæ suæ salutem! Et hæc quidem universa MEDIANTE INTELLECTVS COGNITIONE efficiuntur. Anne amplius dubitabis, Disputator, juxta *D. Musæum*, notitiam rerum sacrarum, eamque affectuosam & obsequiosam, adeoque veram imò verissimam, inque plurimas & salutares voluntatis virtutes diffusam, in homine adhuc irregenito à Spiritu S. ejusque gratia supernaturali produci? Sed videamus in *Musæo* & reliqua. Cum dixisset, illis omnibus intellectus & voluntatis motibus, optimis & Divinissimis, ab homine nihilominus resisti posse, quo minus in plenam perfectamque conversionem progrediantur, probat hoc exemplo parabolæ de semine, Matth. XIII. 3. seq. quod in petrosam agri partem conjectum eos denotet, *qui verbum DEI quidem audiunt & cum gaudio suscipiunt,* §. LI. (quomodo vero cum gaudio non audire tantum, sed & suscipere poterant, nisi verum ejus sensum percepissent, adeoque veram notitiam rerum sacrarum habuissent? Anne gaudium ex Diabolica notitia oriri potest?) *sed postea rerum terrenarum amore deliniti, verbo, quo minus in cordibus ipsorum radices agere possit, obstaculum ponunt.* Id quod pressius §. LIII. enunciat, nempe qui cum gaudio verbum susceperint, jam tum nonnullas SPIRITVALES VIRES ADEPTOS esse, (quanta vero hæc est Disputatori Halensi in Spiritum S. injuria & impietas? An enim Spiritus S. poterit esse in corde impuro & irregenito?) *ut juxta monitum Pauli Spiritu actiones corporis mortificare, & veterem*

hominem deponere atque crucifigere posſent, imo *per gratiam acceptam DEI auxilium implorare & majores impetrare vires*, juxta Matth. VI. 7. 8. Unde & concludit §. LV. *apparet in DEO culpam non esse*, quo minus convertantur, *vel inde, quod in secundi vel tertii ordinis hominibus*, parte nempe agri petrosa & spinosa, *eousque progreditur efficacia verbi, ut consensus cum aliquo gaudio in eorum voluntate eliciatur, quod non fieret, nisi DEUS per verbum suum efficaciter in iis operaretur.* Atque ita quidem *D. Musæus;* ex quibus sole clarius est, juxta ipsum in homine irregenito dari & operationes Spiritus Sancti supernaturales & notitiam seu cognitionem mysteriorum fidei cum gaudio affectuosam & hactenus DEO, qui hoc ipsum per verbum suum intenderat, obsequiosam.

III. Dices: alibi in eodem Tractatu *D. Musæum* docere, ex mera verborum Scripturæ indole, citra specialem concursum & operationem Spiritus Sancti hauriri posse notitiam rerum sacrarum certam, imo *verissimam & certissimam*, Disp. IV. §. XXII. assensum quoque qualemcunque, sed eum, qui Divina & immota fide nitatur, nonnisi à regeneratis. §. XLIV. Ad quod sciendum, ea equidem de re inter ipsum & *D. Calovium*, cui cæteri Theologi Saxonici calculum addiderunt, disputatum esse. Nobis vero nunc quidem opus non est, ut huic controversiæ involvamur. Sufficit, in adductis à nobis ex *Musæo* locis sole clarius esse, aliquam illum hominis irregeniti notitiam & quidem affectuosam, à Spiritus Sancti supernaturali virtute derivare. Quod sufficit ad id, ut ostendatur, falso gloriari Disputatorem, ac si *Musæus* secum doceret: *notitiam irregeniti non ita veram esse, ut à Spir. S. originem habeat, nec modo hausta sit ex verbo DEI, sed etiam eidem conformis esse perhibeatur.* Hoc enim rotundis verbis asserit *Musæus;* & si præterea asserit, certam & Divina fide immotam sacrorum notitiam nonnisi a regenito haberi posse, de cujus contrario nos persuasissimi sumus, licebit nobis â tanto Doctore discedere. Qua vero de re mox amplius à nobis dicendum est.

IV.

IV. Existimat enim Disputator §. IIX. ipsa meridie clarius esse, quod *Musæus* in Tractatu de Conversione majore & introductione in Theologiam diserte doceat, primam veritatem revelantem intellectum in sui assensum per se immediate movere non posse, nisi etiam voluntatem afficiat & pulset. Unde quamvis Theologia sit formaliter habitus intellectus in iis, quæ nostræ salutis causa revelata sunt, tradendis, confirmandis & defendendis occupatus, ex parte tamen voluntatis connotet habitum quendam, quem piæ affectionis vocant, quo scilicet voluntas erga primam veritatem revelantem, ejusque in Scripturis Propheticis & Apostolicis contentam revelationem, pie affecta & prompta reddatur ad captivandum intellectum, si forte suis διαλογισμοῖς obsistat, in ejus obsequium, eumque ad assensum moveat imperio suo determinandum. Unde & Theologiam in substantia sua esse habitum supernaturalem, cujus ratio assentiendi ultima sit Divina revelatio. Et quæ ex *Musæo* per aliquot pagellas in eandem sententiam allegat. Quæ vero omnia nec una quidem litera adversa sunt iis, quæ in Tractatu de Conversione minore asseruerat. Nam & in homine irregenito ratio assentiendi revelatis ultima est prima veritas revelans qua revelans. Est enim assensus ille effectus à gratia spiritus Sancti supernaturali, & quidem per verbum DEI, qua DEI verbum est, adeoque prima veritas revelans qua revelans est. A qua si non esset, non esset à peculiari operatione Spiritus Sancti. Præterea eidem conjunctus est habitus piæ affectionis, *sancta cogitatio, pium desiderium, receptio verbi cum gaudio, desiderium salutis æternæ.* Et quamquam hæc universa in majori gradu in regenitis esse asseveret *Musæus*, ideo tamen illa ipsa, quæ minoris gradus sunt, non desinunt esse vera & à Spiritu Sancto effecta, cum & hic verum sit, magis & minus non variare speciem. Ut interea liberum nobis sit credere, tantam posse esse in homine irregenito sacrorum notitiam, præcisa ad fiducialem Christi apprehensionem adplicatione, quanta est in homine regenito; quia Spiritus Sancti in irregenitis manus non sunt coarctatæ, quo minus eosdem

ad ipsum usque quasi conversionis suæ ostium & introitum possit adducere. Quam frustranea itaque in tanta allegatorum mole insumpta est opera, cum omnia à nobis salva sententia nostra possint utraque manu admitti?

V. Non viderunt Disputantes, aut studio dissimularunt *D. Velthemii*, successoris Musæani, Tractatum de Theologia acroamatica, qui data quasi opera ideo scriptus esse videtur, ut eximeret lectoribus Musæanorum scrupulum, ac si tantus vir ea fuerit in opinione, quod vera Theologia seu vera sacrorum notitia non possit esse sine fide salvifica, nec adeo nisi in homine regenito. Postquam quæstionem proposuisset: *an vera & orthodoxa Theologia possit esse sine vera fide?* rationes pro affirmante & negante producit & cautelas nonnullas adhibendas esse monet. In quibus notat: non posse salva lege Divina salvaque Theologi conscientia Theologiam esse sine vera fide. Quod utique omnes facile concesserint. Deinde distinguit inter fidem salvificam, quæ deprehendatur etiam in Theologia hominis irregeniti, & inter fidem actu salvantem, quæ non sit nisi in homine regenito. Tum verò concludit: ut Medici Doctoris sit, non seipsum, sed alios curare: ita Theologum, dum curam propriæ animæ, fidem actualem acquirendo, gerit, non se ut Theologum, sed ut speciali cura egentem, curare. Aliud enim esse finem artis, aliud artificis. Quem cum longa opera comprobasset, ad objectiones ex Musæo, quas & disputator noster repetiit, hunc in modum respondet: *Etiamsi largiamur, non omne donum ministrans per se & in sua natura spectatum, esse absque gratia DEI speciali, sed dari quoque donum ministrans in substantia sua supernaturale, inque ratione sua formali dependens à gratia DEI speciali, ipsamque Theologiam esse habitum per se & in substantia supernaturalem, cumque gratia DEI speciali conjunctum, eò quod veræ & orthodoxæ Theologiæ ratio assentiendi propria sit revelatio Divina specialis, per Scripturam Canonicam facta & non movens intellectum humanum in sui assensum nisi speciali DEI gratia, (quæ etiam supernaturalis DEI concursus nomine nuncupatur,) qua videlicet intellectus hominis movetur ad credendum Divinam specialem illam revelationem propter semetipsam, ut adeo elevatione à supernatu-*

naturali DEI gratia & concursu facto opus sit: inde tamen nondum sequitur, veram & orthodoxam Theologiam in possessore suo non posse dari absque fide salvifica, quia assensus ille supernaturalis, quem hic vel ille Doctor præbet Scripturæ Sacræ canonicæ & inde deductæ veræ & orthodoxæ Theologiæ, potest esse sine salutari fiducia in Christo merito posita. Non enim à subtractione gratiæ Divinæ specialis ad fidem, pro actu voluntatis sumptam, necessariæ, vel ab ejus cessationem omnis gratiæ specialis Divinæ valet consequentia. Quo sensu *Musæum* dicentem, *Theologiam includere fidem Divinitus datam;* item, *fidem includi in Theologia proprie dicta*, interpretatur non de fide justificante, sed de fide, quæ DEO revelanti & animum supernaturali virtute commoventi credit. Ididem illud est, quod in toto hoc Aphorismo ostendimus: DEUM in homine ad regenerationem tendente supernaturali verbi virtute efficere notitiam credendorum & per eandem piæ affectionis habitum.

APHORISMVS IX.

Eosdem gratiæ gradus in illuminante quoque gratia ita deprehendi, ut admisso & impetrato à Spiritu Sancto uno, alteri tamen possit resisti, homoque particulariter illuminatus irregenitus manere, ex se intelligitur.

I.

EST enim gratiæ generatim acceptæ ea ratio, ut per gradus ordinate & successive agat, quorum tamen singulis vel resisti possit, vel iidem possint admitti. Ex quo invicte sequitur, primum secundumque gratiæ supernaturaliter hominem illuminaturæ gradum posse admitti, adeoque in iisdem hominem illuminari, & tertium gradum repelli, adeoque hominem partialiter & in duobus illuminatum irregenitum manere. Contradictio in adjecto est,

gratiam ſucceſſive & reſiſtibiliter agere, & tamen hominem in primo gradu à Spiritu Sancto illuminatum non eſſe vere illuminatum, quando ſecundo illuminationis gradui reſiſtit. Eſt enim primus illuminationis gradus perinde à Spiritu S. ac ſecundus tertiusque & uni perinde ut alteri poteſt reſiſti. Ipſo ſole meridiano clarius hinc ſequitur, hominem vere & à Spiritu Sancto illuminari poſſe, qui tamen irregenitus eſt & irregenitus manet.

II. Non poteſt hoc inficiari *celeberrimus & Orthodoxotatos Lipſienſium Theologus*, judicio acti prope ad furorem Pietiſtæ, *Joach. Langii, D. Joannes Olearius*, qui in Diſp. de Illuminatione Theſ. XIIX. ſq. *Facile* ait, *intelligitur, quomodo illuminatio, dum in abolendo termino à quo occupatur, ſimul tendat in acquirendum terminum ad quem formalem, ſeu fidem habitualem in Chriſtum, nempe per ipſos actus & motus fidei, qui in animo hominis illuminandi Divina virtute excitantur, primum quidem languidiores aut tenuiores, deinde ſicut crebrius iterati, ita fortiores aut firmiores, donec auctis viribus lux fidei habitualis producatur.* Quam ſucceſſivam illuminationem poſtea verbis Chemnitii & Hutteri comprobat. Per actus & motus fidei non poſſunt ipſi fidei jam exiſtentis effectus intelligi, quippe quæ demum producenda eſt, ſed intelliguntur actus & motus ad fidem efficiendam tendentes; quod vel ex eo evidens eſt, quod eam in rem *D. Muſæum* allegat, qui motus illos vocaverat apertionem cordis, pium deſiderium, ſanctam cogitationem, quæ ſingula *mediante intellectus cogitatione* ſeu *Notitia* excitentur, ut tamen HIS NONDUM ABSOLVATUR CONVERSIO. Quid vero clarius eſt, quam à Spiritu Sancto in homine irregenito motus excitari illuminativos, modo tenuiores, modo fortiores, donec auctis viribus lux fidei habitualis producatur? Illuminatio igitur partialis eſſe poterit, eaque vera & à ſupernaturali gratia effecta, antequam homo ſit converſus & regenitus. Et quid ulteriori teſtimonio opus eſt? In ſequente paragrapho *D. Olearius* diſertè fatetur, illuminationem fieri ſucceſſive, nec enim fidem uno momento totam infundi, ſed gratiam illuminativam ſuos gradus habere, iisdemque omnibus poſſe vel reſiſti, vel eosdem poſſe admitti.

mitti. *Ipsi gratiæ illuminatrici, intrinsecus operaturæ, malitiosè repugnare possunt, & sæpe solent, atque impediunt illuminationem suam, seu inchoandam seu perficiendam.* Seu inchoandam, inquit, seu consummandam. Ergo potest illuminatio inchoari à Spiritu Sancto & tamen non consummari. Id illuminari incipere vocat *operari in nobis vires Spirituales credendi & spirituales motus inspirare.* Quid clarius est, quam hominem irregenitum, qui admisit quidem initium illuminationis, sed impedivit tamen illuminationem perficiendam, habere *spirituales vires credendi & spirituales motus?* Qui nihil aliud esse possunt quam notitia rerum sacrarum, quibus fides in Christum excitatur, tanquam per primum fidei gradum, sine quo ad ipsam fiduciam deveniri non potest. Tanta est veritatis vis, ut eandem profiteantur, qui ipsi eam se profiteri ignorant, aliis nempe verbis veritatem negantes, aliis eandem contra propriam voluntatem asserentes.

III. Sed audiamus Theologum eodem prorsus modo in nupero se Programmate Pentecostali implicantem. Primo ait, Christum ante ostium stantem quasi pulsare, & *Spiritum Sanctum ostium per verbum auditum & lectum aperire.* Addi debet: per verbum non auditum tantum & lectum, sed intellectum quoque atque ad animum revocatum. Nec enim nuda lectio & auditio verbi vi quadam magica, ipsis syllabis & literis indita, agit, sed mediante vero ejus sensu, & consideratis, quas complectitur, rationibus, quibus (non vero nudis vocibus & syllabis) Divina supernaturalis virtus adstricta est. Ergo notitia verbi, verique illius sensus aperit ostium cordis, ut Christus introeat, nisi voluntatis malitia repellatur. Tum pergit *sola hæc Spiritus Sancti illuminatio,* per lectionem & lectorum veram notitiam recepta, *veram & solidam DEI rerumque Divinarum cognitionem, quæ hoc nomine digna sit, operatur: quæ tamen non simul & semel in homine perficitur;* adeoque quædam illuminatio est partialis, quædam totalis, utraque vero est vera, quia est à Spiritu Sancto, sicut quælibet operatio hominis, sive partem tantum efficiat alicujus rei, sive rem totam, est humana, quia est ab homine

ne: non tamen utraque est solida, solidi vocem pro perfecto accipiendo. Si utraque solida & perfecta esset, non successive & per gradus in homine perficeretur. Iterum: *Sed filios DEI in hoc lumine crescere oportet.* (Non de his sermo erat, sed de iis, quorum ostium per gratiam prævenientem pulsat Christus, h. e. de irregenitis, qui nondum sunt filii DEI) *Utut vero illuminatio præcipue ad intellectum spectet, simul tamen etiam virtute pollet, voluntatem corrigendi & sanctificandi.* (Rectè: virtute pollet. Sed non omne, quod virtute pollet quidpiam efficiendi, id statim ipso actu efficit) *Sunt enim hæc duo inseparabilia, ut cujus intellectus verè illuminatur, ejus etiam voluntas necessario in bonum flectatur.* Quod si verum est, falsum erit illud: *scio meliora, proboque, deteriora sequor.* Nec quisquam unquam contra propriam scientiam peccabit. Et si intellectus illuminati & voluntas necessario in bonum flectitur, irresistibiliter agetur, quod negat ipse Theologus, qui illuminantem gratiam resistibilem esse docet. Denuo: *Qui non habet voluntatem sanctificatam, pro vere illuminato haberi nequit.* Ergo servus ille, qui voluntatem Domini sui non faciebat, non erat eousque veræ scientiæ lumine illuminatus, ut, quid vellet Dominus, sciret. Præterea etiam in homine irregenito, qui gratiæ prævenientis & præparantis gradu à Spiritu Sancto adeoque veriſſime illuminatus est, voluntas verè in suo gradu sanctificata est, sanctificationis voce paulo latius accepta. Quippe juxta *D. Musæum*, aliosque Theologos accenditur in animo hominis istiusmodi *SANCTA quædam de rebus Divinis cogitatio, conjuncta cum voluntatis pio quodam desiderio.* Quæ est sanctificationis quædam species, unde & SANCTA cogitatio dicitur, quamquam ad illum sanctificationis gradum non ascendat, qualis postea datur in regenitis. Rursus: *Siquidem per hanc illuminationem vera fides in corde hominis accenditur, sed hæc per charitatem eo momento, quo accenditur, efficax est.* Sed non per omnem illuminationem, neque statim & primo illico illuminationis momento graduque fides accenditur, quia juxta ipsummet Theologum successive accenditur & quando lumen in primo secundoque

gratiæ

gratiæ gradu animo illatum est, antequam fides exoriri potest, expelli lumen & extingui potest. *Neque hæc tantum*, ait, *de Christianis plebejis, sed de ipsis non minus Theologis sunt intelligenda.* Imo, ut nempe plebeji in primis gradibus vere sunt illuminati, quamquam perfectius, si ad salutaris usque fidei consecutionem sunt illuminati: ita Ecclesiæ doctores perfectiores sunt Theologi, si fide etiam polleant, non tamen desinant esse veri Theologi, si careant fide, interea notitia eò excellentiore ad docendum alios gaudeant, quippe quæ ad primum secundumque gratiæ supernaturalis gradum pertinet. Hunc ipsum enim in finem indita est à Spiritu Sancto ministro, si vel maximè hoc ipse non credat, rerum sacrarum notitia, cum à notitia ex verbo hausta sit inseparabilis. Porro: *Theologia dicitur cognitio veritatis secundum pietatem. Videmus hic veram Theologiam in suo, ut loquuntur scholæ, conceptu formali, sinceram cordis pietatem involvere.* Omnis actio omnisque locutio hominis ex præcepto Apostoli cum invocatione nominis Divini fieri debet, Col. III. 17. Ergo omnis actio humana, omnisque locutio in conceptu suo formali invocationem Nominis Divini involvit. Quam absurda consequentia! Cognitio veritatis secundum pietatem est notitia veritatis, non omnis, etiam philosophicæ & gentilis, sed ἐυσεβείας, quæ meliorem DEI cultum, id est, pietatem vere Christianam & à Spiritu Sancto revelatam, quantum in se est, docet & ad eandem adducit. Iterum: *Theologus debet esse ad omne opus bonum perfecte instructus. Id qui fieri potest sine pietate?* Ad omne opus bonum ministerii sui, utpote ad informationem, ad redargutionem, ad correctionem, ad castigationem, cæterosque officii Ecclesiastici usus, quæ singula si cum vero DEI timore & pietate fiocentur, eo majorem sui usum in Ecclesiam diffundunt, si vero absque hac sint, dona tamen sunt DEI & Spiritus Sancti effectus. 1. Corinth. XII. 8. Ubi sapientia & scientia opponuntur fidei v. 9. adeoque sine fide esse & tamen à Spiritu Sancto esse possunt. Ita Gerhardus & Balduinus. Denuo: *sole meridiano clarius est, hominem sine reditu*

& converſione ad DEUM non poſſe illuminari. Quæ enim ſocietas lucis ad tenebras? Aut ſenſus eſt, hominem illuminari non poſſe, niſi prius fuerit converſus & regeneratus. Et tum quid opus eſt illuminatione, ſi homo jam eſt converſus? Aut ſenſus eſt, hominem ſi illuminari velit, debere ſimul converti ab impietate ad pietatem. Et tum quo pacto ab impietate avertere ſe ad pietatem poterit, niſi prius intellectus ejus fuerit illuminatus, ut ſciat, quid ſit pietas & impietas & qua ratione ab impietate ad pietatem progrediendum ſit. Ita me DEUS amet, præ ficta pictaque pietate quid loquantur novatores, ſæpe ignorant. Rurſus: *Tenebræ iſtæ ſunt injuſtitia. Lux autem eſt vera Chriſti cognitio. Quæ duo in unam ſocietatem coire nequeunt, adeo ut à Spiritu S. & æternæ veritatis lumine colluſtrari haud poſſint, qui vivunt in injuſtitiæ tenebris.* Utrum teipſum amplius intelligis, pietatis doctor? Si qui vivit in injuſtitiæ tenebris, æternæ veritatis lumine colluſtrari nequit, quis impiorum unquam poterit converti? Anne converſio dabitur ſine veritatis notitia? Annon converſio fit per pœnitentiam? Pœnitentia autem conſtat contritione, contritio notitia legis & agnitione peccati. Quæ eſt illuſtratio intellectus. Cui accedere debet fides, altera pœnitentia pars. Fides autem tribus gradibus conſtat, notitia, aſſenſu & fiducia. Ut qui perfecte converti velit, à notitia ad aſſenſum, ab aſſenſu ad fiduciam procedere debeat. Quomodo itaque homo ab injuſtitia ad juſtitiam eo Chriſtum fiducialiter apprehendendum progredi poterit, niſi prius illuminetur cognitione Chriſti & aſſenſu, doctrinæ de Chriſto prabito. Porro: *Quæ major cæcitas aut caligo denſior animis hominum poteſt offundi, quam infidelitas cum ſuis fructibus, ſuperbia puta, avaritia, ira, libidine? Itaque ubi illa eſt, fieri nequit, ut homo, quicunque ille, ſive auditor verbi ſive doctor fuerit, Jeſum Chriſtum, veriſſimam lucem illam agnoſcat, nedum ut in illum credat, ei confidat & per ipſum ſalvetur.* Quid eſt aliud à denſa infidelitatis caligine ad veriſſimam lucem, Chriſtum, tranſire, eundem agnoſcere & in illum credere, quam pravia de peccatis pœnitentia intellectum primo illuminari ſalutari cogni-

cognitione Christi, ut dein in illum credere & postea fructus fide dignos, abstinentiam puta à superbia, avaritia, ira, libidine, edere possit? Anne fructus primo colligendi, dein demum de arbore dispiciendum est? Denuo: *Quisquis Christi mansuetudinem, humilitatem & patientiam non intelligit, hic nondum practice Christum cognoscit in fide.* Sed antequam practice cognoscat, nisi velit umbram pro Junone amplecti, theoretice cognoscere, id est, intellectus ejus illuminari debet, ut sciat, quid sit humilitas, mansuetudo & patientia. Porro: *Ut autem recte ipsum cognoscamus, oportet nos per fidem cor & sensum Christi habere, ejusque virtutes intus & in corde sentire.* Imo ideo prius illuminare mentem nostram & cognoscere cor & sensum & virtutes Christi, earumque longitudinem, latitudinem & altitudinem debemus, ut earum suavitate & pretiositate allecti ad similes virtutes, earumque exercitium inflammari queamus. Quæ ubi pectori se nostro hoc prævio ordine insinuaverint, suavitatem earundem intus & in corde sentiemus & ipso hoc sensu ejusque jucunditate ad majorem amorem Christi quotidie incendemur. Item: *Adeo omnis cognitio viva & salutaris ex sensu & experientia & operibus veritatis exoritur. Certaque proinde res est, hunc, qui charitatem ex vera fide in Christum non exercet, utcunque multa de vera DEI & Christi cognitione verba faciat, ejus tamen naturam non habere perspectam.* Ergo arbor ex fructibus exoritur, non ex arbore fructus. Omnis notitia rerum sacrarum ex verbo DEI vivo & salutifero hausta, & ipsa in se viva & salutaris est, quia effectus non potest esse deterior sua causâ; verbum autem DEI, quod principium & causa est notitiæ, vivum est & efficax, quovis gladio bicipite penetrantius. Hebr. IV. 12. Experientia & sensus cognitionem vivam esse arguunt, non faciunt. Et insipida est consequentia: quæcunque arbor fœcunditatem suam per ipsorum fructuum protrusionem non exercet, utcunque foliorum luxurie multos fructus promittat, frustra de fœcunditate sua gloriatur; ergo fœcunditas arboris viva ex fructibus originem habet. *Denique omnis cognitio spiritualis, quæ non est mere historica & literalis,*

à ſenſu & experientia incipit. Vox: *Spiritualis*, perpetuum illud μορμολύκειον eſt, quod terrere eos debet, qui literalem & hiſtoricum ſacrorum ſenſum veram vivamque notitiam eſſe propugnant. Ut ex hujus vocis literæ oppoſitæ crepatione vel ſola hominem Fanaticum deprehendas. Cum quid ſpirituale ſit, quod in litera non contineatur, exquiritur, vix verba inveniunt, quibus id vel ad ſpeciem exprimant. Senſus ipſe literæ hiſtoricus & notitia ejus literalis eſt ipſa anima verbi Divini, nihilque niſi *Spiritus & vita.* Joh. VI. 63. Si ipſum verbum Divinum, ſeu ſenſus ejus literalis & hiſtoricus, in quo omnis verbi eſſentia & natura conſiſtit, eſt Spiritus & vita, cur ſenſus literalis non ſit ſpiritualis? Præterea ſenſus verbi Divini literalis & hiſtoricus, ceu conſenſu quodam à Theologis tradi ſupra monuimus, eſt effectus gratiæ Spiritus Sancti prævenientis & præparantis, cur igitur non ſit ſpiritualis? Poteritne aliquid à Spiritu Sancto provenire, quod ejus indolem non referat & naturam? Quod demum ex ſenſu & experientia Spiritum naturamque Spiritus induat? Spiritus & vita in ipſa litera continentur, neque à litera, quippe in ſe & nativa indole ſua viva & ſpirituoſa, ſeparabilia ſunt. Per literæ igitur ſenſum hiſtoricum in homine literam intelligente ſeſe exerunt, per interiorem notitiæ ſenſum & experientiam non Spiritus demum accipitur, ſed haberi & poſſideri ſentitur & experientia confirmatur. Unde & transformamur in Chriſti imaginem per ipſum literæ ſenſum à nobis acceptatum & in effectum deductum, non per ſenſum & experientiam, qua transformatos nos eſſe ſentimus & experimur. Atque hæc hactenus ad diſcurſum illum Programmaticum, eumque recentiſſimum, in quo Auctor omnes conatuum ſuorum nervos intendit, ut recentem Pietiſtarum doctrinam de illuminatione à regeneratione & converſione completa inſeparabili conſuetis coloribus veroſimilem redderet, dicta ſunto.

IV. Cum ad ſententiam ſuam de illuminatione cum plena converſione perpetuo connexa comprobandam ſub finem

finem & ad Theologos provocet Programmatis auctor, proponere ipsi liceat Theologos alios, ipsis ὀρθοδοξοτάτοις ὀρθοδοξοτέροις. Nominatim Theologos Lipsienses veteres, quorum verba ipso sole clariora produximus superiori Disputatione de Consectariis §. III. Prop. II. Tum vero *D. Dannhawerum*, qui in Hodosophiæ Phæn. IX. pag. 639. *aliqui* inquit, *revocantur ad gratiam per illud lumen supernaturale, quod adhuc in lapsis est.* Ecce secundum hunc Theologum in lapsis, adeoque irregenitis, illuminatio est, eaque supernaturalis. Memorabile est, huic sententiæ probandæ adduci locum Apocalypticum, cap. III. 2. ubi ad irregenitum Sardensium Episcopum Christus: *evigila & confirma alios morituros.* Quam evigilationem quamquam alii interpretes de evigilatione ex somno peccatorum interpretentur, *Dannhawerus* tamen de evigilatione ex negligentia officii sui cum *D. Gerhardo* intellexit. Adeo ut Episcopus ille, quantumlibet lapsus & irregenitus, non tantum retinuerit supernaturalia officii sui charismata, sed & admoneatur à DEO, ut in ipso irregenituræ, ut ita loquar, statu eadem strenue exerceat. Propono amplius *D. Musæum*, tantopere ab orthodoxia laudatum, qui Tractatu minore de Conversione Disp. V. §. XXVII. *Nostro judicio*, ait, *rectius statuitur, quod homini jam primum in peccatum aliquod contra conscientiam prolapso inhærens & cum ea actualis Sancti Spiritus gratia adhuc adsit, ejusque animum pulset & nonnunquam, ut Petri exemplo patet, eo perducat, ut agnitis peccatis per seriam pœnitentiam è lapsu resurgat & per fidem in Christum remissionem peccatorum quærat & inveniat.* Ecce in homine lapso, adeoque irregenito, actualis Spiritus Sancti gratia supereſt, quæ non alia esse potest, quam illuminans, seu lumen notitiæ, quod DEUS sit misericors & pœnitentibus remissionem peccatorum largiri velit. Propono denique, quem mihi *Musæus* suppeditat, *D. Chemnitium*, qui in loco de Discrimine peccati mortalis & venialis: *etiamsi interdum*, ait, *incendia pravorum affectuum sua vehementia captivos rapiant renatos vel ad consensum, vel etiam ad operationem aliquam pravam, si statim dole-*

ant & fide petant remissionem, certum est, Spiritum Sanctum quidem contristari, vel etiam exacerbari, non tamen excuti, nec fidem aut gratiam DEI amitti. Quod non potest aliter intelligi, quam de retenta in ipso lapsu invitationum Divinarum, quæ nihil aliud sunt quam effectus gratiæ Spiritus Sancti supernaturalis, memoria. Quæ quomodo cum cruda sua assertione Theologus Lipsiensis conciliare velit : *Sunt hæc duo inseparabilia, ita, ut cujus intellectus à Spiritu Sancto vere illuminatur, ejus etiam voluntas necessario in bonum flectatur & sanctificetur*, non apparet.

APHORISMVS X.

ET VLTIMVS.

Ex quibus omnibus immote consequitur, cum, quicquid notitiæ rerum sacrarum in homine irregenito est, id non ex natura, sed ex gratia Spiritus Sancti præveniente & præparante ortum habeat, huic doctrinæ Pelagianismum injustissime objectari.

I.

PRius enim illud per singulos hactenus Aphorismos comprobatum est, consequentia vero in Aphorismo statim primo ostensa.

II. Nec objici potest, id quidem concedi, quod gradus gratiæ, quamdiu ad conversionem tendant, sint à supernaturali Spiritus Sancti gratia, non item notitia rerum sacra-

sacrarum, quando ad conversionem non dirigitur. Quemadmodum innumeri impii de conversione sua ne quidem ullam unquam cogitationem suscipiant. Verum tam fragile telum facile repellitur. Nam I. concesso, quod effectus gratiæ prævenientis & præparantis, accedente hominis intentione non subsequente ob resistentiam huic objectam gratia perficiente, sint à Spiritu Sancto, palmaria nihilominus cadit objectio, quod Spiritui Sancto nihil sit cum irregenito negotii, quod irregenitus, quamdiu irregenitus est, Spiritui Sancto constanter resistat, quodque omnis irregenitorum notitia non sit ex Spiritu Sancto, sed ex natura. Agnoscant igitur tandem adversarii, *falsas* esse & *mendaces* propositiones has suas generales, pro eo quod clamitant, *falsam & mendacem* esse omnem regenitorum in sacris notitiam. II. Si irregenitorum notitia, ad conversionem ipsorum tendens, est à Spiritu sancto, quamquam ipsi non convertantur, cur non & notitia, quæ ex ipsorum intentione ad conversionem directa non est, sit à Spiritu Sancto, cum ex DEI saltem intentione ad illorum conversionem dirigatur? Omnis enim Scriptura, ubicunque est, ad id à DEO directa est, ut credamus. Joh. XX. v. 31. At & notitia rerum sacrarum materialiter est scriptura. Et hæc notitia, ceu jam supra fuse demonstratum est, nihil aliud est, quam effectus gratiæ prævenientis & præparantis. Cum verbum nunquam agat, nisi apprehenso sensu suo, quod absolute fieri sine notitia nequit. Et sensus verborum nihil aliud est, quam sensus Christi. III. Quicquid vero de eo sit, utrum notitia literæ Scripturæ, sine subsequente consensu, possit esse ex natura, quam quorundam esse Theologorum sententiam ignotum non est, nobis sufficit contra eos, adversus quos disputamus, notitiam cum assensu connexam, non ex natura, utpote ex persuasione parentum, vel Ecclesiæ esse, sed ex gratia supernaturali, in eoque consensum esse Theologorum nostræ partis quasi universalem. Sit præterea ita, ut nonnulli mysteriis fidem ex consuetudine tantum & inolita Christianorum

norum opinione adjiciant, innumeri sunt, qui eam hauriunt ex ipsa Scriptura & ex operatione Spiritus in ea latentis. Non obstante, quod ex aliis causis sint irregeniti. Et si quis longo tempore veræ pietati deditus & de Divinitate Scripturæ ex Spiritus testimonio persuasus in peccatum mortale incidat, perque unum & alterum diem in eodem perseveret, an is ideo fidem Divinitatis Scripturæ amittet? Ridendi sunt, qui illo tempore humanis id persuasionibus fieri contendunt. Quis DEO limites figet, quousque gratia sua hominem etiam præfractæ impium, ut eundem convertat, dignari velit, qui tamen nunquam convertitur? Sed de his jam quidem satis, donec reliqua, adversus exceptiones Halenses, etiam contra recentissimi blateronis ineptias, qui omnes præter se in barbarorum caveam redigere adnititur, suo tempore sequantur. DEO vero pro concessa ad hæc gratia sit laus & gloria in seculorum secula!

FINIS.



DISQVI-

DISQVISITIONIS DE VERA RERVM SACRARVM NOTITIA

PROOEMIVM.

In quo de occasione hujus scripti agitur.

I.



Vintus & decimus nunc volvitur annus, cum rogatus à celeberrimæ memoriæ viro, CASPARE HERMANNO SANDHAGENIO, cum quo mihi frequens tum temporis intercesserat literarum commercium, Disputationem in publicum ederem *de Ordine modoque Gratiæ Divinæ in conversione hominis occupatæ.* Viderat is, Ecclesiarum suarum in Holsatia obiens visitationem, apud quendam ministrorum, quæ in privatis scholis circa argumentum de Gratiâ Spiritus Sancti, iis consona, quæ Hodosophiæ suæ Phænomeno IX. tradiderat *D. Dannhawerus*, in calamum dictaveram. Rogavit igitur me, domum reversus, ut hanc materiam, quam sacro quodam affectu semper fuerit complexus, paulò enucleatius expositam, in publicam disputationem, ad quam Respondentem mihi suggesserat, conjicerem. Parui voluntati Viri, & universum de Divinæ Gratiæ œconomia argumentum, in quo & ea ipsa, de quâ hodie contenditur, de verâ sacrorum notitiâ, in primis regenerationis atque conversionis gradibus à Spiritu S. hunc ipsum in finem, ut per eandem ulteriores conversionis gradus, & tandem conversio ipsa producantur, effectâ, doctrina continebatur, ea perspicuitate & methodo legentis oculis subjeci, ut & in ipsis lectorum animis gratiam inveniret & favorem.

vorem. Argumento est, quod ternâ jam vice, distractis magno numero exemplis, recusâ, quæ in variis Germaniæ Sueciæque Academiis laudaretur, digna fuerit æstimata. Nec ex tanto tempore quisquam fuit, qui ex adversâ etiam parte in tractatione istâ quidquam desideraret.

II. Substiterat tum adhuc controversia intra solos eos, quos dixi, terminos: utrum ea notitia, quæ in homine vel impio vel irregenito (nec enim tum de differentiâ ulla inter hæc duo hoc in argumento audiebatur) circa res sacras reperiatur, ita sit veri nominis notitia, ut sit non obstante completæ conversionis defectu à Spiritu S. per verbum ideò ei concessa, ut per eandem tanquam ordinarium medium homo ad conversionem & salutem deducatur? Id quod affirmatum à nostrâ parte est, negatum ab altera; quæ non criminandi animo, sed meræ differentiæ causa, à Pietate, quam illa discessus sui à reliquis in hoc aliisque argumentis causam allegat, nostram verò doctrinam summæ impietatis insimulat, vulgò denominatur. Nam hanc ipsam, quam nos defendimus, de Irregenitorum notitiâ doctrinam, primarius in Academiâ Halensi Theologus fusè disputat, noxiam esse cum docenti, tum DEI gloriæ, tum religioni Christianæ, tum auditoribus, tum Reip. Christianæ, tum ipsi PIETATI. In quam ideò eâ acerbitate invehitur, ut vix ullam magis hæresin universo Christianismo majus periculum damnumque quam hanc ipsam creasse fit persuasus, eamque in rem prolixâ eloquentiâ peroret.

III. Cum ii, qui indifferenti religioni in nostramet, proh dolor! Ecclesia ex aliquanto tempore, auctore præprimis *God. Arnoldo*, *Jo. Conr. Dippelio* & quibusdam Observationum Halensium auctoribus, anonymis item pseudonymisque prope innumeris, animum adjecerunt, suæ quoque scenæ inservire posse doctrinam de negata notitiæ irregenitorum veritate persuasi essent, non assumere tantum eandem, sed locupletare etiam novâ, nec ante ipsos facile auditâ sententiâ, quâ voluntatis mutationem & emendationem præcedere intellectus notitiam, acriter defendebant, cœperunt. Si enim voluntas Divina Spiritus gratia sancta facta fuerit, operosâ intellectus informatione opus non esse causabantur, cum prædicata ab Apostolo *unctio* sine ulla doctoris disciplina, quæ homini jam quoad voluntatem conversō

verso necessaria forent, eundem esset doctura. Ita per hanc ipsam de voluntatis prærequisita ante intellectus illuminationem bonitate fundamentum Indifferenti religioni jactum est, quæ voluntatis pietatem ad verum Christianismum sufficere, intellectus verò circa res sacras & fidei articulos notitiam non aliter necessariam esse judicat, nisi in quantum unctio Spiritus, sive ex lectione verbi Divini, sive ex suggestione Spiritus, eandem homini, quoad voluntatem pio, ingesserit; hoc enim esse, quod Apostolus doceat: *si quis unctionem acceperit, non opus habere, ut quis* quoad intellectum à quoquam *informetur*, quinam articuli fidei, quænam credendorum catecheseis vana opera ediscenda sit, sed *ipsam* quoad voluntatem factam *unctionem edocturam esse de omnibus, quæ vera sint*, hoc est, ad pietatem pertineant, & *quæcunque unctio* (non verò Ecclesiæ & Academiarum doctores, articulorum fidei & Symbolorum & Compendiorum & Systematum architecti) *ipsos docuerit, in eo manendum esse*: ut nempe illi interpretantur locum 1. Joh. II. 27. Quamquam verò Pietistæ vulgares Indifferentiæ illi (quæ tamen *Pietatem* suo instituto non minus unicè prætendit, nostramque doctrinam & Reipubl. & Ecclesiæ & Christianismo usquequaque damnosam esse pariter pronunciat) calculum suum nondum adponant, sententiam tamen eorundem de necessaria voluntatis, eaque ad perfectam usque conversionem emendatione ante veram intellectus quamcunque notitiam, à Spiritus Sancti gratiâ effectam, necessariò assumere coacti fuerunt, quia juxta illos nulla vera est sacrorum notitia, nisi fides in regeneratione & conversione completâ accepta, eam veram & Spiritu Sancto imbutam reddiderit. Ita ergo amicè inter sese conspirare cœperunt, qui una via ad diversum quantumlibet scopum consilia sua direxerunt.

IV. Ex quo *Godofredi Arnoldi* Historia Hæretica non in omnium tantum ore, sed in maximo apud eos præcipuè pretio esse cœpit, quibus vel disputationes Theologorum de recentioribus controversiis, quas non necessarias, immò infructuosas esse arbitrabantur, displicebant, vel qui consociationem Ecclesiæ Lutheranæ cum Reformata, ut honoris causa vocabant, varias ob causas, inprimis temporales, optabant, vel denique, qui è Politicorum præcipuè numero omnes de sacris conten-

tiones è Christianismo eliminari & licentiam credendi, quid quisque vellet, introduci desiderabant, atque eam ob causam *Arnoldi* Historiam libris post Apostolos omnibus antehabendam esse, ut studiorum quorumlibet cultores ad eandem legendam, habendamque in pretio adducerentur, edicebant, sanctô quodam, ut omninò persuasus sum, consilio eò apud animum meum delatus sum, ut mihi proponerem, eam, quæ mihi superfutura esset, ætatem, relicto aliis de quolibet alio, eoque Ecclesiæ non minus utili, scribendi argumento, in hac potissimum materia excutienda, consumere. Quorsum adductus sum cum eam ob causam, quod in nostra quidem Ecclesia, inde ab ejus plantatione, inauditum esset, talem religionem deserta & prostituta veteri (cujus confessores pro veritate defendenda vitam sanguinemque profuderunt) propinari, cujus professio & propagatio aliquando integra regna & provincias, si rerum Romani potirentur, eò quod à Pace religiosa, tanquam toto genere à tribus, ut ita loquar, privilegiatis diversa, excluderetur, in periculum & discrimen adducere posset; tum verò quod perspicerem, paucos esse inter ipsos Ecclesiæ nostræmet doctores, qui hæc seriò ad animum revocarent, complurimis ipso pertinaci silentio suo testantibus, quo favore intra animum suum hunc religionis Universalismum prosequantur. Cumque adeo ex eorum numero & ordine, quorum laxa est religio, ante VII. hos annos prodire in publicum Ecclesiæ theatrum cœpissent Libelli, Germanico idiomate scripti & speciosum titulum: Licht und Recht, præferentes, in quorum primo novellum illud dogma de necessaria voluntatis ante intellectum illuminatione ex instituto, quod antea factum esse haud memineram, propugnabatur, cum hæc ipsa hypothesis ordini gradibusque conversionis, antea à me defensis è diametro adversa esset, ad eandem, desiderante id præcipuè Respondente tum meo & manum ipsomet admovente, refellendam pro exercitio Academico inductus sum. Prodiit proinde anno MDCCIV. *Examen libelli recens editi sub titulo:* Licht und Recht, *quod ad argumentum spectat de verâ DEI rerumque sacrarum in irregenitis notitia.*

V. In illius præloquio tum periculosa illa consectaria, quæ ex doctrina, quod sola hominis regeniti de DEO notitia vera sit notitia, consequantur, ob oculos posui, tum vero præ-

præcipue novum illud ἴνεργμα de voluntatis in intellectum imperio, illiusque ut recte imperare intellectui possit, prævia emendatione & conversione, sub examen vocando, argumenta ab anonymo scriptore eam in rem producta confutavi. Persuasus enim fueram, Indifferentissimo illum deditum esse, eò quod scripsisset: Wann der Wille gut und auf GOtt gerichtet ist, kan uns kein Irthum des Verstandes, ja der Teufel selbst nicht schaden. Ex quo consequeretur, nullum dari errorem fundamentalem, à salute excludentem, dummodo voluntas ad DEum sit directa. Ergo nullam scientiam, qualiscunque illa sit, hominem damnare, si voluntas ejus sit ad DEum disposita. Ergo credere cuique licere, quicquid credere cuique libuerit, dummodo voluntatis bonitati studeas, quia hac posita error nullus sit damnabilis.

VI. Hanc vero Disputationem integro post triennio ferè κατὰ πόδα refellendam sibi sumpsit Theologus Halensis, edita Dissertatione Theologica: *de vera DEI rerumque sacrarum notitia;* cujus tamen auctorem in præfixa epistola Respondentem esse profitetur, *fratrem in Christo suum longe dilectissimum.* Credo tamen, quod frequenter fieri solet, manum Præsidis Respondentis calamum ita animasse, ut & proponendi rationem, eidem familiarem, id est, difficilem frequenter & obscuram, inde traxerit & ideo Præses in posteriori Disputatione prioris vindicias ex suomet instituere non dubitaverit. Interceſſit aliquod temporis spatium, antequam ejus mihi copia fieret. Quare demum uno abhinc anno *Consectaria* mea, quæ vocabam, periculosa singulari exercitatione ab exceptionibus liberare, manu mea non semel admota, cœpit doctissimus pientissimusque Suecus, *Daniel Tærlingius.* Quæ cum prima fuerit inter eas, quas vindiciarum loco in publicum edidi, quæque momentum totius controversiæ complectebatur, cujus discussio ante omnia necessaria fuerat, non immerito me admiratio subit, cur eandem sine censura transmiserit Theologus? In qua innumera habet, circa quæ me sciendi longe cupidissimum informare poterat, inprimis, quæ me circa consectarium ultimum, ad collegæ sui doctrinam de infidorum doctorum ministerio, collatum, vehementer adhuc torquent. Liberet itaque me suspicione non injusta & coram facie Eccle-

siæ ad singula respondendo scrupulos mihi nequaquam vulgares eximat. Placuit vero Theologo secundam potius, quam edidi, Disputationem, quaque Pelagianismi dicam à me devolvi, sub curatius examen revocare, edita pronuper Disputatione Apologetica: *De Nervis Pelagianismi, in hypothesi illa nova, impios Deum & Divina vere cognoscere.*

VII. In hac exercitatione sine dubio principalissima, quæ unquam produci poterant, totius controversiæ momenta continentur. Quare ut conscientiæ meæ coram DEO satisfaciam, silentio mihi veritas, de qua DEO serio à me Invocato persuasus sum, deserenda non est. Versabor tamen in tractatione mea ea modestia, eoque argumentorum ubique robore, ut si iisdem vacuas affectus aures commodaverit Theologus, non exigua mihi spes sit, eundem in partes meas pertrahi posse. Quod vero de *indignis scommatibus & conviciis, minutiis* item, *quæ omni & versutia & violentia ipsi obtrudantur*, initio statim & postea frequenter conqueritur, rogandus est, ut in memoriam sibi revocet, quod priorem Disputationem, quam suam jam agnoscit, antea vero Respondenti disertis verbis adscripserat, primus mihi, qui contra ipsum ne verbo quidem ullo unquam, sed contra Anonymum Indifferentistam, scripseram, certamen & quidem per studiosum primum mihi movendo, opposuerit, in quo tamen legas, *veritatem levibus me rationibus impugnare non erubescere, ipsi Christo, quod horrendum sit, contradicere, multa fingere malitiose, horrenda defendere, quæque in pudorem conjicere me deberent, me Theologicæ ἀβλεψίας & temeritatis pœnam dare*, & si quæ sunt alia id genus. Ea si effutire studioso contra Professorem ipso Præside licuit, quidni licuerit studioso hujus Academiæ adversus studiosum Academiæ alterius veritatem seriis rationibus, quæ scommatum & conviciorum, versutiæ item & violentiæ crimine immerito traducuntur, defendere? Cur vero Theologus in memoriam sibi non revocat illud Pauli? Rom. II. 19. 20. 21. In hac ipsa posteriore disputatione me *reputare* jubet, *quam DEO sim rationem redditurus de confusione in docendo, qua id, quod solis pœnitentibus debetur, non minus tribuam impœnitentibus;* quod *Pelagianismum & plusquam Pelagianismum* vel centies mihi objectat; quod *neque oculis neque auribus uti voluerim, ut errorem agnoscendo deponerem;* quod *testes advocat* Dissertationis suæ

lecto-

lectores, *quod & quomodo liberaverit animam suam;* quod plura meis repositurus non sit, *ne videatur inutilibus aliorum distorquendi conatibus denuo ansam exhibere.* Quæ omnia ita comparata sunt, ut persuadeantur lectores, neque scientiam mihi esse neque conscientiam. Quâ in re quam inique de me sentiat, malo eundem ex præsenti tractatione discere, quam cum ipso ὑπονοίαις πονηραῖς indulgere.

IIX. Qui vero persuasi sunt, inutiles has esse, neque sine aliorum offensione exerceri inter Theologos altercationes, quam objectionem hujus præcipue seculi filii seriis de veritate disquisitionibus obvertere solent, illis in memoriam revoco, quod ego auctor rixæ non sim, ut Jurisconsultorum verbo utar, cui negotium erat cum homine Indifferenti religioni dedito, (cujus *nec auctorem se nec defensorem* præstare velle Theologus mihi adversus disertis verbis contestatur) qui cum fundamentum nova & insolenti doctrina, ad indifferentismum prona via ducente, de voluntatis ante intellectum illuminatione & conversione, poneret, existimabam, me omnium Lutheranorum judicio rem ordini meo prorsus convenientem facturum esse, si monstravero, basin omnis Indifferentismi, qui hodie Germaniam nostram velut diluvio quodam inundat, vermiculosam esse & lubricam. Et quanquam simul argumentum de vera irregenitorum in sacris notitia ob connexionem cum basi illa considerationi meæ innectendum fuerat, nihil tamen novi defendi, sed id tantum, quod octo ante annis nemine contradicente proposueram. Quomodo rixari ego dici possum, qui religionum omnium contemptoribus me oppono? Quomodo rixari cum nostrismet, quos nunquam fui adortus? Cum tela eorum, quæ nunquam provocavi, repello? De cætero non vereor publice profiteri, ἀσπονδον me esse Indifferentismi hostem & quicquid eidem patrocinatur justo me sanctoque odio prosequi, eo quod ille religionem Lutheranam non ex aliqua dogmatum parte, quod aliæ hæreses faciunt, sed in fundo veritatis universam subruat; egoque firmiter sim persuasus, candido animo religionis nostræ sanctitati addictum esse non posse, quisquis infestum adversum hoc virus, Ecclesiæ cumprimis nostræ magis quam omnibus aliis sese clamve palamve hodie insinuans, animum non quacunque occasione fuerit testatus.

TRACTA-

TRACTATIONIS
CAP. I.
Quod de Statu Controversiæ disquirit.

I.

DE eo ut operose dicatur, opus non est. Id enim quæritur: an hominis nondum per fidem regeniti notitia, ex Scripturarum vel lectione vel auditu, vel meditatione hausta, sit veri nominis notitia, quoad omnia notitiæ essentialia, quamquam notitiæ ad praxin applicatio tanquam notitiæ effectus per ipsam regenerationem non accesserit, vel etiam plane non accedat? Et an hæc notitia vere oriatur à supernaturali Spiritus S. gratia, qui per eandem tanquam divinitus ordinatum medium, in homine notitiam subinde majorem & per hanc verum assensum, mysteriis præbendum, & denique per hunc ipsam conversionem & regenerationem in homine irregenito producere intendat? Affirmantem ego defendo, negantem pars adversa. Quæ contendit, notitiam omnem, ipsam conversionem antecedentem, non esse veram, neque à Spiritu S. vi officii sui sanctificatorii ad producendam causaliter fidem & conversionem effectam, adeoque nec ullo modo vere spiritualem. Nec enim ante fidem actu ipso, principio à voluntate deducto effectam, quicquam, quod verum, quod supernaturale, quod Spirituale sit, in homine locum habere posse. Unde nec fides & regeneratio sit effectus notitiæ & assensus in homine irregenito, sed ad ipsam ejus interiorem essentiam pertineat, cum à fide & regeneratione veritas & spiritualitas & supernaturalitas notitiæ & assensus incipiat, non autem ex iisdem oriatur. Theologus sub finem Disputationis de Nervis. *Constat satis:* SOLUM REGENITUM VERAM HABERE RERUM DIVINARUM NOTITIAM. *Per regenitum vero, qui vere cognoscit* DEUM *&* Divina, *nullus alius designari potest vel debet, quam talis ex* COMPLETO REGENERATIONIS ACTU *& statu consequente,*

II. Cum

II. Cum verò dicimus, in irregenito ex verbi auditu & meditatione nasci notitiam & tandem assensum, ultro intelligitur, id cum grandi differentia intelligendum esse. Quidam enim irregeniti ne audiunt quidem verbum, adeoque nihil ejus intra sese recipiunt. Alii audiunt, non discendi studio, sed temporis fallendi gratia. Alii ut eidem illudant, empæctæ Scripturæ dicti. Qui ut vel parum vel nihil veræ notitiæ, sensui loquentis Spiritus Sancti conformis, in quo veritas notitiæ consistit, capiunt, ita & de conjuncto verbo Spiritu parum in se subjective recipiunt, nisi quod interdum intra animum suum compungantur, compunctione vel illicò transeunte, vel diutius durante. Alii discendi studium vel minus vel majus adferunt, pro cujus diversitate vel major vel minor Spiritus in verbo latentis virtus sese exerit. Nonnullis eousque progredientibus, ut & scrutentur Scripturas, ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς, εἰ ἔχοι ταῦτα ὕτως, Act. XVII. 11. Aliis fidem iisdem eousque adponentibus, Act. XXVI. 27. ut parum absit, quin veri & perfecti Christiani fiant, v. 28. Quod inprimis in irregenitis doctoribus contingere ipsâ experientia confirmat. Qui omnes hæc dona Spiritus Sancti, hanc notitiam, nonnunquam scrutandi amorem, frequenter defendendi veritatem summum desiderium, sæpius firmum assensum & certam persuasionem, quod doctrina ex Scripturarum tractatione hausta Spiritui DEI sit conformis, revera intra sese subjectivë recipiunt, possident, exercent. Quamquam ad fidem meritum Christi sibi applicantem, imò & ad professionem hujus fidei non progrediantur. Quâ vero de re occasione eorum, quæ contra hanc subjectivam notitiæ in irregenitis existentiam â Theologo subinde allata sunt, postea nobis pluribus erit dicendum.

III. Sed & veritatis vox (cum vera irregenitorum notitia dicitur) non uno vulgo modo accipitur. Aut enim in usitatâ propriâque notione capitur, qua significat conceptum mentis, rei extra mentem existenti conformem. Aliquando in materia πρακτικῇ verum cum ἐμφάσει *conjuncti cum veritate effectus*, ad quem verum practicum contendit, accipitur, ut verum sit, quod effectum & praxin rei veræ, qui notitiæ in se externus est, actu ipso impetravit. Quam veritatem Emphaticam seu cum praxi conjunctam *Quintilianus* perquam appositè describit, *quod*

plus quam verum dicat, veram scilicet notitiam & verum notitiæ effectum. Quo pacto vera juris notitia est, quæ in praxi cum justitia conjuncta, adeoque dupliciter vera est. Ita in mercatore vera est mercium divendendarum notitia, cum justo, non iniquo, pretio divendit. Ut tamen neque notitia juris, neque mercium distrahendarum notitia vera esse quoad essentialia notitiæ notitia esse cesset, quæ á justitia in praxi separata est. Isto modo in vulgari loquendi consuetudine veritatis vox, quando cum ἐμφάσει loqui volumus, frequenter accipitur, à qua & sacratior Scriptura, in Epistolis inprimis Johannis, morem istum mutuavit, ceu in disputatione ad locum 1. Joh. II. 3. 4. uberius hoc deduximus. Non improbanda est, sed maximè dilaudanda Emphatica ista loquendi in materia morum & pietatis ratio, quippe quæ ad praxin, cujus gratia notitia imbibitur, vehementius excitat & notitiam omnem inanem & infructuosam esse enunciat, quæ cum actione ejus, quod cognoscitur, non est conjuncta. Sed ideò in alterum extremum declinandum non est, ut vera in se notitia esse negetur, quæ praxi destituta est. Utrumque, etiam in vulgari sermone & hortandi dehortandique argumento, non consuetum tantum, sed & laudabile est, notitiam praxi destitutam contemnere & prostituere, & eandem ad cœlum vehere & laudare. Recte ad filium degenerem & in omne scelus propensum, egregiis tamen & eminentibus animi donis instructum, pater: hæcne eruditio & scientia tua est, scelus, quam meo ære tibi comparasti? Non est hæc eruditio vera, non desuper è cœlo & à DEO veniens, sed terrena, humana, diabolica, mendax, tibi & aliis exitiosa. Apage ad diabolum, ad orcum, ad Garamantas cum omni scientia tua, unde illa ortum traxit. Et tamen mater de eodem filio: cogita, mi fili, quibus donis, quibus muneribus, quâ scientia, qua eruditione, quam maximi minimi dilaudant atque in cœlum vehunt, te instruxerit, à quo omne donum desuper venit, tanquam pater horum luminum tuorum, DEUS. Nemo publica fama dicitur te majorem, veriorem, accuratiorem juris legumque notitiam possidere, aut subtilius de eadem differere posse. Hæc sunt munera in te collata non ab hominibus, non à tuomet ingenio, non à diabolo, sed à DEO. Divina deposita sunt, quæ in te operatus est Spiritus S. dividens

tibi

tibi magnam τῶν χαρισμάτων mensuram, 1. Cor. XII. 11. Fac itaque, ut iis recte ad DEI gloriam & Parentum delectationem utaris. Ecce utraque locutio, patris matrisque, quantumlibet sibi contrariæ videantur, verissima tamen est & diversitas omnis non in ipsa notitia, sed in notitiæ usu & abusu consistit. Hæc verò si admitteret pars adversa, quæ in notitia irregeniti nihil veri, nihil Divini, nihil à Spir. S. spiritualia sua dona distribuente, agnoscit, contentio omnis cessaret.

IV. Nunc Theologum quoque de controversiæ statu dissérentem audiamus. Dixerat ille in Epistola priori Dissertationi præfixâ: *nos non vereri palam docere, quod homo Spiritui S. constanter resistens, verè possit DEUM & Divina cognoscere.* Negavi hoc quemquam nostrum unquam docuisse, nec unquam hoc fuisse in controversia. Qui enim constanter & perpetuo resistit motibus Spiritus Sancti, notitiam rerum sacrarum in nobis operaturi, quomodo is ad notitiam rerum sacrarum possit devenire? Sed hoc fuisse in controversia: an homo irregenitus, qui in primis gratiæ gradibus, vulgò prævenientis & præparantis, non resistit, per hanc non-resistentiam veram notiam consequatur? Ad hæc excipit Theologus p. 7. *Licet unum vel alterum gratiæ motum admiserit homo impœnitens, si tamen is nihilominus obluctatur Spiritui Sancto ita constanter, ut nec convertatur, omninò rectè dicitur constanter resistere.* Idque argumento loci Act. VII. 31.

V. Respondetur verò I. Est hoc effugium hactenus inauditum atque vel hoc solo nomine suspectum. II. Contra vocis naturalem & perpetuum usum, penes quem est vis & norma loquendi. Nec enim quisquam hominum, audiens hunc vel illum constanter resistere, concipiat eundem vel semel tantum & ultimo resistere. Quis unquam audivit, qui per universam vitam suam impiè vixit, ultima hora egit pœnitentiam, constanter egisse pœnitentiam? Titius Domino suo per octo vel quatuordecim dies obediens fuit, decimo quinto die inobediens factus est, in eoque usque ad diem decimum septimum, ubi finem servitium ejus habuit, perduravit, neque amplius ad obedientiam rediit, ergo constanter hero suo obsequium detrectavit. Judæus converti cupiens, audit doctorem suum singulis diebus per integrum annum & præviis semper precibus uni Christianæ fidei articulo post alium per gratiam Spiritus Sancti

assentitur, plurima etiam, quibus adsuetus fuerat, vitia deponit, tandem monitus, ut usuræ mordaci nuncium mittat & Christum coram totâ Ecclesia profiteatur, ex temporalibus rationibus obluctatur, neque fit unquam Christianus. Ergo informationi constanter sese opposuit. Annon crediderit Theologus, persuasos esse lectores, desperationem causæ ad responsionem talem, à qua profecto omnis humana ratio abhorret, eundem adegisse, ipsumque lectori suo eum de doctrina nostra conceptum imprimere voluisse, ac si irregenitis, qui omnibus Spiritus S. motibus, ne uno quidem admisso, constanter resistunt, tamen veram vereque à Spiritu S. profectam notitiam attribueremus? III. Latet sub illa specie simulacrum aliud, quasi homo irregenitus *unum tantum alterumque gratiæ motum*, & eum quidem admodum tenebrosum (ut alibi ex verbis Theologi ostendemus) admittere, deinde verò constanter resistere soleat, ut adeò priores pauculi motus, respiciendo subsequentem resistentiam longam & ad finem usque vitæ durantem, pro nullis reputari debeant. Sed vero constantia etiam per unum actum contrarium interciditur. Quomodo enim constans esse potest, quod est inconstans? Deinde frustra supponitur, hominem irregenitum, unum tantum alterumque gratiæ motum admittere, deinde longissimo tempore & constanter resistere. Judæus ille, quem paulò ante memoravi, per integrum annum innumeros ferè admisit motus, deinde verò restitit ultimis motibus, paucisque post diebus, quod nunc pono, obiit. Igiturne & hic in respectu ad priores, eosque innumeros, motus admissos constanter repugnavit? Aut negandum hoc est, aut non est amplius loquendum cum toto genere humano. IV. Quid vero si impœnitens admittat unum alterumque gratiæ motum, deinde resistat, postea denuò aliquos gratiæ motus admittat & iterum resistat, & hanc vicissitudinem (quod ne Terministis quidem omnibus impossibile videbitur) vel decies repetat, & tandem ultimo resistat, statimque moriatur, anne & hic constanter restitit? Rogandus est Theologus, ne, quando rem per similia & instantias clariorem reddere annitor, suspicetur, *minutias me sectari* velle & *fraudulentiam disputandi obtrudere*.

VI. Actorum denique VII. 51. non dicitur, Judæos unum alterumque gratiæ gradum admisisse, & postea restitisse, sed restitisse

stitisse semper. Deinde τὸ *semper* non tam reflectitur ad actus, quam ad tempora, quoties DEus iis extraordinarios pœnitentiæ præcones miserat, ut exponitur Jer. II. 9. XXII. 21. Neque τὸ *vos* singulos notat Judæos, sed ex iisdem primores & nec hos quidem omnes. Denique non absurdum est, exaggerationis juxta quosdam figura usum esse Stephanum & quod plerumque acciderat, omni tempori adscripsisse. Quidquid vero horum acceperis, applicatio ad præsentem materiam inconveniens erit. Quæ enim est consequentia: Judæi semper, seu quotiescunque extraordinarii Prophetæ ad eos mittebantur, resistebant, non obstante, quod nonnulli aliquos senserint gratiæ motus: ergo quilibet ultimo impœnitens constanter resistit, quamquam nonnullos ante resistentiam bonos habuerit gratiæ motus, in quibus non resistebat?

VII. Deinde vero speciatim exprimit Theologus, partim quæ à statu controversiæ removenda sint, partim qua in re is positive consistat. Dicit autem, tria removenda esse. Nam *primo non quæri: Num homo impius aliquos motus gratiæ antecedentes, seu potius Spiritus Sancti in conscientia sua admittat? Hoc enim concedi.* Ad quæ repono I. Cur vero Theologus tam dubitanter & ambigue loquitur: *concedi aliquos motus gratiæ, SEU POTIUS Spiritus Sancti?* An itaque, quia corrigit seipsum, non datur motus *gratiæ* prævenientis & præparantis? An forte motus illi in irregenitis non sunt *gratiæ* & Evangelii, sed legis & iræ atque damnationis? Id equidem sub finem disputationis magna contentione propugnatur. Sed cum *potius* à Spiritu S. quam gratia proveniant, an igitur Spiritus S. in officio suo proprio, quod conversionis est, constitutus, legis non tantum doctor sed & executor est? Tandem rogo me informari, quid tandem omne id in omnibus gratiæ gradibus, ultimam conversionem antecedentibus, à Spiritu S. efficitur & ab homine irregenito recipitur, quid illud sit & quo nomine veniat? An motus illi juxta Theologum sint vel media vel causæ vel instrumenta vel materiæ conversionis? An, quod ego auguror, juxta ipsum conditiones sine quibus impetratur conversio, seu removens id, quod prohibet conversionem? Quod vero ejusmodi quid ipsi sint motus illi, inde persuadeor, quia si media conversionis causalia ei forent, mera naturalia & legalia

conversionem promoverent. Quod foret Pelagianum. In hoc igitur ut informer, enixissime opto. II. Cum dicitur concedi: *quod irregeniti aliquos motus Spiritus Sancti in conscientia sua admittant*, tum quæro: an hi motus admissi & subjective recepti sint veri motus & spirituales, nec ne? Si non sunt veri motus, quid opus est, eosdem excitari & effici? Et an à veritatis Spiritu aliquid effici potest, quod non est verum? Si autem sunt veri motus, quænam causa est, quod in irregenito veri & spirituales motus possint subjective recipi ante actualem regenerationem, non autem recipi possit vera & spiritualis notitia? Quippe quod in tota Disputatione tanquam crassissimus Pelagianismus traducitur. III. Denuo quæro, an per rerum naturam possibile sit, ut illi Spiritus Sancti motus, quocunque nomine veniant, sive dicantur compunctio, sive excitatio, sive ad quamcunque rem motio, directio aut impulsus, (quos peto rogoque mihi denominari) cum ab homine irregenito recipiuntur & sentiuntur, sine prævia ex verbo notitia in irregenito exsurgere possint? Si enim motus illi sunt & tendunt ad pœnitentiam ante actorum, exemplo Felicis, Act. XXIV. 25. quomodo ad pœnitentiam inflammari potest, qui non antea veram notitiam habet, quid sit pœnitentia? Quid contritio & fides in Christum? Nec enim alium ad pœnitentiam motum in animo irregeniti excitare Spiritus S. potest, nisi qui sit ad pœnitentiam Christianam, quæ utrumque in se complectitur. Sicut & Spiritus S. per Paulum Felici simul prædicavit περὶ τῆς εἰς χριστὸν πίστεως & simul περὶ τῆς δικαιοσύνης καὶ περὶ τῆς ἐγκρατείας; ex quarum rerum non superficiaria sed veriſſima accuratissimaque notitia & dictorum ad animum revocatione ἔμφοβος ἐγένετο, seu compunctus est. Ecce! motus Spiritus S. à Felice irregenito in animum suum receptus, est ἔμφοβον γενέσθαι, *compungi*; compunctio vero oritur ex præcedente notitia & ad animum revocatione verbi Divini, ejusque partim legalis, de justitia Divina in impudicos accensa, partim Evangelici de fide in Christum, à quo remissionem peccatorum sperare debebat, Quid autem hæc talis notitia aliud est, quam vera causa, verumque medium pœnitentiæ & conversionis? Et si ob animi obstinationem hæc causa effectum attingere non potest, tum aliam producit in animo hominis

irre-

irregeniti effectum, nempe notitiam ulteriorem, majorem, perfectiorem; quæ eo fortius hominem etiam præfractum moveat ad obeundum officium suum. Ita quamquam illa notitia, quam Felix ex audito Pauli verbo ceperat, non commoverit ad conversionem, commovit tamen ad ulterius cognoscendi desiderium & appetitum: καιρὸν μεταλαβὼν μετακαλέσομάι σε, *tempus nactus revocabo te*, v. 25. Potest nempe irregenitus porro vel audire verbum vel curatius legere, potest cum aliis de argumentis sacris differere, opponere vel respondere. Quid hæc singula sunt, nisi recepta in animo amplior notitia? Omnis illa accuratissima & ampliſſima notitia, quæ in doctore irregenito repetitur, quid est, nisi perpetua, in ipso medio doctoris pectore residens, campana gratiæ prævenientis & pulsantis, si non cum alio, cum hoc tamen effectu in pectore doctoris recepta: quid facio? cur desideriis meis obsequor? Neque cessant hi pulsus, etiam passive recepti, quoadusque homo vixerit, quantumlibet in impietate per totam vitam permanserit. Nec enim Spiritus S. unquam defatigatur, *semper stat ante ostium & pulsat.* Apoc. III. 20. *Manus extendit omni die*, Es. LXV. 2. *Non* enim *vult mortem* hominis, etiam *morientis*, seu in agone constituti, Ezech. XIIX. 32. Longe major est Spiritus Sancti, hominem convertere volentis, gratia, quam ut tantum *aliquos motus* in homine excitet. Quotidie pulsat, instat, excitat, movet, non apud pertinacem tantum quemvis, sed & pertinaciſſimum. Curat vineam, fodit, colit, laborem omnem in eo, ut fructum ferat, ponit, nihil prorsus omittit. Esai. V. 1. sq. Omitteret autem, nisi eidem omnia impertiret, quæ ad ipsum conversionis ostium eundem adducerent. Quibus omnibus suppositis, quæstio circa statum controversiæ ita formanda fuerat: an homo impius vel aliquos vel multos vel innumeros Spiritus Sancti motus & pulsus, eosque mediante vel parva & transitoria, vel majori & continuata, vel maxima & eminentiſſima sacrorum notitia, in conscientia admittat? Et tum cum Theologo respondendum est affirmando.

IIX. Secundo non quæri Theologus ait: *an per illos gradus semina Spiritualis illuminationis certo modo accenduntur? Nam & hoc concedi.* At vero I. si vera veræ illuminationis semina in animo

mo irregeniti accenduntur, vera notitia & per hanc assensus accenditur, ipsam conversionem, nisi malitia accedat, progenerans. Sicut cum ab agro semen recipitur, vera virtus recipitur, primo calamum, deinde triticum, nisi confringatur calamus, progeneratura. II. Sed vero non semina tantum spiritualis illuminationis in irregenitis excitantur, sed veriſſima illuminatio, tenebras errorum ex intellectu ipsorum virtute supernaturali verbi dispellens & magnum sæpe veritatis lumen, quoad notitiam & assensum, in doctore inprimis, accendens. Quid enim illuminari, vi ipsius vocis, aliud est, quam intellectui lumen veritatis infundi, ut videat illud, quod antea in tenebris errorum non viderat? Et si illuminandi vox etiam voluntatis motum aliquando involvit, etiam irregeniti per gratiam moventur, ut in iis, ipso Theologo dicente, oriatur à Spiritus S. operatione, manifestissimo Felicis exemplo, *sancta cogitatio, pium propositum, cupiditas veri & desiderium boni.* Et qui fieri potest, ut non ex assensu summis mysteriis præbito & amor quidam erga DEum & Christum oriatur? Quamquam is ejus gradus & pretii non sit, qualis est, qui ex fide promanat, verus tamen & Christianus, quia à Spiritu S. excitatus & ad perfectum amorem ducens.

IX. Tertio non quæri ait Theologus: *an doctrina ex verbo DEI semper actu primo habeat efficaciam ad illuminandum? Hoc enim pariter concedi.* Equidem verum est, hoc ab utraque parte concedi. Sed meminisse debebat Theologus, efficaciam illam frustraneam fore in omnibus irregenitis, nisi in uno saltem alteroque in actum secundum exerceretur. Esai. LV. 10. Qua de re posthac plura.

X. Tandem controversiæ statum positive hunc in modum constituit Theologus: *an apud illos impios, qui sunt ita impœnitentes vel lapsi, ut viribus oblatis vel collatis durante pertinacia resistant, nihilominus gratia ad Spiritualiter seu vere cognoscendum necessaria, actu secundo, seu ipso cum exercitio actuali vel habituali, adsit vel maneat, ut inde dici possit vere cognoscere, quæ Spiritus DEI sunt? An vero apud eos gratia Spiritus Sancti cesset ac transeat, nec in essendo vel habituale relinquat fundamentum, unde id prædicandi genus statuendum & defendendum sit? In hac contro-*

troversia, inquit, *versatur rei cardo*. Bone DEus, quæ tenebræ? Quæ limitationes? Quæ circumductiones? Fidem meam interponere ausim, innumeros, etiam ex rerum Theologicarum minime imperitis, lecturos esse hunc controversiæ statum, sed intellecturos nunquam. Testor DEum, non me hæc dicere, ut Theologi vel eruditioni vel existimationi, quæ jamdiu per Ecclesiam celebris est, quicquam detraham. Quorundam etiam eruditissimorum virorum genius est, ut sua non ita effari possint, quin summa cum difficultate percipiantur. Quis verò ex tot distinctionibus, restrictionibus, limitationibus, terminisque in scholis usitatis, non capiat præsumptionem, causam, semel susceptam, non posse sine summa difficultate defendi, ne tamen ea deseratur, tam obscuris circumlocutionibus involvendam esse? Quam liquida è contrario, quam clara est status controversiæ ex nostra parte constitutio? An omnis illa notitia, quam Spiritus Sanctus in homine irregenito per gratiam suam, ut eundem convertat, operatur, sit vera & spiritualis notitia, non obstante, quod effectus conversionis eandem non insequatur? Et quando respondetur simpliciter affirmando, quia est notitia, quæ ex intentione Spiritus S. & debet & potest producere assensum, Divinis mysteriis præbendum, & per hunc ipsam fiduciam in meritum Christi producendam, quamquam eandem nunquam producat, sed huic pertinaciter resistat. Quemadmodum medicamentum, quod sanitatem producere potest & producere debet, verissimum medicamentum est, etsi sanitatem nunquam producat. Quid clarius? Quid illustrius?

XI. Non tamen, quæ circa statum controversiæ monuit Theologus, quantum quidem à me intelligi possunt, sine quibusdam observationibus transmittenda sunt. Cum itaque 1. quærit: an Spiritus S. gratiâ sua iis nihilominus adsit, qui actualiter & pertinaciter ei resistunt, adeoque notitiam habent, ex gratiâ proficiscentem, non obstante pertinaci rejectione gratiæ? Ita enim intelligo primum quæstionis membrum. Respondeo omninò affirmando. Non enim rejiciunt illi notitiam ex primo gratiæ gradu, vel secundo tertiove haustam, utpote notitiam vel unius vel plurium articulorum fidei, aut etiam ipsummet assensum, omnibus articulis adpositum, sed rejiciunt

fiduciam, quam ex priori notitiâ haurire debebant. Pater vult, ut filius Theologiæ ſtudio, præmiſſo apparatu Philoſophico, incumbat. Ethicam Logicamque audit, cæteris ſeſe opponit. Ergone veram Ethicis Logicesque notitiam vel non habuit, vel accedente ad cætera repugnantia, non amplius habet? Dona DEI ἀμεταμέλητα ſunt, neque, quæ ſemel dedit, temere retrahit. Neque ſubtracta una gratiæ ſpecie, omnes ſubtrahuntur, II. Cum inquit, gratiam apud repugnantes ceſſare neque relinquere fundamentum in eſſendo, vix ob obſcuritatem intelligi poteſt. Si aſſenſui repugnat, ceſſat gratia aſſenſum actu ſecundo conferendi, non vero ceſſat gratia notitiæ, ante collatæ. Sicut non ceſſat beneficium collatæ ſcientiæ Logicæ & Ethicæ, repudiata ſcientia Theologica.

XII. Priusquam hinc abeamus, in memoriam nobis revocandus eſt magnus Theologi zelus, in Epiſtolâ priori diſputationi præfixâ, effuſus, in qua conqueritur de Eccleſiæ hodie noſtræ *malis*, in qua nonnulli ſint Theologi, (in poſteriori Diſputatione vocat *unum alterumque*) qui *tam perversè doceant*, ut *Evangelio* ideo noſtro *metuendum ſit*. Quorum doctrina â *Luthero* in libro de ſervo arbitrio jamdiu fuerit protrita. *Quos ſi audiviſſet Pater Eccleſiæ noſtræ nunquam ſatis laudatus, annon Erasmi aſſeclarum in numero collocaſſet? An putas, Lutherum ipſos pro ſuis potuiſſe agnoſcere? Nullo hac in re modo.* Enim vero non unus eſt alterque Theologus, qui Divinam, quam tueor, veritatem hodie propugnat. Sunt mihi ad manus ſuffragia Theologorum in Academiis Argentoratenſi, Tubingenſi, Altorfina, Jenenſi, Lipſienſi, Wittebergenſi, Gryphiswaldenſi, Roſtochienſi, Havnienſi, Aboenſi, Londinenſi, Regiomontana, nec Kilonienſi quidem excepta, (de qua brevi publicum documentum teſtabitur) & Theologorum in ſuperiori Germania, in Saxonia ſuperiori & inferiori, in Ducatibus Brunſuicenſibus, in regnis & provinciis, mari Balthico adjacentibus; quæ ne videatur credulæ plebi *unus alterque* tantum mecum conſentire, egoque ſolus degener Lutheri filius eſſe, ob cujus perverſam doctrinam Evangelicæ veritati metuendum ſit, in publico ideo ſcripto producentur. Quod verò ad librum Lutheri adverſus Erasmum ſpectat, mirum videri queat, quî ante omnes alios hic liber, tot diſputationibus, tot judiciis

& contradictionibus obnoxius, potuerit nobis cum tam acerbo sale objectari. Qui ne quidem vel jota in se complectitur, quod irregenitorum veræ notitiæ sit adversum. Recte enim & rotundè Concordiæ nostræ Formula: *non est in hoc negotio somnianda ulla cooperatio voluntatis nostræ in hominis conversione. Etenim necesse est, ut homo Divinitus trahatur & ex DEO renascatur: alias nulla IN CORDIBVS NOSTRIS cogitatio est, quæ A SEIPSO ad Evangelium amplectendum sese convertat. Hoc negotium D. Lutherus in libro suo de Servo arbitrio contra Erasmum egregiè & solidè explicuit atque sententiam hanc piam & invictam esse demonstravit.* Idem & ego in Disputationibus meis ubique inculco, omnia gratiæ tribuo, nihil viribus nostris. Et quid aliud *Luthero* contra *Erasmum* erat agendum, qui hoc unicum defenderat, gratiâ quidem Divinâ opus esse homini ad conversionem suam, sed ita ut homo EX PROPRIIS VIRIBVS ad gratiam se præparare possit? Quare & *D. Seb. Schmidius* in annotationibus ad Lutherum p. 24. ait, hoc à *Luthero* quæri: *an quicquid boni facimus, ita faciamus, ut vires naturæ adeò nihil præstent, ut potius à gratia superandæ & capticandæ sint, ut gratia operetur ET HOMO PER GRATIAM.* Juxta *Lutherum Erasmi* sententia erat p. 114. *Liberum arbitrium esse vim voluntatis, quæ potest A SEIPSA velle & nolle verbum & opus DEI, quibus ducitur ad ea, quæ excedunt & captum & sensum ejus.* A seipsa, inquit. Lutheri è contra sententia fuerat p. 105. *Liberum arbitrium seu cor humanum sic esse Satanæ potentia oppressum, ut nisi Spiritu DEI mirabiliter suscitetur, PER SESE nec ea videre possit, nec audire, quæ in ipsos oculos & in aures manifestè impingunt, ut palpari possint manu.* Per sese, ait. Uno verbo, nunquam negavit Lutherus, notitiam mysteriorum Divinorum veram esse notitiam, sed hoc negavit, acquirere hominem eandem posse per liberum arbitrium, A SEIPSO, PER SESE, EX VIRIBVS NATVRALIBVS. Quales determinationes, ut in libro Lutheri, ita quoque in libris nostris Symbolicis, inque veterum Theologorum scriptis, vel centies adjiciuntur. Addo locum unum ex Luthero p. 82. plane memorabilem. *Si poteritis in tantâ serie seculorum, virorum & omnium, quæ memorasti, ostendere unum opus, (sit etiam levare stipulam de terrâ) aut unum verbum, (sit vel syllaba my)*

vel unum cogitatum ex VI LIBERI ARBITRII, (sit vel tenuissimum suspirium) quo vel applicuerunt se ad gratiam, vel quo meruerunt Spiritum, vel quo impetraverunt veniam, vel quo aliquid cum DEO egerunt, quantumvis modiculum, (taceo, quo sanctificati sunt) iterum victores vos estote & nos victi, EX VI, (inquam) *ET NOMINE LIBERI ARBITRII.*

CAP. II.

Quid sit Pelagianismus? ostendit.

I.

HUnc verò in Disputatione, quam confutare aggressus est Theologus, ita definivimus: *Pelagianismus est, cum in illuminationis & conversionis negotio vel omnia vel aliquid, quod unice à gratiæ Divinæ supernaturalis operatione dependet, naturæ viribus tribuitur.* Nec enim aliter hanc hæresin describunt, quotquot sive ex antiquis, sive recentioribus ejus dogmata consignarunt. Ipse *Augustinus*, quamquam ejus de Pelagii erroribus narrationi, si conciliorum adversus Pelagianos habitorum auctoritate destituitur, fidendum in omnibus non esse, jamdiu à Theologis observatum fuerit, tamen nihil aliud de Pelagio Hæresi LXXXIIX. refert, quam quod primò quidem docuerit, *posse hominem sine DEI gratia facere omnia Divina mandata.* Deinde verò monitus à fratribus eorum exhortationibus hactenus cesserit, *ut non gratiam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint impleri per gratiam.* Quod tamen ipsum denuò ita limitaverit & constrinxerit, ut gratiæ viribus nihil nisi solam *legem & doctrinam*, in sacris contentam, *quâ nempe discatur, quæ facere & quæ sperare debeamus, nos autem ad hoc per donum Spiritus Sancti, ut quæ didicerimus esse facienda, faciamus*, adscripserit. Uno verbo, historicam cognitionem sensus veri propositionum Biblicarum gratiæ attribuit, quam vero non agnovit Divina virtute ad commovendum hominem, ut faciat & credat id, quod intellectui repræsentant, eaque ad credendum & faciendum necessaria, præditam. Ut adeò hac ipsa in re, in qua ad Catholicos accedere videbatur, quod una manu dabat,

bat, altera aufferret, gratiam nominans & reapse naturam intelligens.

II. Dum ergo dico, Pelagianismum in eo consistere, ut in conversionis negotio omnia naturæ, nihil gratiæ adscribatur, non ideo inficior, sub specioso gratiæ nomine naturam aliquando latitare posse. Quando vero & in quibus latitet, non ex proprio nostro judicio definiendum est, sed veniendum in rem præsentem, exque genuinis naturæ & gratiæ principiis dijudicandum. Superioribus equidem annis controversia quædam ea de re inter Theologos nostros enata, disquisitioni occasionem dedit: an mysteria Divina meris naturæ viribus possint intelligi? Potiori eorum parte negante, quibusdam vero id affirmantibus. Ostendi vero jam olim in Thesibus ex Theologia Polemica depromptis, quæ recenter sub *Philocaliæ* nomine recusæ sunt, Thesi XIV. juxta *Nicolaum Hunnium*, magni nominis in Ecclesia nostra Theologum, merum etiam historicum ipsius literæ sensum gratiæ supernaturali adscribendum esse, saltem *quoad conceptum certum, solidum, indubitatum.* Cum ergo extra controversiam positum esse videatur, fidem nostram & fiduciam, in meritum Christi ponendam, in notitia rerum immota & Divina fide nitente, fundari debere, (quod infra suo loco invictis argumentis probaturi sumus) ultro hinc consequi quilibet videt, notitiam illam, quæ in omnibus ipsam conversionem antecedentibus gradibus à Spiritu S. producitur, quamquam non admissa ab irregenito Divina ejus certitudine, naturalis esse & vocari possit, quâ tamen Divina & infallibilis est, necessario esse supernaturalem. Deinde cum non minus de actionibus pædagogicis eodem tempore disputaretur, ostensum à me in Disputatione de Pelagianismo à Lutherana Ecclesia depulso, Aphorismo IV. §. III. est, non negari, quod Theologi frequenter, etiam in ipsis Libris nostris Symbolicis, repetunt, actus illos, frequentare templum, audire verbum, scrutari illud etiam cum curiosa delectatione & similes, naturales vocari posse, qua vel curiositatis tantum causa, aut meræ consuetudinis, omni attentione destitutæ, aut ut ludibrio res sacræ exponantur, expediuntur, (quanquam & in his ipsis ob individuam Spiritus Sancti cum verbo connexionem ad minimum compunctio quædam supernaturalis iis perpetuo

sit connexa) necessario tamen vere supernaturales esse, qua & quatenus & quando ad obsequium DEO in audiendo præstandum, ad desiderium notitiam ampliorem & denique assensum consequendi, & ut summatim dicam, ad animæ suæ salutem diriguntur. Quomodo enim ulla ratione fieri potest, ut quidquam, quod naturæ est, sine Pelagianismi nota, me ducat ad abjiciendos exitiosos animæ nostræ errores, ad plantandam in intellectu Divinam, omnesque naturæ vires supergredientem, veritatem, ad desiderandam animæ nostræ salutem, ad fiduciam in solo Christi merito ponendam? Cur, rogo te, auditores nostros primum ad S.S. Eucharistiæ sacramentum accessuros, tam sollicite, tam indefesse informamus, ut quæ ad pœnitentiam prævium, ad fidem in Christum, ad ipsius Sacramenti dignam participationem requiruntur, cognoscant, comprehendant, teneant, si notitia hæc omnis mere naturalis est, nec ulli veri medii causæque salutis nostræ rationem sustinet? Anne per mera naturalia ad vere Divina eosdem disponere nitimur?

Hæc igitur quamquam inter Theologos nostros disputari & exempli loco à nonnullis, quod naturalia nonnunquam sub colore super naturalium oculis nostris blandiantur, adduci non ignorabam, fateor tamen, nunquam me audivisse, naturalibus illis accenseri omnes singulosque illos vel motus, vel pulsus, vel notiam, vel amorem, vel desiderium, vel assensum, qui vel in irregenitis, in gradibus repulsam ultimi gradus gratiæ antecedentibus, ante regenerationem existunt, vel in impiis & lapsis, *Dannhawero* & *Musæo* auctoribus, ex præcedente lapsum gratia supersunt. In impiorum quidem notitiam vehementissime invehuntur nonnunquam Theologi, quorum verba diffusa opera in Θεοδιδάξει congessit *D. Spenerus*, sed notitiam intelligunt, qua cum abusu majori minorive conjunctam, cui veritatem abjudicant, non omnem, & nec Spiritualem quidem atque supernaturalem, ceu *Dannhawerus* & *Musæus* agnoscunt, sed finalem duntaxat, de qua superiori capite §. III, actum est) non interea negantes, notitiam in se, veram esse partim quoad intentionem Divinam, qua illa etiam in impiissimis eorum conversionem intendit, partim quoad compunctiones, eosdem subinde vellicantes. Nobis

bis vero de irregenitis potissimum sermo est, in quos in gradibus gratiæ prioribus vera notitia cadat, ceu ipsæ disputationum nostrarum inscriptiones arguunt, quos in irregenitos impios lapsos convertere in opponente vitium est, à Logicis non immerito castigatum.

IV. Jam quid quoad descriptionem Pelagianismi in nobis desideret Theologus, circumspiciendum nobis est. Conqueritur p. 10. silentio in descriptione nostra, tanquam angustiori, præteriri id, quod memorandum maxime fuerat, quod si afferatur, eam comprehendat Pelagianæ aberrationis partem, qua Pelagius maximum Ecclesiæ damnum intentaverit. Naturam enim vestivisse gratiæ vocabulo atque in his insidiis Pelagianismi nervos latitare periculosissime. Supplenda igitur est, inquit, descriptio in hunc sensum: *Pelagianismus circa illuminationis & conversionis negotium est, cum vel omne vel aliquid, quod unice à gratiæ Divinæ supernaturalis operatione dependet, tribuitur naturæ viribus, vel gratiæ specialis nomine venditatur, quod naturæ est, vel quod efficitur per solum Evangelium, in legis circulo collocatur.*

V. Cum mihi hoc ipso in loco Theologus objectet, me *multa* immiscere, quæ *ad causam tantum dilatandam* faciant, ipseque nihil adferre velit, *nisi* quod *ad causam necessario pertineat*, itaque ne hoc crimen denuo incurram, citra omnes ambages argumentor: quicquid in descriptione à me posita manifeste continetur, id diserte expressum non facit descriptionem justo angustiorem, neque ejus in descriptione expressio ad causam necessario pertinet, e contra si descriptioni illatum fuisset, ad causam tantum dilatandam feciisset. Atqui duo ista, quæ definitioni meæ adduntur. Ergo. Minor probatur, quia sole meridiano clarius est, cum aliquid, quod naturæ est, specialis gratiæ nomine venditatur, vel quod efficitur per solum Evangelium, in legis circulo collocatur, per id ipsum vel omne vel aliquid, quod unice à gratiæ Divinæ supernaturalis operatione dependet, tribui naturæ viribus. Ponatur furti definitio, quod sit subtractio rei alienæ invito domino. Causetur alter, hanc definitionem esse justo angustiorem, præteriri id, quod memorandum maxime fuerat, quodque omissum ingens damnum reip. inferre posset, immo sub cujus omissionis insidiis lateat periculosissimus furti nervus,

vus, nempe rem alienam posse vestiri nomine & specie rei propriæ, supplendam igitur esse furti definitionem: esse subtractionem rei alienæ, vel quæ pro aliena tantum venditatur. An ideo illa Jurisconsultorum definitio fuerit imperfectionis coarguenda? Quid igitur, rogo te, tribus pagellis opus fuerat, ad inane istud & supervacaneum additamentum, & quidem sub eo prætextu, quod sub omissionis illius insidiis periculosissimus Pelagianismi nervus latitet, supplendum? Quis non suspicetur, ideo tantum hoc additum fuisse, ut lector persuadeatur, ubique hiare meas assertiones, ubique aliquid deficere & ubi etiam vel optima videar dicere, tamen aliquid supplendum esse?

CAP. III.

In quo de Illuminatione ejusque gradibus disquiritur.

I.

ILluminatio est actio Divina, qua hominis intellectum à congenitis errorum tenebris liberat & lucem veritatis cœlestis in rebus Divinitus revelatis eidem infundit. Quæ definitio ante omnia ex ipsâ metaphorica vocis significatione innotescit. Illuminare enim est lumen oculis præbere, ut videre possint & per hanc visionem cætera corporis membra officia sua obire. Ita illuminatio sacra est intellectus, ut ita loquar, habilitatio, qua is quod verum & bonum est, videre & cognoscere & per hanc cognitionem voluntas & appetitus ad amplectendum id, quod verum & efficiendum id, quod bonum est, tendere queant. Hæc est prima & propria vocis significatio, ex ipsâ metaphoræ indole & natra deducta. Nec minus Scripturæ usui conformis est. Quid clarius est loco 2. Cor. IV. 6. *DEUS, dicens, ut lux ex tenebris luceret, lucem diffudit in cordibus nostris, ad efficiendum lumen notitiæ gloriæ DEI, in facie JEsu Christi?* Ergo illuminatio primo & ex ipsâ originatione vocis lumen gloriosæ notitiæ DEI intellectui infundit. Quid clarius est loco Ephes. I. 17. 18. *DEUS Domini nostri JESU Christi, Pater gloriæ*

gloriæ det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis in notitia ipſius. Illuminatos oculos intellectus veſtri, ut videatis, quæ ſit ſpes vocationis veſtræ & quæ ſint divitiæ gloriæ hæreditatis ipſius in ſanctis. Ecce aperta evolutio metaphoræ è lumine deductæ ad notitiam rerum Divinarum!

II. Ut lumen oculis vel majus vel minus illabitur, & exoriente die oculi primum tenui lumine, vero tamen colluſtrantur, donec illud ſubinde reddatur majus illuſtriusque: ita in homine irregenito à Sipiritu S. ordine agente, exiguum primò lumen, ſique ei locus concedatur, ſubinde majus & tandem maximum accenditur, donec effectus hujus luminis ipſa regeneratio ſuccedat. Quid clarius illo Petrino: *Verbum Propheticum lucet* primum *in obſcuro loco*, deinde ita, ut fit, *quando illuceſcere incipit dies*, denique quando *lucifer exoritur in cordibus noſtris*, 2. Petr. I. 19. Quid clarius illo Chriſti: *Semen verbi conjicitur in hominem. Id* in homine primum *germinat* & vivum redditur. Tum vero *fructificat*, ſed per gradus. Primo *gramen* producit, viridis cupiditatis verbum ſcrutandi. Deinde *ſpicam*, incrementum notitiæ. Tum *granum* aſſenſus. Denique *frumentum* fidei & bonorum operum. Marc. IV. 26. ſq.

III. Ut verò illuminatio oculorum naturalis, primò quidem & proprie afficit corporis oculos, ut videant & ut per hanc viſionem cætera membra omnia, ad agendum à natura diſpoſita, pariter quoque & conſequenter in ipſo effectu videant, quid ipſis ſit agendum; nam apertis oculis pedes vident, quorſum ambulare poſſint. manus, quorſum extendi poſſint, os, quid comedere poſſit, atque ſic porrò, cum clauſis oculis hæc membra omnia, quid agi ab ipſis poſſit, ignorent & pedes manusque nihil quod idoneum ſit, efficere poſſint: ita quoque illuminatio mentis ſpiritualis illuminato intellectu ad voluntatem tranſit, ut quemadmodum oculis illuminatis pedes quoque vident, quorſum ire debeant, ita illuminato in ſacris intellectu voluntas quoque communicative dicatur illuminari, ut agat, quod ſui eſt officii. Clariſſime hanc connexionem innuit Apoſtolus, Act. XXVI. 18. ubi dicit, miſſum ſe eſſe à Chriſto *ad aperiendum* oculos gentium, *ut convertantur à tenebris ad lucem*, (ergo apertio oculorum, ſeu illuminatio primò & per ſe tendit ad veritatem intel-

lectui, dispulsis tenebris, inferendam) *a potestate Satanæ ad DEum* (ergo illuminato intellectu homo ob peccatum Satanæ potestati subjectus ex vinculis Satanæ ad fidem in Christum, Satanæ conculcatorem eluctari potest) *ut* isthoc pacto *recipiat remissionem peccatorum & sortem in sanctificatis, per fidem in ipsum.* Ecce connexionem illuminationis & sanctificationis?

IV. Ut verò oculi verè illuminari, etiam extraordinaria Medici virtute, si homo antea fuerit cœcus, possunt, ut tamen ideò reliqua membra, ad agendum comparata actiones suas omittant; nec enim, quia oculi, oblato infusoque iis lumine, verè vident, ideò & pedes necessariò ambulant & manus necessariò apprehendunt: ita intellectus noster verè, etiam supernaturali DEI *Medici nostri*, Ex. XV. 26. virtute, concipere & verè intelligere res sacras & ad salutem nostram pertinentes, id est, veram habere rerum sacrarum notitiam potest, ut tamen voluntas & affectus non ideò statim agant, quod agendum ipsis esse intellectus per gratiam Divinam verè, probè, accurate, prorsusque ad mentem Spiritus Sancti cognovit. Quid clarius illo Hebr. IV. 4. *Qui semel illuminati dona cœlestia gustarunt & participes facti sunt Spiritus Sancti, prolabi,* tamen non obstante & manente illuminatione, *& Filium DEI sibi ipsi denuò crucifigere possunt?* Quid clarius illo Hebr. X. 26. *Sponte peccamus, postquam notitiam veritatis accepimus?* Quid denique clarius ipsa experientia, quæ testatur, plurimos homines veram rerum sacrarum cognitionem optimo animo & sine imbibere & tamen postremo rationibus temporalibus induci, quo minus complete convertantur? Vineam Domini variis operationibus, partim admissis partim rejectis, à Domino ipso, non à natura, excoli & tamen ferre labruscas? Es. V. 2.

V. Ut denique quantumlibet oculis perfectum lumen illatum sit, illique verè videant, si tamen pedes ad lapidem allidant, cadatque homo, per figuram Rhethoribus usitatam cœcus is dicitur, nec ita verè videns, ut attendat, quo eat, quippe qui apertis oculis lapidem quasi non videat & à lapsu sibi non caveat: ita homo irregenitus, cujus menti lumen vel majus vel minus Divinarum rerum notitiæ illatum estisque verè res sacras ex auditu verbi Divini & proprio scrutinio illius cognoscat, si tamen is ea non faciat, quæ notitia illa requirit,

cœ-

cœcus nihilque vel non verè videns per eandem figuram dicitur. Quid clarius illo Servatoris: *excœcavit oculos eorum & induravit cor eorum, ut non videant oculis & attendant corde*, (sicut qui videntibus oculis ad lapidem allidit, non aliter se gerit, ac si non videret, quia non attendit corde, quo eat) *& ita convertantur*. Joh. XII. 40. Quid clarius illo: *videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt*. Matth. XIII. 13. Vident nempe in rebus sacris, id est, intelligunt & earundem notitiam habent, & tamen non vident, neque intelligunt, id est, notitiam suam non ad id applicant, ad quod applicare debebant, notitiam suam ad usum non transferunt, adeoque hactenus non aliter se gerunt, ac si non intelligerent; sicut qui allidit pedem, videt lapidem, & in effectu tamen ita se gerit, ac si non videret, neque usum aut applicationem visionis suæ habet. Præclarè hoc enunciat Apostolus: *si quis sibi videtur quid scire, nondum quicquam scit, sicut oportet scire.* 1. Cor. IIX. 2. *Schomerus* noster: *Qui novit, quid de ipsa re, sive idolothytorum abominatione statuendum sit, atque inde sibi videtur præ aliis sapere, nondum novit tamen officium suum, quâ ratione hac intelligentia OPORTEAT UTI.*

VI. Hæc in compendio nostra est de Illuminante gratia doctrina, immotis sacrarum literarum fundamentis subnixa. Qui diversam sententiam sequuntur, quod non detur in homine vera illuminatio, nisi prævia actuali regeneratione, adeoque in homine irregenito, quamdiu irregenitus est, verum salutaris notitiæ lumen neque exoriri, neque locum habere possit, quibus argumentis vel nostram doctrinam oppugnent, vel suam stabiliant, ex sequenti eorum, quæ in contrarium à Theologo adducta sunt, examine constabit.

VII. Quare excipitur I. falsum esse, quod intellectus illuminatio præcedat illuminationem voluntatis. Falsum esse, quod Christus omnes homines illuminet, quantum juxta ordinem à se constitutum fieri potest. Quia illuminatio Christi sit tantum intentionalis, Joh. I. 9. & voluntatis antecedentis. *Et ordo Christi nihil quicquam actuale illuminationis merè spiritualis relinquit malitiosè renitentibus, nisi intentionem voluntatis antecedentis.* Ad quæ respondetur I. Quid de voluntatis & intellectus vel præcedentia vel sequela habendum

sit, ex supra §. I. & III. dictis constare poterit, & infra suo loco uberius dicetur. II. Misera est illuminatio Christi, si tantum est intentionalis, in ordine suo considerata. Annon ergò in primo secundoque gratiæ gradu non intendit tantum, sed manum etiam adponit illuminationi, adeò ut latente supra c. I. §. 7. Theologo, *irregenitus motus illos gratiæ in conscientia sua admittat?* Hocne est intentionaliter tantum, illuminare? III. Quid clarius est, quam illuminare Christum omnes juxta ordinem à se constitutum? Quis ille ordo? Primò, ut quos ad se vocat, veniant. Matth. XI. 28. Ergo, qui non veniunt, planè non illuminantur, quia primum ordinis gradum non observant. Qui vero veniunt, eatenus illuminantur, quod lumen coram se intueantur, ejusque jussa juxta hunc ordinem expectent. Secundo, ut qui veniunt, ipsum audiant. Ergo qui veniunt & non audiunt, non amplius, quam antea factum, illuminantur, quia hunc gradum ordinis non observant. Qui vero veniunt & audiunt, eatenus iluminantur, quod audiant verba salutis & juxta hunc ordinem Christo obediant. Tertio, ut qui audiunt, verum dictorum illius sensum percipiant. Ergo qui non percipiuut, in hoc sensu non illuminantur, quia ordinem non observant. Qui verò percipunt, in tantum illuminantur, ut voluntatem ejus sciant, quam antea ignoraverant. Idque impetrant, quia ordinem observant. Quarto, ut qui sciunt voluntatem ipsius Evangelicam, eandem faciant, id est, revelatis omnibus assentiantur. Ergo qui id non faciunt, in assensu non illuminantur, quia ordinem non observant. Qui verò assentiuntur, hunc maximum illuminationis gradum assequuntur, quia ordinem observant. Quintò, ut qui mysteriis salutis nostræ assensum præbent, Christum salutis suæ anchoram apprehendant, ad eumque plenè convertantur. Ergo qui id non faciunt, non regenerantur aut convertuntur, quia ordinem non observant. Qui vero id faciunt, summum suæ justificationis & gratiæ fastigium superant, quia ordinem observant. Potestne his positis sol clarius perstringere oculos, cum hæc legit: *Christus omnes illuminat, juxta ordinem à se constitutum?* Quæro itaque, qui gradus illos omnes, excepto ultimo, cui resistit, admittit, in illis gradibus verè fuerit illuminatus? Quam verò

verò obscura, quam ambigua est Theologi responsio: *ordo Christi nihil quicquam actuale illuminationis merè spiritualis relinquit malitiosè renitentibus, nisi intentionem voluntatis antecedentis?* Quid est illuminatio *mere Spiritualis?* Anne igitur ante conversionem homo irregenitus veram, hoc est, Spiritualem, seu Spiritus S. in operando intentioni convenientem, quamquam non mere Spiritualem, sed naturalibus imperfectionibus mixtam, notitiam rerum sacrarum consequitur? Quid hoc mirum est, cum nec plenissime regenitus Paulus mere Spiritualis fuerit, sed carnalis & venundatus sub peccatum? Quid est: *ordo Christi non relinquit quicquam actuale malitiosè renitentibus?* Ergone ante renitentiam habuerunt actualem illuminationem spiritualem, id est, veram? Id omnino sequitur. Et quid nos aliter volumus, quam irregenitum actu aliquando habere veram rerum sacrarum notitiam, sive illam retineat, sive relinquat? Id enim si obtentum fuerit, falsum erit, quod dicit opponens: *constat satis, solum regenitum veram habere rerum Divinarum notitiam.* Sed vero etiam RELINQVERE malitiosam renitentiam homini in peccatum contra conscientiam prolapso INHÆRENTEM ET CUM EA ACTUALEM SANCTI SPIRITUS GRATIAM, animum ejus ad pœnitentiam pulsantem, quæ per rerum naturam non in re alia, quam in notitia & assensu consistere potest, post *D. Dannhaverum* ex *D. Musæo* (quem pro principe partium suarum patrono laudat Theologus) non ignorabat. Disp. V. de Conv. §. XXVII. Sed vero ea de re frequentem dicendi occasionem Disputatio nobis opposita præbebit.

IIX. Dixeram ego: *qui in aliquo ordinis gradu illuminantur, quamquam ad perfectam illuminationem non statim deveniant, vere tamen quoad gradum illum illuminari.* At irregenitos quoad gradum unum pluresque illuminari. Ergo. Cum hæc veritas oculos nimis clare præstringat, variis modis, nonnullis etiam comprehensu mihi, quod ingenue fateor, impossibilibus, ex tam claris lucis radiis extricare sese nititur Theologus. Causa est, quod hac in re omnis quasi nervus disputationis inter nos nostræ consistit. Hoc enim unum est, quod urgeo, quodque in Disputatione de Pelagianismo à nobis, ex consideratione, ut in ipsa Disputationis inscriptione significavimus, communis Ecclesiæ nostræ doctrinæ, *de Gratiæ illuminantis ordine & gradibus*, depulso, justo dilucidoque or-

dine ostendi, si conversionem nostram non in momento, sed successive & per gradus fieri, tota Ecclesia nostra attestante, inter nos constet, tum necessario per gradus quosdam intellectum & voluntatem commoveri, ut ad acquirendam fidem, per quam solam fiat regeneratio, procedat. Id autem aliter fieri non posse, quam ut homo irregenitus notitiam sibi rerum sacrarum, quæ fundamentum remotum præbet fidei, unam post alteram per gradus, & assensum iis adponendum, qui est fundamentum fidei proximum, (quæ notitia & assensus ideo partes fidei materiales vulgo constituunt) gradatim, dum adhuc irregenitus est, acquirat. Hanc vero notitiam, hunc assensum, sive minorem primo, sive majorem postea, sive postremo maximum, non posse non, non obstante, quod homo nondum sit regenitus, sed per gradus ad regenituram tendat, esse veram, à Spiritu S. effectam, adeoque supernaturalem & in suo gradu modoque vere spiritualem notitiam & assensum, quia sit à Spiritu S. in ipso officio suo convertendi hominem constituto profecta, & ab eodem, non obstante notitiæ & assensus imperfectione, eo à Spiritu S. directa, ut sint verissimum medium, fiduciam in Christum implantandi, adeoque conversionem efficiendi. Nec enim per medium quodcunque naturale sine Pelagianismi nervo, vel fidem vel conversionem procurari posse. Quæ cum sole clariora sunt, facile divinare Theologus poterat, quantum assertum suum destruerent: *solum regenitum veram habere rerum sacrarum notitiam.*

IX. Respondet itaque I. *Posse concedi recte satis de illuminationis gradibus post justificationem, non æque autem de iis, qui ante justificationem statuuntur.* p. 13. Non enim dari illuminationem nisi per regenerationem completam, illamque antecedere regenerationem, non tempore, sed naturæ ordine. Ad quod vero respondetur: quando de gradibus illuminationis & conversionis in Systematibus & compendiis Theologiæ à Theologis actum fuit, intellectos perpetuo illos gradus fuisse, per quos ad conversionem deveniatur, non qui conversionem & justificationem insequantur. Quanquam enim etiam post justificationem lumen notitiæ Divinæ magis magisque crescat & assensus ex meditatione S. Litterarum & quotidianis pietatis exercitiis robur majus & firmitatem capiat, juxta

Eph. IV.

Eph. IV. 15. 16. tamen de gradibus gratiæ, ad conversionem tendentibus, præcipue & propemodum unica semper fuit quæstio. Quod & arguunt nomina passim huic gratiæ tributa, prævenientis, excitantis, præparantis, operantis, quæ singula innuunt, conversionem non in momento, sed præveniendo, excitando, præparando, operando, & laborem hunc sæpe longissimo tempore exequendo, in effectum deduci. Si itaque ante conversionem unum notitiæ & assensus lumen post alterum in homine irregenito excitatur, ultro consequitur, eundem ante conversionem, non per conversionem illuminari. Nam lumen accipere & possidere est juxta ipsam vocem illuminari & vere illuminatur conclave sive exiguo, sive majori, sive completo lumine illuminetur.

X. Deinde respondet ibidem, *culpam reperiri in homine, cur non complete illuminetur. Repellere enim & excutere gratiæ & legis radios illabentes; & sic illuminationis scintillam actu secundo nullam retinere, nedum mereri, illuminatum dici.* Respondetur I. De completa illuminatione ne quidem sermo nunc est, sed de gradibus illuminationis, qui sunt pars incompleta illuminationis. II. Argumentum Theologi hoc est: *quicunque repellit iterum & excutit gratiæ & legis* (hanc cur nunc addat, penetrare non possum, cum infra fusissima opera disputet, eo quod irregenitorum notitia sit legalis, eo ipso veram non esse) *radios, ille scintillam notitiæ veram nunquam habuit. Irregenitus. Ergo.* Respondetur: Titius parentis sui opera & studio, literis destinatus, comprehendit notitiam Grammatice voces sine vitio declinandi & conjugandi. Profectus dein in militiam repellit iterum & excutit illos Grammaticæ notitiæ radios. Ergo nunquam habuit veram declinandi conjugandique rationem. Non habuit constantem, habuit tamen veram. III. Si in homine irregenito est scintilla illuminationis, tum vera in illo est illuminatio, quia scintilla vere, quamquam momentaneè illuminat. Exemplo fulguris, quod in momento latissimum splendidissimumque, atque adeo longe verissimum, lumen diffundit. Ergo irregenitus eo temporis momento, quo scintillam illuminationis habet, & quamdiu illam habet, veræ est illuminatus. IV. Jam supra ostensum est & suo loco immotis argumentis probabitur, falsum & ad extenuandos Spiritus Sancti in irregenitis motus confictum esse, quod

quod in irregenitis tantum exigua aliqua notitiæ & illuminationis scintillula à Spiritu Sancto excitetur, quasi tam pauper esset Spiritus Sancti gratia & ille in dispensandis illuminationis gradibus tantum minimam, aliquam illuminationis particulam procuraret, & eandem ne veram quidem & officio suo congruam, id est, vere Spiritualem. Annon informat Judæum ad plurimos notitiæ & assensus gradus? Hæcne est scintilla? Annon doctori irregenito summam vastamque rerum sacrarum notitiam, eo fine, ut per eandem suam & aliorum salutem promoveat, inspirat? Hæcne est scintilla? Neque excipi potest, doctoris irregeniti notitiam non esse à Spiritu Sancto; sed à propria, quam per naturæ vires habere poterat, diligentia. Nam partim Spiritus Sancti operatio hominis diligentiam nunquam excludit, partim ratio nulla excogitari potest, cur quando rusticus ab animæ suæ curatore ab impietate, repræsentata ipsi *gratiæ & legis*, ut Theologus loquitur, indole & per id excitatis in animo ipsius pœnitentiæ quoad utramque ejus partem stimulis, revocatur, operatio id sit & effectus gratiæ supernaturalis, Spiritui Sancto propriæ, non vero sint motus & pulsus ejusdem Spiritus Sancti supernaturales & spirituales, quando doctor Theologus irregenitus idem audit, legit, considerat, quod rusticus, iisdemque frequenter compunctionibus (quid facio? quid ago? cur alios doceo, & ipse rejectaneus fio?) agitatur, quibus rusticus? Porro annon Agrippam eousque per Paulum illuminavit Sp. Sanctus, ut crediderit Prophetis, ut parum abesset, quin Christianus fieret? Hæccine est scintilla? Rogo Te, ut ingenue me informes, parumne fuerit, an multum, quod in Agrippa à Spiritu Sancto fuerat illuminatum? Et anne ideo falsa fuerit illius illuminatio, quia non fuit completa, id est, quemadmodum pars adversa interpretatur, quia Agrippa non factus est actu ipso Christianus. V. Quicunque totaliter excutiunt gratiæ & legis radios, quoad ipsum conversionis effectum, adeo ut neque lex contritionem seriam, neque gratia fidem operetur, illi non ideo excutiunt notitiæ acquisitos per antecedentem gratiam radios. Doceatur convincaturque Socinianus, Christum verum esse DEUM. Doceatur amplius, Christum verum DEUM loco generis humani pro peccatis nostris satisfeciisse. Quando hoc negat & huic veritati sese opponit, notitia

tia quidem hujus & assensu destituitur, sed ideo non excutit doctrinæ de vera Divinitate Christi notitiam & assensum. Denique VI. si vel maxime priorem notitiam, eamque veram, amitteret, ut nonnunquam fieri non inficiamur, sufficeret, ipsum tanquam irregenitum eandem, non obstante irregenitura, possedisse. Quo pacto denuò falsum esset: *solum regenitum veram habere rerum sacrarum notitiam.*

XI. Respondet III. Veræ illuminationis nomine venire non posse, quæ non ex Evangelio oriatur, sed ex lege. Ex Evangelio autem nihil oriri, nisi fide sit acceptatum. Quam in rem longus ex Apologia A. C. locus, exque ejus p. 84. seq. allegatur, cujus initium est: *Paulus docet, velamen, quo facies Mosis tecta est, non posse tolli, nisi FIDE IN CHRISTVM, quâ accipitur Spiritus S. - - - - Tum autem detrahitur nobis hoc velamen, h. e. eximitur hic error, quando DEVS ostendit cordibus nostris immunditiem nostram & magnitudinem peccati. Ibi primum videmus, nos longè abesse ab impletione legis. Ibi EXPERIMVR, nos NON CREDERE, quod DEVS ignoscat & exaudiat. Cum autem audito Evangelio & remissione peccatorum FIDE erigimur, CONCIPIMVS SPIRITVM SANCTVM, ut JAM RECTE DE DEO SENTIRE POSSIMVS ET TIMERE DEVM ET CREDERE EI.* Ex quo loco concludit Theologus: *argumenta, quæ in eo veluti fulmina verbi DEI attendimus, annon pariter arguunt, nullam notitiam veræ illuminationis nomine appellari posse, antequam Evangelii luce efficaci collustrata sit.* Argumentum hoc foret: Quæcunque notitia non luce Evangelii collustratur, sed legis velamine tegitur, ea non est Evangelicè vera, adeoque non est gratiæ Spiritus Sancti, sed iræ & damnationis. Quæcunque notitia non accipitur fide, ea non est luce Evangelica collustrata. Bonum enim nuncium non accipitur nisi fide. Ergo.

XII. Ingens quidem pondus & momentum in hac argumentatione ponit Theologus & quia illam pro invictâ habet, infra in conclusione magna cum bonæ causæ confidentiâ repetit & diducit. De fiducia autem in hoc argumentum positâ illico remisisset, si vel in memoriam sibi revocasset, vel expendisset Aphorismum Calovianum, quem Calvinianis, inprimis Supralapsariis, in controversiarum Synopsi p. 62. opposuit: *Non omnes promissiones Evangelicæ sub HYPOTHESI fidei factæ sunt,*

cum nonnullæ fidem ipsam & gratiam ILLVMINATIONIS, regenerationis & conversionis promittant. Ecce hac una regula tota structura adversæ argumentationis destructa jacet. Nempe I. omninò conceditur: qui in primis gradibus illuminantur, non illuminari, antequam Evangelii luce efficaci colluστrentur. An non efficax Evangelii lux est, quando irregeniti vocem Spiritus Sancti in primis gratiæ gradibus audiunt, expendunt, ad animum revocant, cognoscunt, cognitionis incrementa capiunt, mysteriis assentiuntur? Quid hæc sunt nisi Evangelica? Exinde ex ipsius Theologi verbis contra ipsum argumentor: Quicunque Evangelii luce efficaci verè colluστrantur, eorum notitia veræ illuminationis nomine jure meritissimo venit. Atqui qui in primis gradibus pulsus & motus Spiritus Sancti gratiosos recipiunt, Evangelii luce efficaci colluστrantur. Ergo. Quod si regesseris, Apologiam A. C. Evangelicam operationem eam tantum pro verè Evangelica reputare, quæ *fide acceptet* oblatam gratiam, tum Resp. II. agere Apologiam manifestè de iis promissionibus Evangelicis, quæ promittunt remissionem peccatorum & vitam æternam, seu ut Apologia loquitur, quod DEVS IGNOSCAT ET EXAVDIAT, & has à fide suspensas esse jure meritoque defendit; non vero agere de iis promissionibus Evangelicis, quibus fides ipsa promittitur, non sub conditione fidei, quod esset absurdum, sed sub conditione auditi, considerati, vero sensu intellecti & assensu comprobati verbi. Nempe in Apologia discrimen legis & Evangelii in ordine ad effectus eorundem, qui nonnisi fide impetrantur, evolvitur, sed ideò gradus Evangelicæ operationis ad efficiendam ipsam fidem non negantur aut excluduntur. Unius positio non est alterius exclusio. Verum est, *velamen Mosis non posse tolli, nisi fide in Christum, quâ accipitur Spiritus Sanctus.* Sed Spiritus Sanctus non per legem, sed per Evangelium, neque nisi intra certum ordinem gradusque, ordinatè & resistibiliter datur. Primò per auditum verbi, cui potest resisti. Si non resistatur, sed acceptetur & amplius desideretur, effectus id quidem est Spiritus Sancti, ex vera verbi notitia ortus, sed ideò tamen nondum acceptus est per fidem Spiritus Sanctus. Non enim sufficit verbum audire, etiam cum delectatione, ut dicaris accipere Spiritum Sanctum per fidem; necesse est, ut

eidem

eidem per multos iterum gradus, modo in hoc modo in illo, præbeas assensum. Jam fieri potest, ut in uno alteroque, aut etiam in plurimis per Spiritus Sancti gratiam verbo assentiaris, adeoque veram earum rerum notitiam, quippe à Sp. S. profectam, consequaris, nondum tamen per fidem in Christum Spiritum S. accepisti. Accepisti quidem Spiritum S. quoad illa, in quibus aurem eidem præbuisti, nondum tamen accepisti Spiritum S. per fidem. Theologi hoc ita enunciant: accipi Spiritum Sanctum in prioribus gradibus, quâ *assistentem* & perpetuo magis magisque *pulsantem*, ex Ap. III. 20. in ultimo fidei actu, tanquam *inhabitantem* & *inambulantem*, ex 2. Cor. VI. 16. Cum igitur Apologia A. C. agat in loco nobis opposito tantum de supremo illuminationis gradu, cum effectu illuminationis connexo, qui fidem includit, neque ut de antecedentibus fidem gradibus, dum contra Pontificios disputabat, simul ageret, causam ullam habuerit, ultro patet, immeritò eandem nobis opponi.

XIII. Succedit nunc in hoc argumento controversia omnium maximi momenti: utrum nempe alia ratio sit veræ notitiæ in rebus Spiritualibus, alia in iis, quæ ad mores & naturam, itemque ad ipsa artificialia spectant? Nam concedit pars adversa, in rebus naturæ subjectis veritatem notitiæ purè ex eo æstimari, quando conceptus rei in intellectu cum re extra intellectum existente convenit; sed in rebus & mysteriis sacris, de quibus hic sermo sit, rem longè aliter sese habere. Nam in rebus naturalibus negari non posse, praxin ipsam ad essentiam interiorem notitiæ practicæ, seu circa objectum practicum versantis, non pertinere, sed esse notitiæ finem & effectum, qui sit extra formam & essentiam notitiæ practicæ. Ita habitum seu notitiam agri colendi, & in artibus mechanicis effectus suos producendi, si vel maximè effectus habitui non conjungatur, verissimam tamen notitiam esse ultrò concedit. At ex instituto Divino cum notitia rerum sacrarum praxin fidei & pietatis ita conjungi contendit, ut praxis sit DE ESSENTIA Notitiæ & interiori ejus constitutione, qua absente notitia non sit vera notitia, Theologicè, Spiritualiter, Apostolicè loquendo, sed notitiæ potius spectrum. Quod adeò & verum sit de notitia in primis gratiæ gradibus effecta, non quod Spiritus S. non inten-

dat, veram in homine irregenito efficere notitiam, sed quod subjectum, quamdiu irregenitum sit & fide careat, incapax sit, notiam eam eousque recipiendi, ut vera & Spiritus S. intentioni conformis appellari queat. Atque hunc esse controversiæ hujus statum, apud utramque partem in confesso esse puto.

XIV. Nostræ verò partis sententia nititur vulgari & ante motas has controversias in toto mundo receptâ veræ notitiæ definitione, quæ hæc est, quod vera notitia sit, quæ rem in intellectu concipit, prout extra intellectum est. Vera igitur notitia rerum sacrarum necessariò est, quæ res sacras in intellectu concipit, prout extra intellectum in Scriptura nobis describuntur. Equidem jam supra cap. I. §. III. ostendi sole clarioribus exemplis, veritatis vocem non semper in nativâ hac suâ proprietate accipi, sed nonnunquam etiam bono consilio ad figuratam declinari, de quâ verba mea à Theologo hæc allegantur: *si res extra intellectum vera, ut vera cognoscitur, verè cognoscitur, de veritate in se loquendo. Si verò non debito modo & fine cognoscitur, vera non est cognitio, de veritate rectitudinis moralis & finali loquendo.* Fateturque Theologus, rem in naturalibus ita sese habere, sed in spiritualibus non item. Rationes hujus differentiæ & quod â notitia rerum sacrarum earum praxis salvâ notitiæ veritate in se, se parari simpliciter nequeat, plurimas adducit Theologus, iis intelligendi difficultatibus sæpius obseptas, ut ingenue fatear, me frequenter neque sensum earundem neque vim assequi posse. Quæ tamen à me, prout opinor, intelliguntur, de iis judicium nunc meum subjiciendum est.

XV. Dicit itaque I. *Cognitio Theologica ejus est indolis, quam metiri neutiquam oportet modo cognoscendi naturæ proprio.* Respondetur: ita omnino est. Ubi immota in sacris sunt fundamenta, quibus convincamur, res revelatas alius indolis esse, quam naturales, ceu fit in mysterio SS. Trinitatis, ibi revelationi meritò cedit natura. Sed verò fundamenta illa non debent esse lubrica & fallacia, sed immota & irrefragabilia, ne loco veritatis subrepat superstitio.

XVI. Dicit II. *Ratio differentiæ est, quia medium, ipsum DEI verbum, non signis modo constat, ut verbum humanæ originis, verum etiam efficacia Divina, quæ si ex percepto literæ sensu non una admittitur, cognitio destituitur parte potiori, neque alia quam naturalis est,*

vera

vera Theologiæ objecta neutiquam vere apprehendens. Hæc est tandem sola illa & invincibilis ratio, cur judicio Spiritus Sanctus sola intellectus apprehensio, absque sequente praxi, in Spiritualibus non generet veram notitiam. Nunc videamus vim hujus fundamenti, ne verbis fundamenti solis decipiamur. Dico itaque I. in simili: Lex naturalis, quæ est principium Jurisprudentiæ, τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις, Rom. II. 15. non in meris legis illius naturalis, in cordibus scriptæ, literis, tanquam signis, quid lex illa velit, utpote testimonio conscientiæ & cogitationibus, sese accusantibus & excusantibus, verum etiam efficacia Divina, qualis legi Divinæ, seu à DEO homini inditæ, competit, nempe jubendi, animum commovendi, stimulandi, ni faciat, minas addendi, consistit. Ergo si homo naturalis & Jurisconsultus, percepto legis naturalis sensu, vim & efficaciam ejus non admittat, id est, jussioni ejus non obtemperet, neque animo suo ad obedientiam commoveatur, vere legis naturalis objecta non apprehendit. Ergo neque notitia legum naturalium, nisi cum obsequio illis præstito conjuncta sit, vera erit. Dico itaque prorsus eodem modo: Lex naturalis non est humanæ originis; *DEus enim revelavit.* Rom. I. 19. Et tantæ præterea efficaciæ Divinæ, ut hominem non hic tantum, sed etiam olim coram judicio Divino accusatura sit. Rom. II. 16. Ergo ejus notitia sine legis praxi vera non est. Non est ovum ovo similius. quam argumentatio adversæ partis & hæc nostra. Cur vero ad veritatem notitiæ rerum Spiritualium requiratur efficaciæ eidem inditæ admissio, id est, notitiæ praxis, non vero requiratur ad veritatem notitiæ naturalis, cum tamen non minus in ejus essentia contineatur vis & efficacia, id, quod jubet notitia practica, seu lex naturalis, in praxin deducendi? Non nude dicendum est: efficacia Divina, verbo indita, facit, ut nisi efficacia in praxi admittatur, notitia ex verbo hausta, non sit veri nominis notitia, sed immoto etiam hoc argumento probandum est & ostendendum. Cur enim dicere idem non possim de efficacia Divina, lege naturali à DEO indita? Sed constringamus partem adversam aliis instantiis, non minus sole clarioribus. Assumamus ordinationes Regum Principumque quorumlibet provinciales, sive civiles sive Ecclesiasticas, dicamusque verbis Theologi: Medium intelligendi has Constitutio-

nes, verbum nempe, quo conceptæ sunt, non signis modo & literis constat, verum etiam efficacia Regia & principali, quæ si percepto literæ sensu non una admittitur, cognitio destituitur parte potiori. Quanta est efficacia in Regum Principumque edictis, quæ nisi admittatur, virga, rota, carnifex, relegatio & infinitæ id genus cruces præsto sunt, quæ virtutem arguant & demonstrent. Ergone vera Constitutionum illarum notitia non datur, nisi cum obedientia conjuncta? Rursus: producamus mandata & jussiones paternas, quibus filii ad obsequium adstringuntur. Medium intelligendi has jusiones, verbum nempe, ex ore Parentum prolatum, non signis modo externæ prolocutionis constat, verum etiam virtute & efficacia paterna, qua nisi pareant filii, in ordinem redigi possint, quæ nisi percepto vocis sensu simul in animum filiorum admittantur, cognitio voluntatis paternæ potiori parte destituitur. Ergone voluntatis paternæ vera cognitio non datur, nisi voluntas ejus & imperium traducatur in effectum? Denique: Intueamur Divinum, quibuslibet quodcunque operantibus & laborantibus datum, mandatum: *quicquid feceritis sive verbo sive opere, omne id facite in nomine Domini JEsu, gratias agentes DEO & Patri per ipsum*, Col. III. 17. Si ob Divinitus mandatam connexionem notitiæ rerum sacrarum cum earundem praxi, & ob efficaciam verbo mandati additam vere cognosci res sacræ non possunt, nisi ubi praxis ipsa cum notitia conjugitur; tum ob Divinitus mandatam connexionem invocationis nominis JEsu cum quolibet opere manuario verum opus manuarium non datur sine illa invocatione. Ratio prorsus una est eademque. Mysteria Divina credenda & juxta illa vivendum est. Manuaria opera suscipienda sunt & expedienda. Ut mysteriis fides salutariter adponi possit cognoscenda illa sunt. Ut manuarii labores salutariter & cum fructu expediantur, invocandus est DEus in nomine JEsu. Ut mysteria cognosci possint, efficaciam DEus verbo indidit. Ut invocatio cum fructu expediri possit, efficaciam DEus precibus adjecit. Ergo ut notitia sine praxi ex DEI instituto nulla vera est: ita nec operatio quælibet manuaria sine invocatione DEI nulla vera est. Resp. II. Si efficacia verbi Divini non minus est resistibilis, quam efficacia legis naturalis, Constitutionum item Principalium & imperii paterni, tum consequitur, si resistentia, quæ fit legi naturali,

turali, non tollit veram notitiam legis naturalis, neque resistentiam, quæ fit verbo Divino, tollere veram notitiam verbi Divini. Est enim eadem utriusque ratio; aut ratio firma adducenda est, quæ convincat, resistentiam, quæ fit verbo Divino, quo minus fructum effectumque suum consequatur, tollere veram notitiam, non vero tollere eandem resistentiam, quæ fit legi naturali, aut principum constitutionibus. III Falsum est, si efficacia Divina, percepto literæ sensu, non una admittitur, destitui eam notitiam parte sui potiori. Destituitur effectu suo, quem intenderat, non vero parte sui potiori. Quicquid enim est effectus notitiæ, à notitia intentus, id non est pars notitiæ, nedum pars potior notitiæ. Atqui admissio efficaciæ. Ergo. Probatur Minor, quia admissio efficaciæ notitiæ est ipsa praxis notitiæ. Praxis autem notitiæ est effectus notitiæ. Quemadmodum praxis legis est effectus legis, non pars legis.

XVII. Dicit III. *Hinc factum, ut nec Canonici, nec Symbolici codices vocabulum VERE de Spiritualibus rebus alio sensu usurpent, quam qui emphasin spiritualem præ se ferat, propterea que ista significatio in gratiæ regno absorbeat omnino alteram, naturæ hujus mundi communem.* Respondetur I. Si Scriptura & libri Symbolici veritatis vocem rebus Spiritualibus nonnisi sensu emphatico attribuunt, id est, notitiam cum praxi complicando, tum in sensu improprio vocem accipiunt. Est enim Emphasis figura Rhetorica, adeoque locutionem generat non propriam, sed impropriam & figuratam. Quod vero figurate tale est, id vere & proprie non est tale. Sicut Herodes non vere vulpes est, quia est figurate vulpes. Ergo sibi ipsi contrarius est Theologus, qui notitiam regenitorum, cum praxi conjunctam, facit tantum figuratè talem. Est autem *Emphasis* juxta Quintilianum figura talis, *quæ plus quam verum dicit*, adeoque in præsenti materia non dicit tantum veram notitiam, sed plus adhuc, id est, effectum veræ notitiæ. Atqui in Sacris non minus, quam apud Theologos, tum inprimis, quando veriſſimæ etiam notitiæ inanitatem & sterilitatem, eo quod fructus nullos ferat, quos ferre debebat, ob oculos ponere & exaggerare cupiunt, frequenter hanc veri vocem in hac emphatica acceptione usurpari, nequaquam negatur. Quis enim prohibeat vel Scripturæ vel Theologis, figurate loqui & floribus Rhetoricis sermones suos exornare?

Per

Per quas locutiones tamen propositionum, si removeatur figura & emphasis, veritas adeo non tollitur, ut potius stabiliatur. Immo quemadmodum ea in occasione, ubi contra veram quidem, sed infructuosam notitiam perorandum est, veri vocem ἐν ἐμφάσει capiendo, adeo non pecco aut reprehendi debeo, ut potius eo ipso laudibus sim extollendus, cum ἐμφάσεως figura hunc ipsum in finem sit inventa: ita è contrario, quando contra eos depugnandum est, qui immensum Spiritus Sancti beneficium, quod in irregenitos confert, Divinam, iisdem & spiritualem rerum sacrarum notitiam hunc ipsum in finem, ut ex erroribus eluctari, fidem in Christum concipere & æternum salvari possint inspirando, eoque immensum amorem suum erga quoslibet irregenitos & impios, etiam ipsos morituros, contestando, iisdem surripere eoque eos, quo minus tantum beneficium agnoscant & vera notitia ad sui conversionem utantur, securos reddere, ignari, quid faciant, annituntur, merito & hi laudandi sunt, quando veritatem illius notitiæ propugnant & defendunt. II. Nulla emphatica locutio propriam absorbet, sive ea usurpetur in regno naturæ, sive in regno gratiæ, sive in regno gloriæ, sed ponit potius. Quia plus quam verum dicit, adeoque verum supponit. III. Propositio illa: si Canonici & Symbolici libri vocem *vere* de Spiritualibus rebus non alio sensu usurpant, quam qui emphasin Spiritualem præ se ferat, tum rerum Spiritualium non alia datur veritas, nisi emphatica, falsa est. Nam, ut jam demonstratum, Emphatica propriam adeo non excludit, ut potius supponat. Præterea sufficit Scripturam notitiam irregenitis tribuere, sine veritatis additione, ex qua absoluta scientiæ positione vera ordinarie subintelligitur. Sic cum dicitur: *servus sciens voluntatem Domini & non faciens duplo vapulabit.* Luc. XII. 47. ipsum vocabulum: γνὺς, *sciens*, veritatem in se includit. Omnis enim vox veritatem connotat, nisi manifestæ rationes contrarium evincant. Ut igitur in illa ipsa propositione per servum servus verus & per voluntatem voluntas vera & per Dominum Dominus verus tam certo intelligitur, ac si veritatis vox singulis adposita esset: ita & de scientia idem intelligendum esse ultro intelligitur. Longè magis ad veritatem vox adstringitur, si praxi contradistinguitur. Ut fit

Joh.

Joh. XIII. 17. *Si hæc sciveritis, beati estis, si ea faciatis.* In quo contrarium includitur: infelices esse, si sciant, nec tamen faciant, eòque infeliciores, quo verius, certius, accuratius sciverint, nec tamen secundum scientiam fecerint.

XVIII. Dicit IV. *Nec τὸ: verè, in iis tantum opponitur τῷ simulato, aut τῷ falso, sed non minus & τῷ naturaliter & τῷ immaturè seu incompletè.* Respondetur I. Immo Emphatica veritas non tantum non simulatam, non falsam, non naturalem, non immaturam, sed maxime maturam, non incompletam, sed maximè completam veritatem, immò plusquam maturam, plusquam completam designat. Juxta *Quintilianum* enim plusquam verum dicit, id est, cum veritate etiam effectum, qui veritati notitiæ extra essentiam ejus accedit, involvit, quod est plusquam verum. Adeoque hæc nobis non sunt adversa, ceu uberius ostensum in Disp. super locum 1. Joh. II. 3. 4. II. In loco paulò ante adducto: *si hæc sciveritis*, scientia non tantum opponitur scientiæ simulatæ, aut falsæ, sed & naturali & immaturæ & incompletæ. Hoc enim vult: si hæc sciveritis, quemadmodum ex mea hactenus informatione verè & completè scitis, *beati estis*, si non tantum ita verè & completè scitis, sed etiam facitis. III. Luditur in vocabulo: *incompletè & immaturè.* Aut enim aliquid incompletum est & immaturum quoad essentiam; sicut completè verus homo non est, qui habet verum corpus, non verò animam, completus, qui utrumque habet. Aut incompletum est & immaturum quoad effectus, qui ex essentia profluere debebant. Sicut verus homo & completus non est, qui ratione sua non recte utitur, completus & verus, qui rationis usu perfecte utitur. Ita arbor completa est quoad essentiam, si habet radicem, truncum & ramos, imperfecta, quæ folia & fructus non protrudit. Ita & notitia quælibet, praxi sua, tanquam fructu, destituta.

XIX. Dicit V. *Quamvis ergo gradus gratiæ ante justificationem vere dicantur spirituales, quatenus simulatis, falsis vel naturalibus opponi possunt, tamen natura illuminationis haud patitur, ut ab aliis respectibus describatur homo, qui per gradum hunc illumve illuminatur verè, quia ipsa illuminatio supponit & justam qualitatis indolem, h. e. Evangelicam & actum completum.* Respondetur: Perinde ac si dicerem: quamvis gradus informationis ante Doctoratum

vere dicantur Academici, quatenus trivialibus, Gymnasticis, simulatis vel falsis opponuntur, natura tamen informationis Academicæ pro Doctoratu haud patitur, ut ab iis respectibus describatur discipulus Academicus, qui per gradum hunc illumve verè informatur, quia ipsa informatio Academica supponit & justam qualitatis indolem, (ab eâ, quam in trivialibus scholis hauserunt, diversam) hoc est, Academicam & actum Doctoratus completum. Nempe sicut discipulus ad Doctoratum contendens verè docetur & informatur, veramque pro illo gradu doctrinæ lucem haurit, etsi ad actum Doctoratus completum, vel nondum, vel planè non perveniat, suâ vel culpa vel malitiâ: ita homo irregenitus, qui per gradum hunc illumve VERE illuminatur, etsi ad completum illuminationis gradum non perveniat, verè tamen illuminatur. Nota interea auctoris ingenuam confessionem, à vi veritatis ipsi expressam: irregeniti per gradum hunc illumve VERE illuminantur & quidem per actus Spirituales, quatenus simulatis, falsis & NATVRALIBVS opponuntur. Quæso te per DEum immortalem, quid aliud est, quod nos propugnamus & Dissentiens oppugnat? Quid aliud volumus, quam notitiam & illuminationem in irregenito veram, eamque non naturalem esse, sed spiritualem? ut omnes Disputationum nostrarum tituli præferunt. E contra adversæ partis rotunda confessio est p. 105. SOLVM REGENITVM VERAM HABERE RERVM DIVINARVM NOTITIAM, quam & majusculis literis expressit; & notitiam spiritualem esse non posse in homine naturali, juxta 1. Cor. II. 14. Regeres: hanc notitiam partialem & incompletam deleri iterum & annihilari per contumaciam ad minimum ultimo conversionis actui oppositam. Respondetur, jam supra ostensum esse, partim non deleri notitiam, à Præceptore discipulo ingestam, quamvis vel ultimo vel aliis perfectionis gradibus contumaciam opponat. Partim, posito priorem notitiam annihilari, manere tamen thesin nostram: datur in irregenito vera & spiritualis notitia, quamquam non constans & ad finem usque perfecta. Regeres iterum: differentiam tamen hactenus inter nos manere hanc: quod pars adversa statuat, ad ultimatò veram notitiam requiri praxin, tanquam essentialem ejus partem, nos vero nege-

negemus. Respondetur, verum esse, quod hoc à nobis negetur, negationemque nostram immotis argumentis probamus. Quibus & nunc hoc addimus: si homo irregenitus potest per gradum hunc illumve VERE & per actus SPIRITVALES veros illuminari, id est, notitiam veram & spiritualem in illis actibus acquirere & subjective possidere, tum non repugnat, illum hos actus, veros quidem, sed ad ultimatam conversionem insufficientes, per totam vitam suam habere. Quid enim impedit? Si potuit non resistere post primum motum admissum, sed secundum motum etiam admittere, sine sic dicta (mirabili certe & inconceptibili, quippe omnes antecedentes actus annihilante) pertinaciâ, cur non tertium, quartum & sic in infinitum? Possunt enim infinita dubia suboriri, quæ ante plenam conversionem omnia oportet submoveri.

XX. Dicit VI. *Vel devenit convertendus sensim ad completam illuminationem, tum hac demum verè illuminatur, ut præviis momentis se nondum verè illuminatum fuisse persentiscat.* Respondetur: Sensim devenit ager ad completam sui culturam & tum hac vere demum colitur, ut præviis momentis se nondum vere cultum fuisse persentiscat, quantumvis vere & aratus fuerit & occatus. Sensim devenit discipulus ad summum informationis gradum, ergo tum demum vere informatus est, ut præviis momentis non fuerit informatus. Perpetuo confunditur perfectum cum vero & verum essentiale cum vero finali.

XXI. Dicit VII. In hoc simili: *si inferior eruditionis gradus sumatur ante plenam fidei analogiam, quæ studio Theologico justam veritatem confert, quis homini veram eruditionem tribuet?* Immò quis homini in eo statu veram eruditionem non tribuet, quamquam non perfectam, justam & completam? Ita perpetuo luditur, verum pro perfecto justoque sumendo, de quo quæstio nulla est. An studiosus vere informatus non est, quia perfecte illuminatus non est? An vere non scripsit, quia scriptionem non absolvit? An vere non edit, quia ad satietatem non edit? An vere non laboravit, qui laborem non absolvit? An vere non bibit, qui poculum non ebibit? An vere non cognovit, qui non secundum omnes numeros gradusque cognovit? Quamquam suo loco demonstrabitur, ad quod grande noti-

tiæ fastigium irregenitus ascendere possit & ascendere necessario debeat, si regenitus fieri & converti velit.

XXII. Dicit IIX. *Qui ad complementum illuminationis non devenit, verè illuminatus dici non potest, propterea, quod ad victoriam haud emergit, scipsum privat gradibus prioribus.* Respondetur: I. Quicunque antequam regeneretur & justificetur, ne quidem unum fidei articulum fundamentalem ignorare, aut eidem non assentiri, vel potest vel debet, ille ad complementum illuminationis, quâ illuminatio primò & propriè, ex vi vocis & usu Scripturæ, (juxta ea, quæ supra dicta sunt §. I.) nempe pro intellectus illuminatione accipitur, vere devenit & vere illuminatus dici potest. Irregenitus. Ergo. Quando illuminatio voluntatis per fiduciam in meritum Christi positam, per præviam completam intellectus illuminationem accedit, major est illuminatio & perfecta, non quoad intellectum, sed quoad voluntatem, juxta ea, quæ diximus supra in hoc ipso capite §. III. II. An qui ad victoriam non emergit, vere non pugnavit? An qui ad fiduciam non emersit, veram credendorum notitiam non est consecutus? An qui ad victoriam in bello non emersit, ideò se privavit gradibus gloriæ bellicæ prioribus? Ergo non pugnavit? Ergo hostem non ex hac illave parte repulit? Ergo hunc illumve locum & fortalitium non occupavit? Ita perpetuò luditur, non distinguendo id, quod verum & laudabile est, ab eo, quod exemplo victoriæ ultimo utile & fructuosum est.

XXIII. Dicit IX. Cum ordine perfici dixissem illuminationem, neque in momento eandem perfici, *verum quidem hoc esse* ait, *sed si ordo ille ad maturitatem non deveniat, verè hominem in prioribus gradibus illuminatum non esse.* Respondetur: verum est, architectum successive domum elaborare, sed si ordo operationum ad perfectionem domus non devenerit, vere in prioribus operationis gradibus non laboravit, non vere scidit, non secuit, non disposuit? Verum est, ordine debere in auditorio disputari, sed si casu quodam interrupta disputatio ad finem non devenerit, vere disputatum non est, neque argumenta ulla vere vel proposita vel soluta? Verum est, ordine debere sartorem vestem laborando conficere, sed si ordo interrumpatur,

patur, quicquid laboratum in conficienda veste est, vere laboratum non est?

XXIV. Dicit X. *Non dicitur vere conversus, qui priores tantum gradus admittit, & qui legis opera ex servitutis Spiritu facit, neque Evangelii radios sentit & peccati remoras non eluctatur.* Respondetur I. Conversionis vox cum illuminatione non coincidit. Conversio enim vi ipsius vocis voluntatis actum primo intellectui nostro ingerit, intellectus vero actionem supponit. Plane contrario modo illuminatio vi vocis actum intellectus primo nobis repræsentat, quem demum sequitur actus voluntatis. Qui sese convertit â via erronea, is immediate per actum voluntatis sese convertit, & præsupponit tantum actum intellectus, qui nisi cognovisset viæ errorem, voluntatem ad convertendum sese à via erronea non flexisset. Qui illuminatur, intellectum ab erroribus liberat & consequenter per id voluntatem flectit, ut sese ab iisdem liberet & viam rectiorem ingrediatur. Ecce conceptus harum vocum, quam primum audiuntur, plane contrarium respectu facultatum animi conceptum nobis ingerunt, atque proinde ab uno ad alterum argumentari non licet. Qui sese actu ipso convertit, vere non tantum illuminatus fuit, sed illuminationis quoque ductum actu secutus est, quamquam eundem, quo minus converteretur, repellere poterat. Non item, qui vere illuminatus est, statim actu ipso convertitur, sed tum demum, quando illuminationis ductum sequitur. Atqui hæc causa est, cur vere non possit dici conversus, nisi qui omnes illuminationis quoad intellectum gradus (quantum eorum ad conversionis substantiam opus est) admisit. Absurdum vero esset, si idem dicere de illuminatione vellem, nempe non vere dici illuminatum, nisi qui omnes conversionis gradus admiserit. II. Quamquam conversionis vox vulgo & *absolute posita* completam conversionem enunciet, neque quisquam converti, inprimis vero *conversus* esse, dicatur, nisi qui complete per fidem ad DEum est conversus, tamen nihil impedit, neque ab usu loquendi alienum est, converti *cum addito* vel conversus esse *eatenus* dici, qui in certis ordinis à DEO observati partibus, non quoad intellectum tantum, sed etiam quoad voluntatem sese convertit, aut conversus est. Sic qui ab Ecclesiæ ministro,

cum in variis peccatis volutaretur, eo adductus est, ut à peccatis Sodomiticis desisteret, cætera tamen pro veris, aut gratiam excutientibus peccatis reputare nollet, is non quidem *absoluto loquendi modo* recte conversus diceretur, quia qui ita loqueretur, ab omnibus intelligeretur à cunctis peccatis remisisse, (verba autem valent ex usu & ex vulgari intellectu) tamen *cum addito* recte diceretur à Sodomiæ vitio sese convertisse. His positis quamquam vere conversus non esse dicatur *absolute*, qui priores conversionis gradus, non admisso ultimo, admisit, recte tamen conversus esse *cum addito* dicitur, quoad hos illosve gradus. Exempli gratia, hominem Pontificium eo adduco, ut agnoscat errorem & idololatriam suam in argumento de veneratione & invocatione sanctorum & imaginum religiosa, nondum autem agnoscat veritatem de sola fide justificante & imputata nobis Christi justitia. Hoc casu dicere nequeo *absolute*, hominem illum à Pontificia religione ad Lutheranam conversum esse, recte autem *cum addito* dico, eundem in dogmate de invocatione vere conversum esse. Falsum igitur est, quod hic dicitur à parte adversa, non dici vere conversum, qui priores tantum gradus admisit. Vere enim dicitur *cum addito* quoad gradus illos, & *eatenus*, qua & quousque gradus illos admisit, conversus. III. Quæ de servitutis Spiritu & negatis Evangelii radiis dicuntur, ad ea partim responsum est supra §. XI. partim infra ex instituto respondebitur. An ideo Evangelii radios non sensit Paulus, quia omnes peccati remoras non est eluctatus? An ideo gratiæ Principalis radios non sensit Titius, quia nondum omnes remoras removit, quæ impediebant, quo minus pleniſſimo gratiæ modo frueretur? Non ideo, qui omnes conversionis remoras non eluctatur, quas eluctatur, non vere eluctatur? Ex infinitis periculis & impedimentis vere per gratiam DEI eluctari & in felicem statum deponi possumus, si vel maxime ex pluribus & omnibus haud eluctemur.

CAP. IV.

CAP. IV.

In quo de ſpecialibus converſionis gradibus agitur.

I.

Diſtinguuntur gradus gratiæ à plerisque in *Prævenientem*, quæ converſionis faciat initium, in *Præparantem*, quæ converſionem proſequatur, in *Perficientem*, quæ eandem abſolvat, in *Cooperantem*, quæ converſionem continuet. Sed me quidem judice non immerito in Compendio Theologiæ obſervat *D. Andr. Kunadus*, gradus illos priores usque ad noviſſimum cum aliqua latitudine accipiendos eſſe. Nullum enim graduum actutum & in primo momento, unicoque ſemper actu ſubjectum irregenitum ſtatim capax reddere, vel ad repugnantiam naturalem reprimendam, vel ad recipiendos varios notitiæ motus, qui plerumque nonniſi per plurimos actus producantur. Quod adeo verum eſt, ut ſola articulorum fidei notitia, ut de aſſenſu iisdem præbendo nihil dicam, nonnunquam longo labore, longoque ſcrutinio opus habeat, ut intellectui inſinuetur. Ut adeo fruſtra, qui hodie effectus horum graduum extenuant, parum omni labore iſto profici, neque vel micam veræ vereque Spiritualis notitiæ ante actum regenerationis ultimum progenerari cauſentur. Id enim ſi fieri nequit, cur tanta tamque multiplex, tam ſollicita & longa opera, præterquam quod nihil omni iſto conatu proficiatur, aut proficiposſit, à Spiritu S. ſuſcipitur?

II. Qui nobis adverſi ſunt, nihil eſſe ajunt p. 18. quod moneant, niſi non eſſe confundendos gradus gratiæ ante juſtificationem & poſt juſtificationem; quam tamen differentiam ipſa horum graduum deſcriptione ſole clarius inſinuavi, ut ne quidem cogitatione aſſequi poſſim, cur hoc moneatur. Deinde circa gratiam præparantem monet, in ea jam juxta *Chemnitium* initium fieri luctæ carnis & Spiritus. Quod & alibi ultro conceſſi & id ipſum diſſentienti vehementer eſt adverſum. Si enim jam tum luctatur caro adverſus Spiritum S. quomodo id fieri poteſt, niſi homo irregenitus jam tum intel-

intelligat, quid Spiritus velit? Adeoque veram & à Spiritu S. in ipso effectam habeat notitiam ejus, adversus quod instituat luctam? Quæ lucta, quo magis notitia crescit & ad assensum devehitur, tot fidei articulis præbendum, eo fortius insurgit, ut Spiritum reprimat. Quæcunque vero victoria modo in hac, modo in alia credendorum agendorumque parte obtinetur, ea tanquam via medioque vere Divino, vere supernaturali, propius ad fidem & conversionem acceditur. Ita enim vinea hæc DEI, antea quasi deserta, & nonnisi vepribus obsita, magis magisque à sordibus purgatur, & semina ei ipsius Spiritus S. manu injiciuntur, ut fructum tandem, nisi obstinatio accedat, regenerationis & sanctificationis ferat.

III. Quod vero gradibus illis parum proficiatur, neque efficiatur vera illuminatio, *Augustini* exemplo Theologus probat p. 19. sq. qui de sese testetur, quod se ex antegressa *Spirituali* notitia (nunc Spiritualis est notitia in irregenito, quæ de cætero semper naturalis est, ut ambiguitate vocis aliquid videatur gratiæ in irregenito relinquere) nondum vere illuminatum *suo experimento intellexerit, carne concupiscente adversus Spiritum*, nondum vincentem. Ne autem objiceret, nonnisi de voluntatis negotio id scriptum esse, addidit expresse: *Ita COGITATIONES, quibus meditabar in te, similes erant conatibus EXPERGISCI volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur.* Item: *Non erat, quod tibi responderem, dicenti mihi surge, qui dormis & exsurge à mortuis, & ILLUMINABIT te CHRISTUS; nisi tantum verba lenta & somnolenta, modo, ecce, modo, sine paululum. Sed modo & modo non habebat modum & sine paululum, in longum ibat.* Quibus præmissis concludit Theologus: *Ecquis statuerit vero, sic animatum jam ex gradibus prioribus vere illuminatum esse?* Ita ille.

IV. At hoc, ô Theologe, statuit ipse *Augustinus* ille vester, quem adversus nos tanquam in victum veritatis confessorem, (quod nemo in prioribus gradibus vere sit illuminatus) in aciem producitis. Ita ille in verbis immediate antecedentibus: *Non erat mihi jam ulla excusatio, qua videri mihi solebam, propterea nondum me contempto sæculo servire tibi, ô DEUS, QUIA INCERTA MIHI ESSET PERCEPTIO VERITATIS.* (annon omnium hominum

num judicio in veritate complete est illuminatus, cui INCERTA NON AMPLIVS EST PERCEPTIO VERITATIS, hausta ex Spiritu DEI? Sed pergat *Augustinus* porro invicte refellere Theologum) *Jam enim & ipsa certa erat*, (Quæcunque perceptio veritatis ex Spiritu DEI Augustino CERTA erat, in ea vere erat & complete illuminatus, eo magis, quod dissentienti perabsurdum est, certitudinem veritatum Divinarum Divinam in irregenitum cadere posse) *ego autem adhuc terra obligatus militare tibi recusabam & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est:* (Certa *Augustino* erat veritas cœlestis, convictus de eadem fuerat, id est, erat complete illuminatus & tamen adhuc militare Deo renuebat, id est, vere perfecteque converti nondum volebat. Pergit verò *Augustinus*) *Ita sarcina seculi, velut somno assolet, dulciter premebar.* (Nunc sequuntur verba ab Antagonista allegata) *Et cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur.* Omittit hic plura Augustini verba, vim illam rebellionis carnis adversus Spiritum, quo minus ad DEum serio converteretur, magno cum pondere exprimentia. Tum vero sequuntur denuò ea, quæ ad institutum suum adplicat Theologus: *Non enim erat, quod tibi responderem dicenti mihi: surge, qui dormis & exsurge a mortuis & illuminabit te Christus:* ET VNDIQVE OSTENDENTI VERA TE DICERE, (omissa hæc sunt à Theologo) non erat omninò, quod responderem, VERITATE CONVICTVS, (denuo hæc verba omissa sunt) *nisi tantum verba lenta & somnolenta &* quæ sequuntur. Pene obstupui ad hanc omissionem, quippe quæ totam Disputantis intentionem, quæ hæc erat, quod notitia veritatis in Augustino non ita comparata fuerit, ut inde posset dici verè illuminatus, funditus & in ipsa prima litera evertit. Ecce enim, DEus per gratiam suam præparantem & propemodum perficientem ita VNDIQVE EI OSTENDIT VERITATEM, VT DE VERITATE ESSET CONVICTVS. Quid magis ad veram intellectus illuminationem unquam requiri potest? Et si maximè *Augustinus* id non diceret, irrefragabilis tamen veritatis esset, antecedere fidem seu fiduciam in meritum Christi positam, immutabili necessitate omnium fidei articulorum & notitiam

& assensum, Divinum & indubitatum. Quomodo enim fiducia tua ὑπόστασις erit & immota contra mundum, Diabolum & carnem consistet, nisi immoto niteretur principio, verbo Divino, in omnibus doctrinis fundamentalibus animæ nostræ intime impresso? Id nisi certum esset, cur si ex Judæis, ex Turcis, ex gentilibus, quis ad religionem Christianam accedere & baptismo initiari, seu credentium numero cooptari cupit, intellectum ejus omnibus necessariis doctrinæ Christianæ capitibus imbuimus? Cur assensum præbere & profiteri omnium illorum tenetur, antequam à nobis vere credere, veramque fidem profiteri, præsumi queat? Vel sola hæc in tota Christianitate recepta consuetudo cogere dissentientes poterat, ut faterentur, veram & vere Christianam omnium articulorum fidei fundamentalium notitiam, una cum assensu, conversionem completam antecedere debere. Sed de iis infra uberior nobis præbebitur dicendi occasio.

V. Una adhuc vel concessio vel rejectio partis adversæ paulo cutatius illuminanda erit. Ita ille p. 20. *De reliquo, ut ut largiri voluerimus, si quis minus proprie loquatur, per gradus prævios quodammodo illuminari eum, qui illos haud perdiderit, verum custodiat, ut sensim iis ad lucem veram ac completam devenire possit; tamen hinc nullo prorsus modo licuerit concedere, quod qui ad hoc complementum non perveniant, sed gradus neglexerint priores, ex ipsis nihilominus vere illuminatis sint habendi. Nam habenti datur, non autem habenti, hoc est, resistenti & amittenti auferetur & illud, quod habere putaverit. Luc. XIX. 26.*

VI. Quando I. dicitur, per gradus prævios illuminari, quamquam minus proprie, qui eosdem admiserit, roganda est pars adversa, ut tandem exprimat, quâ in re illuminatio illa minus propria consistat? An illuminatio illa minus proprie dicta sit intellectus quædam præparatio ad recipiendam fidem & conversionem? Et si hoc, an intellectus præparari possit per merum lumen naturale ad rem supernaturalem? Item, an gradus illi sint notitia & assensus, quibus solis homo ordinariè mentem suam parare potest, ad recipiendam erga alterum fiduciam? An vero prævia illa illuminatio sit ea ipsa notitia & assensus, quam nos dicimus esse viam illam, per

quam

quam fiduciam in unicum mundi Servatorem, Christum, concipere possimus, nec possimus alio medio quocunque, nisi admisso enthusiasmo ? II. Quando dicitur: tum tantum illuminari minus proprie hominem per gradus illos, quando illos non perdiderit, sed custodiat, tum quæro : an qui in scala per tres quatuorque gradus ascendit, si gradus illos non custodiat, sed vel descendendo vel deorsum cadendo perdat, antea quam ceciderit, non vere ascenderit ? An qui Theologiæ studio per aliquot annos operam dedit, ut ad sacrum ministerium adspiraret, deeinde animum mutat & juris studio incumbit, perdat statim notitiam antea acquisitam, nec custodiat ? Quo indicio constet, prævios illuminationis gradus perdi, nec custodiri, si homo non complete illuminetur? Quo constet indicio, eosdem gradus, si conversio non succedat, ex supernaturalibus subito degenerare in naturales? Itemque, an pro vere erudito in rebus Theologicis haberi non possit, qui studium Theologicum ad fastigium vel ministerii Ecclesiastici vel Doctoratus Theologici non deduxit? Hæc dubia ante omnia removenda sunt, antequam fides dictatis istis partis adversæ possit adponi. III. Quod ad locum Luc. XIX. spectat, *Augustinus* libro II. Qq. Ev. τὸ: *qui non habet*, interpretatur: *qui habet quidem sed non utitur;* ita & *Lyserus* atque *Gerhardus*. Quo pacto, qui habent notitiam rerum sacrarum, ut irregeniti, mali servi, veram quidem habent notitiam, sed ea non recte utuntur. Et quando eandem amittunt, tanquam ab iis ablatam, iterum sequitur, vere illos eandem subjective possedisse, cum alias auferri ab iis non potuisset. Deinde idem *Lyserus* ad vocem: *vel in hac vita, vel certè in futura.*

CAP. V.

In quo de Supernaturalitate horum graduum agitur.

I.

INvictum ejus rei argumentum est, quod hi gradus proveniant à Spiritu Sancto supernaturali virtute ideò operante, quia in officio suo sanctificatorio constitutus, ea

homini media & præsidia imprimere laborat, per quæ ad fidem & conversionem adducatur. Quodque hæ actiones Spiritus Sancti Supernaturales effectum in homine irregenito producant talem, qualem ipse Spiritus operando intendit, nempe primo tenuem quendam & infirmum, mox uberiorem & validiorem, porro perfectum & voluntati Spiritus S. in his quidem gradibus, in quibus non uno momento omnia gratiæ suæ dona vult effundere, sed gradatim procedere, convenientem, denique assensum pariter primo infirmum, mox validiorem, tandem omnimodum & invictum, quali fiducia in meritum Christi contra diabolum & mundum ponenda tuto possit inniti.

II. Auctor Disputationis nobis oppositæ & gradus & effectus gratiæ à Spiritus Sancti virtute supernaturali procedere concedit p. 21. *sed si de solis effectibus homogeneis accipiatur.* Quo quid intelligat, ut effectus à supernaturali virtute procedat, & ipse tamen non sit supernaturalis, alii conjectent, ego ignoro. Deinde quando dixeram: *quicquid boni ante conversionem in homine reperitur, quod ex intentione DEI & hominis ipsius ad conversionem tendere debet, id esse ex Sp. S. ejusque operatione supernaturali;* ambiguum id esse causatur: cum pro: *tendere debet,* ponendum sit: *quod tendit,* & præterea addi debeat: *quatenus id tale est, manetque.* Paulum enim asserere, Corinthios primum veram & Spiritualem habuisse DEI notitiam, qui cum eandem amisissent, de iisdem eundem pronunciare, *quod ignorantiam DEI habeant,* 1. Cor. XV. 34. non obstante, quod notitiam sacrorum naturalem retinuissent. Quo sensu & Apologia A. C. de iis, qui legis minis territi DEUM refugiunt, dicat p. 98. *nunquam assequi notitiam DEI.* Denique de Saulo dicere Chemnitium: *Saul habebat verbum DEI & Spiritus DEI bonus agebat illum, sed quia Saul opponebat contrarium actum voluntatis, recessit ab ipso Spiritus S.* Quam in rem & quod amitti possit Spiritus S. plura testimonia allegantur. Contrarium itaque dogma, quod apud lapsos & resistentes maneat Spiritus S. ut ipso dogmate, ita & effectu Pelagianizare.

III. Nihil majori cum voluptate & prolubio facit Theologus, quam cum hæreses sunt objectandæ. Supernaturale est

non

non tantum, quod effectum supra naturæ vires positum actu ipso producit, sed quod virtutem habet eundem producendi, quamquam virtus illa, quo minus in actum effectumque prodeat, impediatur. Naturale est cani latrare, quia virtutem habet latrandi, quamquam non latret. Homini proprium est, ignotum ex noto colligere, quamquam id nunquam faciat. Artificiale est, facultatem possidere ad artis regulas aliquid fabricandi, etiamsi tale opus non conficiat. Divinum est, virtutem possidere, innumeros mundos creandi, etsi eosdem non creet. Ita supernaturale est, quod virtutem habet, supra naturæ vires, utpote ad conversionem hominis, agendi, (quod idem est ac ad conversionem tendere) etsi conversionem non efficiat. Quid itaque amplius desideratur in illa supernaturalis descriptione? Supernaturalis itaque est notitia in homine irregenito, quia virtutem in se continet, conversionem efficiendi, etsi ob impedimentum non efficat. Quomodo itaque verum esse potest, quod scribit Theologus: *Quam habent tales notitiam DEI adhuc, spiritualiter nulla est, nec procedit etiam à supernaturali virtute & operatione Spiritus Sancti, cui tales renituntur?* Ac si dicerem: Quam habet architectus notitiam ædificandæ domus adhuc, nec tamen ædificat, artificialiter nulla est, nec procedit etiam à naturali virtute & operatione architecti, si tendat ad domum ædificandam, partemque conficiat: nec vero absolvat, quia, quo minus absolvat, renititur architectus.

IV. Quod ad locum 1. Cor. XV. 34. attinet, cui unquam interpretum ista tam paradoxa & nunquam hactenus audita glossa, vel in mentem venit vel potuit venire in mentem? *Testamur*, dico cum Theologo p. 108. *nos ab illis dissentire, qui fingunt opiniones quæ nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesia & ne talibus adstipulentur, vel iis patiantur sibi imponi, Ecclesiæ studiosos monemus.* Non diffiteor, difficilem visam plerisque interpretibus istam duorum versiculorum inter diffusam de resurrectione, quæ antecessit & quæ sequitur, tractationem, interpositionem. Plerique interpretes eo tendunt, versus istos occupationem in se quandam continere, empæctis futuræ resurrectionis oppositam, quales in Corinthiaca Ecclesia plures fuisse inde non immerito colligunt, quum tam curiosam & præter morem,

in exponendis aliis fidei articulis ab ipso observatum, diffusam tractationem instituerit. Cum igitur improbabile non sit, inter contradicentes, ut fieri solet, homines scopticos fuisse, quibus in congressibus compotatoriis fabula & scomma fuerit resurrectio, ita graviter eos Apostolus partim ab istiusmodi Satyricis confabulationibus, partim a societatibus pravis, tanquam illarum occasionibus dehortatur. *Ne fallamini* & vosmetipsos decipiatis, quasi in ejusmodi conventiculis vel joco liceret sacris illudere, vel alios illudentes cum delectatione audire. *Bonos mores corrumpunt consortia prava.* Igitur *evigilate, ut justum est*, ex hoc inadvertentiæ somno. Sunt in conventiculis istis *athei*, qui vel *DEum nullum credunt*, vel veram de DEO notitiam ex verbo DEI nunquam hauserunt, atque adeo promtius & audacius ex resurrectione fabulam ludunt. Quod quidem de Christianis *pudor est dicere.* Ita omnia in textu liquido fluunt. Ita antecedentia cum consequentibus suavissime correspondent. E contra quæ est connexio: resurrectionem credite. Fugite pravas sodalitates. Sunt enim in iis etiam, qui DEum ignorant, non quidem ita, ut naturalem mysteriorum cognitionem ex Scriptura non hauriant, sed ut ignorent eundem spiritualiter, Theologice, supernaturaliter & homogenè?

V. Apologia A. C. notitiam justificationis nostræ Evangelicæ per gratiam, à justificatione, quæ per legem fit & opera, in hoc ab invicem secernit, quod qui per legem justificari cupiunt, nunquam quieti sint, conscientia eos perpetuo accusante. Unde DEum ipsos nonnisi sibi iratum sentire posse, nec adeo assequi veram de DEO per fidem nobis propitio notitiam. Ex quo vero non sequitur: vera est DEI tanquam nobis gratiosi notitia, quando eundem concipimus ex mera gratia ob Christum fide apprehensum nobis propitium; ergo non est vera notitia, quando per notitiæ inferioris gradus ad fidem ipsam ascendimus. Sicut verum medium est intrandi hypocaustum, superare omnes scalæ gradus, & tamen verum simul medium est, superandi totam scalam, unum gradum post alterum ascendere, etsi supremum nunquam apprehendas.

VI. Postremo, ut fides amitti potest, quæ vera adfuerat, ita & notitia rerum sacrarum. Et eo ipso, quia amittitur, vere quoque adfuit. Ut ne quidem cogitando quis assequi possit,

sit, cui fini hæc à disputante contra seipsum adducantur. Nec enim aliud quid quæritur, quam utrum vera rerum ad salutem nostram pertinentium notitia in hominem irregenitum cadere possit, sive eandem retineat, sive amittat. Deinde in iis, quæ amittuntur, grandis deprehenditur differentia. Quædam enim amittuntur juxta omne esse sui, quædam certa tantum ratione. Qui studiis incumbit & ab iis remittit, amittit notitiam jam haustam, qua illa ad uberiorem animi culturam destinata erat, non qua jam percepta fuerat. Saul amisit Spiritum, quem antea habuerat, qua inhabitantem, quia ejus virtute per implantatam ipsi notitiam ad sanctitatem actualem deduci sese patiebatur: postquam ei renitebatur Saul, assistentem tamen Spiritum, Ap. III. 20. retinuit, quo per eandem numero notitiam *eundem pulsavit*, ut cor ipsi aperiret per fidem & intromitteret.

CAP. VI.

In quo de Resistibilitate graduum gratiæ agitur.

I.

SI in primo gratiæ gradu Spiritus S. hominem irregenitum vocat, ut ipsum salutis ei viam ostensurum audiat, huic vocationi vel obtemperare vel resistere & auditum renuere potest. Si audiat, informationi vel attendere potest, vel eandem negligere. Si attendat, vel amorem erga verbum testari, vel fastidium. Si testetur amorem, notitiam credendorum, unius post alterum haurire, vel modo in hoc, modo in alio ab illo remittere. Si serio hauriendæ veræ notitiæ sit intentus, assensum cognitis vel quibusdam vel omnibus largiri, vel denegare. Si largiatur in omnibus assensum, fiduciam in meritum Christi ponere, eoque hæres æternæ vitæ reddi potest, vel fiduciæ sese opponere. In eo gradu, quo notitiam credendorum vel acceptare vel repudiare potest, prolixissimus sese in credendorum specie aperit campus. Cum enim ad veram & salutarem fidem perveniri sine omnium singulorumque

rumque fidei articulorum, qui ad id, ut fides concipiatur, neceſſarii ſunt, haud poſſit, in ſingulis articulis vel acquieſcere, vel conſenſum denegare poteſt. Ex quo patet, magno conatu, labore, conſtantia opus eſſe, donec à Spiritu S. totum converſionis negotium deducatur ad finem. Ut vel ex hac ſola recenſione evidens ſit, plurimum laboris & temporis in gradibus converſionem antecedentibus à Spiritu S. impendi, & plurima ab irregenito percipi & aſſumi atque comprobari debere, antequam credere dicatur. Atque hæc longe clariſſima ſunt & tam evidentia, ut non exiſtimem, à quoquam Theologorum vel negatum iri, vel negari poſſe, niſi ſit affectu partis occupatus.

II. Nunc igitur, utrum in hac doctrina quidquam deſideret pars adverſa & quid deſideret, ut res omnis clarior fiat, diſpiciendum nobis eſt. Itaque p. 22. ſ. gratiam quoque operantem ſeu perficientem reſiſtibilem ſe facere profitetur, quod mihi ex verbis ipſius dubium eſſe videbatur. Dubium vero nondum ceſſat, quousque ille non profiteatur, ad gratiam operantem pertinere aſſenſum, certum & immotum, omnibus credendis ante converſionem præbendum & convictionem de Divinitate S. literarum, ſine qua fides non eſt fides, ſed humana perſuaſio. Quæ cum antecedere debeant fidem, fidesque ex eis generari, eadem ad gratiam operantem pertinere, neque demum ex completa converſione enaſci, indubitato ſequitur. Cum vero Theologus fidem immotam credendorum & Divinitatis Scripturæ ante completam illuminationem in homine irregenito exiſtere non poſſe propugnet, ultro conſequitur, operantem gratiam, quoad horum cum fide connexionem, juxta ipſum non eſſe reſiſtibilem.

III. Deinde vero cum ait: *quam ſerio ſentiamus, gratiæ operanti poſſe reſiſti, vel inde conſtat, quod ſemper docuerimus, Phariſæos reſtitiſſe Spiritui Sancto*: doctrina adverſæ partis, & qua in re à noſtra differat, quod ubique illa diſſimulat, in apricum proferenda eſt. Nempe negat illa, cujuscunque gradus effectum, ſive ſit auditus verbi, ſive ejusdem ſcrutinium, ſive amor & deſiderium, ſive notitia, vel parcior vel plenior, ſive aſſenſus, qualiscunque ſit, eſſe effectus gratiæ vero nomine tales, vere ſpirituales, vere ſupernaturales, ſed quatenus hæc omnia ſint in irregenito

regenito recepta, mera naturæ dona esse, quæ ad legem pertineant, (maledicentem potius, quam ad benedictionem remissionis peccatorum ducentem) non ad Evangelium, quippe quod operari nihil possit sine fide. Spiritum quidem sanctum in homine irregenito supernaturaliter operari & veros atque verè spirituales effectus operando intendere, sed hominem irregenitum, quousque sit irregenitus, per naturam non esse capacem ad motus illos ex Spiritus Sancti parte veros vere & subjective recipiendos, quousque fide destituatur, quod sit unicum medium, motum verè spiritualem, quocunque nomine veniat, recipiendi. Quare non tam quæritur, an ultimo gratiæ gradui possit resisti, (quamquam & hoc quoad Divinitatis Scripturæ & assensus credendorum Divinam certitudinem quæratur, ut in præcedente §. ostensum) quam: an gratiæ operanti possit resisti, dum omnes antecedentes in ratione veritatis, veræ spiritualitatis & veræ supernaturalitatis fuerunt verè & subjective admissi? Id quod nos affirmamus, pars verò adversa inficiatur.

IV. Quod in uno & pluribus gratiæ gradibus gratia non tantum offerri, sed & acceptari possit, probaveram ex 2. Cor. VI. 1. ubi gratia Divina frustra accipi posse dicatur, & ex Agrippæ exemplo Act. XXVI. 28. ubi gratia Divina eousque rem perduxerit, ut Paulus profiteatur: *Agrippa, credisne Prophetis? Scio, quod credas*, qui tamen irregenitus manserit. Ad priorem locum excipit pars adversa p. 23. *Ut detur, Apostolum in eo effato de gratia operante loqui, illud tamen, quod de ipsa affirmatur, (accipi eam posse frustra) non respicit ibi Corinthios, tanquam resistentes in conversionis negotio, sed Corinthios, ut stantes in renovationis gratia, at ne hanc amitterent, periculo obnoxios. Atque hi monentur, ipsos verè accepisse χάριν τοῦ Θεοῦ, fieri autem posse, ut in vanum accepissent.*

V. Sensit vim consecutionis Theologus, nimis claræ. Potest aliqua gratia Divina supernaturalis & spiritualis subjective accipi & tamen in vanum, ut altera gratiæ acceptio, quæ sequi debebat, repudietur. Jam pone, Apostolum loqui de gratia renovante, cum apertè loquatur de omni gratia, nulla excepta & Corinthiorum nonnulli unum gratiæ gradum, nonnulli plures, nonnulli omnes accepissent, si gratia renovans

potest acceptari & tamen iterum amitti, quæ tamen est reliquarum omnium complementum, quanto magis minoris generis, qualis etiam est gratia operans, acceptari & ultima tamen rejici? Magis enim indignum Divino beneficio est, omnes gratiæ gradus ad ultimum usque renovationis admittere & omnes iterum amittere, quam unum tantum alterumque admittere, eosdemque iterum amittere. Manet itaque generalis Apostoli pronunciatio, gratiam Divinam quamcunque vere posse acceptari & tamen iterum amitti.

VI. Regerit Theologus: *ast qui gratiæ operanti obnituntur, eam nondum accipiunt, nec dici possunt accepisse.* Respondetur: gratia operans, quæ assensum ad apprehensionem meriti Christi, in qua ultimata conversio consistit, absolute necessarium & prævium, producit, plures habet pro numero credendorum actus, quorum nonnullos acceptare potest irregenitus, alios repudiare. Atqui eo pacto & accipit gratiam operantem & non accipit, adeoque & non amittit & amittit. Pergit Theologus: *quâ locutione Scriptura nusquam utitur, nisi de fidelibus, quibus collata est gratia; immo istis, qui repugnant gratiæ operanti, hæc nullatenus confertur, nec conferri potest, sed tantum est oblata, neque ab iis accepta vere.* Quoad posterius jam ex clarissimo loco ostensum est, Scripturæ phrasi acceptari verè gratiam, & tamen frustra acceptari. Si autem frustra acceptatur, vere acceptatur, & fide tamen non acceptatur. Quod enim fide acceptatur, frustra non acceptatur. Et qui gratiæ operanti repugnant in uno, acceptare tamen possunt in altero. Quoad prius opus non est, ut Scriptura disertis verbis dicat, acceptari gratiam quoad antecedentes conversionem gradus, sufficit, æquipollentibus hoc verbis dicere. Si DEus omnia facit vineæ suæ, quæ facere debet, ut progeneret uvas, & vinea etiam omnem istam culturam usque ad ultimum fructuum punctum admittit, secatur, foditur, pluviam admittit, ita ut vinitor jam in eo sit, ut expectet uvas, & tamen in vanum laborat, sequitur, omnes operantis gratiæ gradus admissos fuisse sine fructu fidei & sanctitatis. Es. V. 4. Si semen in agrum projectum vere ab agro suscipitur, vere foras prorumpit & fruticatur, vere in longitudinem excrescit, vere gramen protrudit, vere spicam progenerat & hæc omnia antequam fructum ferat, tum & verbi auditi

auditi in irregenito effectus, admissio, scrutinium, notitia semper uberior, assensus, perpetuo crescens, verissimi effectus gratiæ sunt, antequam fructum ferant fidei & conversionis. Marc. IV. 26. seq.

VII. Ad posteriorem de Agrippa locum excipitur: *ipsum illud ὀλίγον, quod Agrippa sibi adhuc de esse fatebatur, indicio est satis, eum non vere accepisse gratiam, nec veram admisisse illuminationem.* Breviter quidem respondetur, sed longe robustior nervus est argumentationis, quæ ex Agrippæ exemplo prorsus memorabili deducitur, quam ut destrui tam levi aura possit, τὸ ὀλίγον hoc loco non extenuat, sed amplificat & adauget. Cui parum deest ad possessionem grandis thesauri, qualis est Christianismus, is non parum, sed multum auri atque argenti, neque falso sed verè possidet. Cui parum deest ad Christianismi amplexum, is vere accepit gratiam, ad Christianismum eundem deducentem, is non tantum veram eorum credendorum, quæ ad Christianismi professionem requiruntur, sed plerarumque omnium non notitiam tantum, sed & assensum habuit, is Christum pro vero Messia agnovit, saltem intra sese. Id enim nisi agnovisset, multum ei defuisset & longissime à Christianismo fuisset remotus. Parum aberat, quin Christianus fieret, id est, *D. Arcularo* ad hunc locum interprete: *mundi studium, potentia & splendor eum detinebant, præsertim cum videret, eos, qui Christum profiterentur, multorum odiis & persecutionibus esse obnoxios.* Dicere cum *Augustino* poterat: *convictus de veritate sarcina seculi dulciter premebar.* Rem ita sese habere & hunc esse indubitatum verborum illorum sensum, evidenter probatur ex versu immediatè antecedente: *credisne, Rex Agrippa, Prophetis?* de Christo, mundi Messia, vaticinantibus, v. 22. quos non intelligere alium potuisse, quam Jesum nostrum crucifixum & à mortuis resuscitatum, v. 23. immotis tibi Festoque argumentis comprobavi, ἀληθείας καὶ σοφίας ῥήμασι, v. 25. *Novi, quod credas.* Id quod παῤῥησιαζόμενος λαλῶ, *confidenter dico*, quia ex Spiritu S. hac de re certus sum. Novi, quod verè credas, Christum esse mundi Messiam, à Prophetis promissum, aque me evidenter & ad conscientiæ usque tuæ convictionem demonstratum. Hæc cum ex verborum evidentia & historiæ connexione certissima sint, argumentor: quicunque credit Prophetis, officium, mortem,

resurrectionem Messiæ annunciantibus & Paulo, hæc vaticinia ad convictionem usque Agrippæ ad Jesum Nazarenum applicanti, is verè assentitur principalissimo fidei Christianæ articulo, tanquam totius Christianæ religionis fundamento, & si parum abest à Christianismi professione, neque quicquam eundem aliud remoratur, quam mundi studium, potentia & splendor, cæteris quoque vel universis vel præcipuis. Atqui Agrippa irregenitus. Ergo. Quam igitur siniſtro oculo τὸ ὀλίγον, quod tamen hoc loco plus est quam τὸ πολύ, adspexit pars adversa? Neque credo, dicturam hanc esse, credidisse equidem Agrippam, sed fide humana, quæ revera fuerit hypocritica & dæmoniaca, nequaquam vera, spiritualis & supernaturalis. Nam hoc pacto verba Pauli exponenda erunt hunc in modum: *credisne, Agrippa, Prophetis?* *Scio* equidem, *quod credas*, sed quod falso, quod hypocritice, quod dæmoniace credas, id est, scio, quod nihil minus quam verè credas. Qualis vero hæc esset exaggeratio, quâ tamen manifestè uti volebat Paulus? Meritò itaque persuasus sum, Agrippam admisisse omnes singulosque gratiæ gradus, justificationem antecedentes, prævenientem, præparantem, operantem, excepto solo operantis gradu, vel effectu potius postremo, qui est fiducialis apprehensio Servatoris, vere & sufficienter cogniti. Id nempe volo, gratiam in Agrippa omne id operatam esse & perfeciſſe, ipsumque omne id apprehendisse, seu, ut Paulus loquitur, credidisse, quod ad completam ejus conversionem pertinebat, sed quo minus tandem fiduciam in Christum, abjecto seculi amore, poneret, quem tamen vere, recte, perfecte ex Pauli prædicatione, adeoque ex Spiritus Sancti supernaturali operatione, juxta personam & officium suum cognoverat, reapse poneret & fidei suæ hujus indicia per externam ejus professionem ederet, juxta Rom. X. 9. impediviſse causas & respectus mere temporales. Ad eum nempe modum, quo architectus non tantum incipit ædificare & ligna præparat, sed & operatur, jungit, coaptat, formam, quam habere debent, imprimit atque eousque perficit, nihil ut desit, nisi ut junctis invicem parietibus domus erigatur. Et tamen erectio ob causas quascunque privatas in effectum non deducatur. Verum enim vero priusquam ab hac consideratione remittamus, addimus

mus & hoc argumentum: si dantur gradus gratiæ præparantis hominem irregenitum & in eo operantis, tum dantur etiam gradus, præparationem & operationem illam recipientes. Atqui verum est prius. Ergo. Ratio consequentiæ est, quia alias gradus illi, nisi ascendi & superari possent, prorsus essent frustranei. Quid enim gradus in scala prosunt, si singuli gradus occupari non possunt? Sed si ille, qui in superius conclave venire velit, ab alio sine occupatione graduum scalæ elevari debeat? Applicabo, ut res clarior fiat, ad rem præsentem hoc simile. DEus vult hominem irregenitum in cœlum elevare, sed non vult hoc facere uno momento & immediate, sed intra certos quosdam gradus, ut per unum gradum ad alterum quasi in scala ascendendo in conclave cœleste ingrediatur. Monstrat itaque Spiritus S. primum gradum, jubetque ascendere ad verbum Divinum, & eorum, quæ in illo continentur, veram notitiam haurire. Promittit etiam auxilium, quo ascendere & Scripturas intelligere possit. Sed homo irregenitus adscendere non potest, quia non habet fidem, qua sola ascendi & vera notitia generari potest. Igitur cum homo ipse ascendere & gradum superare non possit, itaque DEus ipse eundem elevat, sine hausta vera & spirituali notitia. Tum jubet secundum, mox tertium, quartumque adscendere, inque illo cognitorum assensum, unius post alterum, & quidem illum certum Divinum, & immotum, haurire, promittitque pariter sufficientissimum auxilium. Sed homo irregenitus nihilominus ascendere non potest, aut ulli, fidei articulo vere assentiri, quia non habet fidem, nisi prius regeneretur, qua ullum gradum vere ascendere, verumque assensum ullius fidei articuli procurare sibi possit. DEus igitur hominem irregenitum in hos gradus elevat ipse, sine vera notitia, sine vero assensu. Donec tandem hominem in hos gradus elevatum fide donat & per hanc fidem & notitiam & assensum omnem præcedentem in notitiam & assensum verum, spiritualem, supernaturalem, Apostolicum & Theologicum subito convertit, atque adeo per illum hominem conververtit & regenerat. Non potest alius gratiæ Divinæ ordo animo concipi, ex sententia partis adversæ, stante ejus principio majusculis ideo literis ab ipsa signato: *SOLUM REGENITUM veram habere rerum Divinarum notitiam;* & ta-

men regenituram nonnisi per gradus acquiri. Quam vero hæc gradatio, hic ordo, ab omni ratione sit alienus, ex sola ejus recensione patescit.

CAP. VII.

In quo de Spiritualitate horum graduum agitur.

I.

UT res tota rectius percipiatur, oculis ante omnia nostris obversari debent partis adversæ hypotheses quasi juratæ, quibus tota doctrinæ contrariæ moles innititur, & ad quas in disputando cum dissentientibus perpetuo respiciendum est. Earum itaque est

PRIMA: Gratiam in primis quidem gradibus à DEO, quantum ad se oblatam, nunquam vere, nisi in ultimo justificationis puncto, acceptari aut exoriri posse.

SECUNDA: Causam hujus rei esse, quia gratia non possit acceptari, nisi per fidem, fides autem nisi justificatione præsente nec exoriatur, nec exoriri possit,

TERTIA: Quicquid gratiæ in prioribus conversionis gradibus videatur esse acceptatum, id per sequentem renitentiam plane tolli, disperdi, annihilari, ac si nunquam adfuisset.

QUARTA: Itaque veram notitiam, Theologico & Spirituali sensu acceptam, quo perpetuo accipi debeat, nunquam esse aut esse posse sine fide & pietate.

QUINTA: Quicquid vero in irregenito videatur esse notitiæ sacræ, id non esse notitiam Theologice & Spiritualiter veram, neque à Spiritu S. ortam, inque irregenitum receptam, sed mere naturalem, Theologice vero loquendo, falsam, Diabolicam & damnabilem.

SEXTA: Qui itaque doceat, notitiam hominis irregeniti, ex S. Literis haustam, esse veram notitiam & medium aliquod verum & Spirituale, hominem ad fidem & salutem gradatim deducendi, cum sit revera pure naturalis, eum re-

revera Pelagianum esse, qui his notitiis, tanquam meris naturæ effectibus, tribuat, quod meræ sit gratiæ. Atque his hypothesibus tota decurrit Disputatio, nobis opposita. Quare cum innumeris vicibus recurrant, neque nisi cum lectoris tædio toties refelli possint, debeantque, brevitati me potius studuisse, quam quidquam fraudulenter omisisse, quod refutandum fuerat, intelligi omnino debet.

II. Esse vero effectus gratiæ in gradibus conversionem antecedentibus vere à Spiritu S. productos & cum sint causalia media ad fidem producendam directa, in se spiritualia, ex enumeratione effectuum comprobavi; notitiâ peccati Spiritum S. offendentis, acquisitâ ex verbo notitia, scrutinio illius ulteriori, sensu maledictionis legalis, prædagogi instar ad Christum ducentis, delectatione ex verbi lectione orta, convictione cordis de Divinitate verbi, seria peccatorum, eo quod Spiritum Sanctum contristarunt, agnitione, desiderioque salutis æternæ. Quæ omnia credideram, fieri non posse, ut vel a dæmone, vel à natura corrupta, vel à ratione humana, quibus hæc singula stultitia sunt, ortum habere possent. Quinimo quia sunt ejus ipsius ordinis, quem efficiendæ conversioni Spiritus Sanctus impendit, (unde & gratiæ gradus dicuntur) effectus, quomodo non à Spiritu S. oriri & ejus indolem participare, id est, non Spirituales esse possint?

III. Circumspiciendum nunc est, quid ad hæc, ut hypotheses suas in tuto collocet, vel moneat vel regerat Theologus. Ante omnia vero denuo profiteor, plurima me ex iis, quæ disputat, nullo studio, nulla arte capere potuisse. Non ideo iniquus in ipsum sum, sed de ingenii mei infantia conqueror. Nonnunquam tamen in eam devenio cogitationem, causam suam eundem adversus nimis oculos ejus irradiantem veritatem, nisi per obscuram proponendi rationem tueri non potuisse. Quare quæ à me possunt intelligi, suismet verbis, ut quam vim habeant, pateat, adducemus. Cumque inter ea, quæ in homine irregenito per gratiam excitentur, veraque esse in iisdem inveniantur, & peccatorum agnitionem atque contritionem numeravimus, hanc adfert annotationem p. 25. *Longe aliter irregenitus dicitur*

& consideratur, qui impœnitens permanet, quam qui pœnitens vere fit. Apud utrumque motus à Spiritu S. excitati dantur atque eatenus aliquid notitiæ rerum Spiritualium, ad salutem utriusque Divinitus destinatæ, sed illi motus non eodem modo omnes recipiuntur ab utroque nec proinde notitia utrobique, eadem generatur. Irregenitus, qui manet impœnitens, seriam peccatorum agnitionem quodammodo sentire potest, seriis terroribus & angoribus constantem, sed non ita seriam, quæ contritio vera sit, qualis in pœnitente, etiam hucusque irregenito, exoritur, uti exemplum Judæ proditoris docet, ipso defectu precum aliarumque proprietatum. Male igitur contritio inter eos motus ponitur, qui existant vere in iis, qui ultimum fiduciæ gradum repudient. Ps. LI. 15. Contritionis veritas est potius officina, in qua operans gratia victoriam certam obtinet, Quemadmodum enim Christi mortem non poterat non sequi resurrectio, ita nec maturam contritionis indolem fiducia unquam deseret salutaris, Rom. VI. 4. 5. 8. Quæ quum ita sint, illico manifestum est, cur non admitti possit formata conclusio: ergo dantur in homine irregenito motus spirituales (eatenus) veri, ut notitia rerum sacrarum Spiritualis vera, h. e. vere spiritualis inde existat.

IV. Tanto labore, totiesque repetita *veri, vereque & eatenus veri* voce opus fuerat, ut vere veræ veritati reluctaretur. Nempe in toto hoc discursu verus verissimusque actus cum actu vere completo & in effectu salutari atque fructuoso confunditur. Non ideo manus vel pes in sculpendo pingendoque vere non conficitur, quia tota pictura sculpturaque vere non absolvitur. Non ideo in processu forensi vere ad querelam non respondit, qui ad reliquas actionis ipsi intentatæ partes contumaciter, quamquam respondere jussus, siluit. Repetamus in hoc exemplo verba Disputantis. Longe aliter in foro agens dicitur & consideratur, qui inobediens (post primam responsionem) permanet, quam qui obediens vere fit, & actionem ad finem usque prosequitur. Apud utrumque mandata & motus à Judice excitantur, atque eatenus aliquid actionis forensis, utpote injuncta ad querelam responsio, in postea inobediente datur, sed illi motus & mandata judicis non eodem modo ab agente semper obediente, & reo, qui semel tantum obediit, recipiuntur. Reus, qui semel quidem respondit, sed postea manet inobediens, sentire quodam-

dammodo serio potest, te semel respondisse, sed non ita serio, ut vera sit responsio, qualis in agente in foro esse debet, quæ nempe cum prosecutione actionis & tandem cum victoria sit conjuncta. Male igitur responsio inter eas actiones ponitur, quæ existant vere in eo, qui ultimam actionis victoriam non obtinuit, sed repudiavit. Quod si Jurisconsulti concessuri sunt, reum istum, qui semel ad querelam jussus respondit, sed actionem prosecutus non est, vere non respondisse, nos quoque concessuri sumus, contritum irregenitum vere contritum non fuisse, quia contritionem ad obtinendam usque fidem non est prosecutus. Jam porrò si artifex in officina sua, in qua nonnisi completa & perfecta opera fabricare debet, talia perpetuo facit, neque ulla unquam ex materiæ obluctatione imperfecta (quamquam & hæc ipsa veri sint ipsius effectus) relinquit, tum quoque in officina Spiritus Sancti perpetuò completa pœnitentia, nunquam sola contritio (quamquam & hæc verus sit Spiritus Sancti effectus) ex obluctatione contriti efficitur. In allegato Rom. VI. loco debitum nostrum exprimitur, non necessarius debiti cum facto ipso nexus. Alias enim, quia pro omnibus mortuus est Christus, omnes peccato morerentur, v. 2. II. Cor. V. 15. Quæ cum ita sint, manifestum est, tam verè dari in homine irregenito motus verè spirituales, quantumlibet ad effectum ultimum regenerationis non pertingant, quam vera datur actio forensis, responsio ad querelam actoris, etsi effectus ultimus victoriæ in foro non consequatur, & quam vera datur actio artificialis in pictore, qui caput hominis depinxit, etsi ad integram hominis picturam non processerit.

V. Deinde dixeram: *quicquid à Sp. S. provenit, id Spirituale & verum est; quia qualis est causa, talis & est effectus & à Spiritu veritatis id, quod falsum est, provenire non potest.* Cum igitur & contritio & notitia & cæteri paulò ante enumerati actus à Spiritu veritatis proveniant, non veros esse non posse. Respondet Theologus p. 62. *Nimis cruda hæc est argumentatio. Omnino id, quod falsum est, provenire à Spiritu veritatis nequit, quatenus mendacii induit naturam; quatenus tamen hanc nondum assumpserit, potuit originem ducere ab eo. Quis porro est tam ignarus omnium, qui nesciat, regulam illam multis suffla*minari modis, quo minus proce-

dat absolutè: qualis causa, talis effectus? Nempe nisi subjectum, in quo effectus accidit, qualitatem causæ impediverit intra se. Quicquid ergo à Sp. S. provenit, nec in homine impeditur, id spiritualiter verum est. Hinc autem quid subsumpto falsius? Motus spirituales in homine irregenito, à Spiritu S. provenientes, annon impediuntur? Impediuntur sanè, alioqui non perseveraret esse impœnitens. Quando igitur carnis obstaculo pertinaci reprimuntur, eorum veritas, seu vera indoles, nec efficaciam complete spiritualem, nec notitiam complete spiritualem, ne ipsis quidem de motibus, quorum aliquid homo impœnitens sentit, producere & gignere potest.

VI. Ad crudam hanc regestionem meris syllogismis Disputantem in viam reducere annitar. Quicquid dum à Spiritu S. provenit, mendacii naturam non induit, id verum est juxta Disputantem. Atqui notitia & contritio, dum à Sp. S. provenit, mendacii naturam non induit. Ergo. Probo Minorem: Quæcunque notitia à Spir. S. excitata est atque EATENVS aliquid notitiæ rerum spiritualium ad salutem Divinitus destinatum in se habet, ea dum & quatenus à Spiritu S. provenit, mendacii naturam non induit. Atqui notitia in irregenito, irregenito manente. Ergo. Minor est Theologi, cujus verba extant paulò ante §. III. Porrò: Quæcunque notitia à Spiritu S. proveniens, Divino verbo EATENVS est conformis, quod sensum illius verum exprimat, quamquam sensus illius applicationem ad usum nondum possideat, ea EATENVS est vera & spiritualis. Atqui notitia in homine irregenito. Ergo. Iterum: Quicquid à Sp. S. provenit, nec ab homine impeditur, id Spiritualiter verum est, sunt ipsa disputantis verba. Atqui notitia rerum spiritualium in homine irregenito, irregenito manente, à Spiritu S. provenit, quippe quæ ab eo excitatur & ad salutem ipsius destinatur; sunt iterum verba Disputantis, §. III. allegata. Ergo. Denuo: Quicunque motus neque in initio neque in progressu, sed tantum in ultimo effectu impediuntur, illi in initio & progressu veri sunt motus, quanquam non sunt veri motus in fine. Equus enim, qui hinc moveri debebat Hamburgum, si moveatur Lubecam usque, verè movetur initio Wismariam & in progressu Lubecam, quamque in fine non moveatur Hamburgum. Atqui notitiæ in irregenito Judæo

motus

motus non impediuntur in initio, dum convictus agnoscit, Messiam venisse, neque in medio, dum agnoscit, eum esse JEsum, (an impediuntur? Non impediuntur sane) impediuntur tamen in fine, dum non agnoscit, Christum esse DEum & ideo per fidem adorandum. Ergo. Denique: Quæcunque notitia carnis obstaculo reprimitur, quo minus juxta veram notitiæ spiritualis indolem, in completam & compositam cum ipso fructu & effectu notitiam efflorescat, ea quoad eam notitiæ partem, quæ fructu & effectu destituitur, vera, quamquam non completa, est notitia. Pictura enim hominis, quæ secundum indolem artis pictoriæ hominem totum repræsentare debebat, quamquam si caput tantum pectusque repræsentat, completa pictura non sit, vera tamen pictura est. Ergo. Quam igitur absurda, ut ingenue loquar, est Disputantis assertio: *quando motus Spiritus Sancti contra indolem suam ita reprimuntur, ut nec notitiam completam, nec efficaciam completè spiritualem producant, ne quidem quicquam veri de motibus, quorum aliquid sentiat homo impœnitens, gignere.* An infans in utero materno verus homo non est, quia non est completus quoad omnium membrorum perfectionem homo? An notitia ministri Ecclesiæ vulgaris non est vera notitia, quia non est tam completa, quam est Academici Doctoris? Præterea completum aliquid esse vel essentialiter vel accidentaliter, in vulgus notum est. Notitia, quæ rem apprehendit, sicut extra intellectum est, sive totaliter eam sive partialiter apprehendat, essentialiter vera est. In conversione primus motus est, ut homo agnoscat peccata sua. Si agnoscit offendisse se DEum peccato impudicitiæ, quamquam nondum agnoscat, offendisse se DEum peccato avaritiæ, verissima agnitio est, quamquam insufficiens.

VII. Addit Theologus argumentum ex Scriptura petitum: *Hoc illud est, quod Christus de Judæis suggerit fideliter meditandum. Joh. IIX. 37. verbum suum in impiis non habere locum, id est, non recipitur, ut ignis in fomite inutili, ita verbum in homine, à repugnantia non purgato. Clarius mens expressa est v. 43. sermonem meum non cognoscitis, quia non potestis audire. An vera Judæorum notitia fuit rerum spiritualium, quas à Christo audiebant, sed ne audire quidem poterant? Pernegat ipse Dominus.*

IIX. Respondetur: ne sensum quidem, quem Theologus vocat, naturalem intelligebant Judæi, nedum spiritualem. Loquebatur Christus de libertate Spiritus, illi intelligebant de libertate carnis, v. 33. Et quamquam libertatem Spiritus ipsis exponeret Christus v. 34. 35. 36. verba tamen, quamquam clara essent, tamen ab ipsis ob præjudicia & quod Filium, ab æterno genitum & ipsis libertatem conciliantem comprehendere non possent, revera ne quidem quoad sensum literalem intelligebant, v. 43. ob nimis crassum κάλυμμα, oculis ipsorum objectum. Unde ipsis objectat Servator hoc ipso versu: quare hoc ipso sermones meos ad vos habitos, ne quidem quoad sensum intelligitis, nedum ut in animum spirituali devotione intromittatis. *Stultitia vobis est* libertas spiritualis, *neque* eandem *intelligere potestis.* 1. Cor. II, 14. Idque ideò, quia ex mero adversus me odio & inveterato rancore ne quidem patientiam habere potestis, aures mihi vestras, vel naturales tantum, etiam ad semihorulam præbendi. Ita *Lucas Osiander.* Detur vero mihi ex omni Christianitate omnium singulorumque temporum vel unus Ecclesiæ doctor, qui isthoc, quo Theologus, pacto locum istum exponat!

IX. Dixeram porrò, impossibile esse, quin ea notitia sit vera, quæ est conformis menti Spiritus, in Scriptura manifestatæ. Talem autem esse irregenitorum, in primis gradibus ad conversionem tendentium, notitiam. Disputator p. 27. negat notitiam impiorum esse conformem verbo Divino. Difformitatem autem non esse a Spiritu S. sed ab homine. Unde & illa dicatur diabolica. Jac. III. 15. & homines eâ præditi, cœci duces & filii Diaboli. Joh. IIX. 44. Et Jacobo pariter rem fuisse cum iis, qui sapientiam se suam ex Sp. S. habere fuerint persuasi: quæ tamen per astutiam Diaboli in mentibus impiorum facta sit *terrena, animalis & dæmoniaca.*

X. Respondetur I. Hoc non esse difficultatem tollere, sed augere. Argumentor itaque: Quicquid est à Spiritu S. id, quà est à Spiritu S. verum est. Aliquis motus, aliqua notitia statim in gratia præveniente & præparante est à Spiritu Sancto. Ergo. Est enim juxta ipsum Disputatorem *motus aliquis in irregenito,* (subjective, non in Spiritu S.) *excitatus,* & quidem *ad salutem ipsius destinatus.* Si autem aliquis notitiæ motus est à Spi-

Spiritu S. tum aut quoad totum esse sui, aut quoad certam aliquam sui partem & respectum erit à Spiritu S. Alias plane non esse à Spiritu S. Si autem secundum partem tantum aliquam sui est à Spiritu S. tum secundum partem illam est vera, immo verissima. Ergo notitia aliqua in homine irregenito, quantumvis partialis, est à Spiritu S. & est vera atque Spiritualis. Quidita-que desideratur amplius? sit illa notitia à Diabolo quoad certum respectum, id est, ejus abusum. tamen vera necessario est à Spiritu S. quoad alium respectum & quoad usum. Sicut traditio Judæ vere erat â DEO, Act. II. 23. & tamen alio respectu vere erat à Diabolo. Luc. XXII. 3. Et sicut Paulus mente sua serviebat legi DEI, carne vero legi peccati. Rom. VII. ult. II. Cum notitia impii à Diabolo esse dicitur, notitia non quoad se intelligitur; alias enim Judæi ipsi, qui pariter dicuntur esse à Diabolo, Joh. IIX. 44. essent quoad se & quoad veritatem essentiæ suæ à Diabolo; sed quoad abusum notitiæ ad res malas; sicut Judæi erant à Diabolo quoad abusum essentiæ suæ ad mendacia & homicidia. Hinc argumentum: Si Judæi sunt à Diabolo ita, ut tamen tota eorum essentia, qua essentia, vere verius verissimè sit à DEO, tum notitia rerum sacrarum in homine impio est à Diabolo ita, ut tamen tota essentia notitiæ, qua notitia est, vere verius verissime sit à Spiritu S. Atqui. Ergo. Major probatur ex παραλληλισμῷ Minor sole meridiano clarior est. Ergo. III. Ipse Disputator distinxit inter impium & irregenitum. Non omnis irregenitus est impius & contemptor gratiæ prævenientis & præparantis, nedum in summo gradu impius. Cum disputo, hominis irregeniti notitiam esse veram notitiam, non de homine impio, utpote Judæo, verborum Christi contemptore, nec verbum Divinum, ejusque scrutinium admittente, (quamquam & in his, quæcunque notitia verbo Divino, quoad notitiam ipsam, non quoad praxin notitiæ, conformis est, vera est notitia) sed de homine irregenito, qui primos Spiritus S. motus, notitiam de DEO, compunctionem, scrutinium verbi, sensum maledictionis Divinæ admittit, immo vel plerisque vel omnibus fidei articulis adsentitur. Quæ omnia in irregenitos cadere posse indubitatum est. De qualibus irregenitis in omnibus meis Disputationibus, testantibus inscriptionibus, egeram. Anne de tali irregenito Theologus salva veritate di-

cere potest, ejus notitiam esse terrenam, animalem, Diabolicam? Ipsosque hos irregenitos esse cœcos duces & filios Diaboli? Apage tantam á nobis impietatem! Dices: nihilominus & impiis me veram adscripsisse notitiam. Respondetur: hoc tamen non est respondere ad argumentum, quod hoc loco non de impiis, sed de irregenitis quidem, tot tamen bonis passibus ad conversionem tendentibus, egerat. Quomodo itaque instantiæ loco illa Diaboli mancipia mihi opponi possunt? De quibus tamen suo loco uberius.

XI. Instat Theologus ad locum Epistolæ Jacobi: *Apud Jacobum laudari impios, quod habeant sapientiam, desuper descendentem; neque negare Apostolum, illam esse à Spiritus Sancti gratia accensam, negat tamen, illam indole illa supernaturali penes eos se posse exerere & contra sua culpa factam esse animalem & dæmoniacam.*

XII. Qui hæc primo adspectu legit, non potest aliter existimare, quam Disputatorem nostram sententiam accurate amplecti. Est I. notitia impiorum apud Jacobum à Spiritus S. gratia, adeoque vera, Divina, salutaris. II. Habet indolem atque naturam supernaturalem, adeoque veram. III. Non potest sese exerere in effectus, huic indoli convenientes, sed in plane contrarios, idque non propter defectum indolis verissimæ, sed ob hominum culpam ac malitiam hac indole abutentem. IV. Et ob hunc abusum facta est animalis & dæmoniaca, manente vera indole. Sicut gladii indoles vera, naturalis, propria est, transfigere hostes & maleficos; hunc enim in finem ab artifice, tanquam natura sua naturante, factus est, nec hanc indolem suam amittit, si proprium Dominum occidat & semper, quousque existit, non in hostes, sed in meros innocentes, etiam PERTINACITER, sæviat. Propter quem tamen abusum gladium illum voco gladium maledictum, dæmoniacum & si quid his pejus & atrocius est. Ita prorsus sese res habet cum notitia hominis impii, qui quo sceleratior est, eo crudelior gladius in ejus manu est notitia illa, quæ tamen in ipso etiam impio quoad indolem suam, à DEO ipsi inditam, veram & Spiritu DEI plenam, manet nobilissimum gloriæ DEI & hominis salutem promovendi instrumentum, indolemque hanc, etiam in ipso subjective impio rarius & crebrius, per rememorationes, compunctiones, terrores injectos, propositum emendationis, similesque effectus, ob acti-

activitatem ipsi à DEO inditam, exercet, tantum abest, ut perpetuo & pertinaciter resistat. Nihil absurdi est, hominem uno die frequenter & resistere & admittere motus Spiriritus S. & iisdem vel aurem præbere vel aurem ab iisdem avertere; quemadmodnm uno die gladio uti possum & contra innocentem & contra hostem. Anne id negare fas est, quod ipse sensus & experientia quotidie docent? Ut adeo admodum irrationabilis sit illa argumentatio: resistit hoc momento impius; ergo alio momento non admittit. Resistit uni gratiæ gradui, utpote assensui huic fidei articulo præbendo; ergo non admittit assensum alteri articulo præbendum. Ubicunque vel una cogitatio bona medio in latronis furore est, qua velit ab occidendo innocente remittere, ea à bonitate naturæ, adhuc in ipso reliqua, est, quantumlibet ab eadem è vestigio remittat & innoxium trucidet. Quidni & frequenter fieri possit, ut extreme impius vere bonas, vere Spirituales foveat cogitationes & iis tamen statim iterum nuncium mittat? Ecce, Theologe, Tua ipsamet verba hoc in se continent, remque ipsam uberius exponendi occasionem mihi præbuerunt. Cave itaque, ne posthac perpetuo ita argumenteris: resistentia posteriori reprimuntur, delentur, annihilantur motus priores. Ergo nihil amplius veri & Spiritualis in ipsis reliquum est. Ergo nunquam extiterunt veri motus. Ergo inter ipsa resistentiæ momenta non potest irregenitus habere veros motus, vel rariores vel frequentiores.

XIII. Quærit Theologus: cum dixerim, fraude Diabolica irretiri impios, ut per voluptates hujus seculi sese patiantur à bono proposito abduci: *annon ex hac Diabolicæ fraudis pravitate fiat, ut tum notitia DEI tum assensus Spiritualitate sua, quæ desuper descenderat, privetur?* Respondetur: Virgo honesti viri notitiam Divinæ legis de servanda constanter pudicitia acquirit, cui etiam ex toto animo assentitur, immo sibi firmiter proponit, quod nunquam se velit pati seduci. Fit autem fraude Diabolica, ut à juvene quodam seducta in meretricia vita cum ipso pertinaciter circumvagetur. Anne hac diabolica fraude fit, ut tum notitia legis de servanda pudicitia tum assensu, quod lex per moralitatem suam sit vera & bona, quæ ei à Patre alte infixa fuerat, privaretur? Id si verum esset, nullum daretur peccatum contra pro-

pri-

priam scientiam & conscientiam. Quasi vero non aliquis in aliquo peccato contumaciter perseverare possit, & tamen conscientia ipsum per efficacitatem notitiæ sibi insitæ sub inde interpellare & dicere: quid facis?

XIV. Dixeram, contemptim loqui Theologum de notitia hominis irregeniti, dum perpetuo eandem appellet aliquam tantum notitiam, quasi Theologus irregenitus non possit ad summum usque cognitionis sacræ fastigium ascendere. Regerit igitur, ita & loqui ipsam Augustanam Confessionem, art, XIX. nempe *habere humanam voluntatem aliquam libertatem in moralibus.* Neque se contemnere DEI dona in irregenitis, sed pro eximiis reputare, sed in genere naturalium, non spiritualium. Ad quod respondetur: duo cum faciunt idem, non est idem. Loquitur Aug. Conf. de libertate in rebus naturalibus in oppositione ad res spirituales, quæ majoris longe sunt momenti, quam res naturales. Contemptim igitur de his loquitur, quia illæ hominem ducere ad salutem possunt, hæ non item. At Theologus notitiam omnium fidei articulorum, quæ in doctore irregenito perquam illustris est, & ei, sepositа notitiæ applic atione & effectu, ad necessariam producendæ fidei notitiam nec hilum quidem deest, adeo contemnit, ut ex numero veræ notitiæ excludat. Adeo ut cum asseruissem, si irregenitus, quamdiu irregenitus est, resistat efficaciæ Spiritus S. eundem nullam unquam ullius fidei articuli notitiam acquisiturum esse, rotunde respondeat: *concedendo, hoc enim se velle.* Quod vel solum audire horribile est. Quomodo enim fieri potest, ut homo in primis gradibus gratiæ consistens, & compunctionem & notitiam verbi & agnitionem peccati & desiderium salutis admittat, & quidem ita, ut, fatente Theologo, hæc talia à SPIRITU S. in irregenito EXCITENTUR ET AD CONVERSIONEM ipsius destinentur, & tamen efficaciæ Spiritus S. in omnibus pertinaciter resistat? Hæc si contradictoria non sunt, nulla erit in mundo contradictio.

XV. Hæc cum merito ipsi objectari Theologus animadvertat, ad veterem, ut ita loquar, cantilenam revertitur, cujus ideo ipsa verba adferemus. *Fieri non potest, ut ultimo conversionis gradui resistat, qui eo ipso non omnibus antecedentibus etiam resistat, seu quod idem, non lædat eorum effectum una.* Item: *simul ac uni illorum*

illorum graduum non amplius homo renititur, gratia augetur juxta Divinam promissionem, nec idcirco simul tunc resistì potest ultimo. Sin tamen mox ultimò resistatur, per eandem repugnantiam intereunt simul & priores gradus, qua merè spirituales. Denique: *Quapropter hæc Theologicè sunt ἀσύστατα: ultimo resistere & non simul resistere prioribus, sive hos non perdere.*

XVI. Respondetur I. Pater jubet Filium, ut chartam sibi adferat ad exarandam epistolam. Non renititur filius, sed adfert. Jubet porrò pater, ut & adferat pennam. Non renititur Filius, sed adfert. Jubet, ut & cultellum scriptorium, quo parare possit pennam. Nec hic renititur, sed adfert. Hancque universam obedientiam ex animo vere Christiano præstat. Jubet ultimo, ut & adferat atramentum. Filius, à socio ad nescio quas voluptates invitatus, renititur, nec adfert. Ergone, quia ultimo mandato restitit, restitit etiam prioribus? An priora obsequia, eorumque effectus, simul perierunt? Anne qui atramentum non attulit, ideo vero & Christiano animo non attulit & pennam & cultellum & chartam? Dices: lædit filius per ultimam inobedientiam etiam reliquorum antecedentium effectum. Respondeo, lædit ultimum à Patre intentum effectum, epistolæ scriptionem; manere tamen priorum obsequiorum effectus. Dices: ideò lædit & antecedentes effectus, quia sine hocultimo intermedii nihil prosunt. Id equidem verum est, fieri hoc etiam in conversionis gradibus. Sed id in quæstione non est, verum hoc potius: an qui antecesserunt inobedientiam, patri præstitam, effectus, adportatio pennæ, chartæ & cultelli, non fuerint veri & vere Christiani obsequii effectus, an vero ideo, quia ultima obedientia non accessit, non tam desierint esse tales effectus, quam tales nunquam fuerint? Ratione careat omni, qui hoc affirmet. Ita planè de notitia rerum sacrarum & assensu judicandum est. II. Quomodo illa duo conciliare velit Theologus; *cum uni gradui non resistitur, nec ultimo resisti;* (quo pacto reliqui gradus omnes necessariò erunt irresistibiles) Et tamen: *si ultimo resistatur, veritatem cæterorum antecedentium perire,* (quo pacto veri fuerint primi, & tamen ultimus restiterit) id Oedipus equidem noverit me rectius. Annon hæ duæ theses id ipsum sunt, quod Calviniani propugnant, gratiam semel destinatam esse irresistibilem, semel collatam esse

inamissibilem? Aut explicet mentem suam, ut possit intelligi. III. Si per repugnantiam, gradui ultimo oppositam, priores gradus simul intereunt, qua mere spirituales, ergo si in exemplo superius allato filius mandato parentis de adferendo atramento repugnat, interit adportatio pennæ & cultelli & chartæ. Vix conceptibile est, quid velit. Anne interierunt charta & cultellus & penna? Anne interiit obedientia, primis jussibus præstita? An interiit idem est, quod nullum unquam usum habuit? At quis unquam audivit, interire gladium, si quis vel eo non utitur, vel eo abutitur? Et quid est: *interierunt priores gradus, qua merè spirituales?* Quid nunc audio? Potestne aliquid merè spirituale esse, quod est in homine irregenito ante fidem & conversionem? quod non est verum? quod est merè naturale? An notitia in primo gradu, ex qua compungitur irregenitus, jam est vera? Et quidem merè spiritualis? Nihil in ea naturale, nihil repugnantiæ est? An intereunt ita, ut ne fuerint quidem unquam? At primæ philosophiæ magistri docent, ne DEum quidem facere posse, ut præterita non fuerint. An intereunt ita, ut non sint amplius, revera autem & quidem spirituales fuerint? Quid est, quod propugnamus, aliud, quam in hominem irregenitum cadere veram & spiritualem rerum sacrarum notitiam? sive illa intereat, sive maneat. Loca Biblica, Luc. IIX. 18. XI. 23. quid probare debeant, alii conjectent.

XVII. Cum à graduum recta curataque consideratione omnes in hac controversia dubitationes solvendæ sint, cui fini & Disputatio mea in ipso titulo graduum gratiæ solidiorem considerationem promittit, graduum illorum ordinem & indolem in illuminatione potissimum conspici indigitavi, cum conclave à sole successive illuminetur, ita tamen, ut cuilibet luminis gradui per valvas oppositas possit resisti. Hic vero Theologus, & quidem hypothesibus suis prorsus congrue, negat conclave vere illuminari, nisi totum illuminetur. Si concedatur illuminatio, in tantum illuminari hominem dici posse, in quantum notitiæ lumen admiserit; *dum* (puto legi debere: dummodo) *hoc vere & spiritualiter sit tale, nec voluntatis affectu Spiritus Sancti efficaciæ contumaciter resistatur. Nisi enim sic fundatus verborum sensus fuerit, ne ullo quidem gradu incipit illu-*

illuminatio, quandoquidem alio in ſtatu neutiquam attenditur lumini, lucenti in loco tenebroſo, nedum ita, ut illuceſcere dies & lucifer oriri queat in CORDE. 2. Petr. I. 19.

XIIX. Reſpondetur I. prius illud, quod conclave verè illuminatum non ſit, niſi totum illuminetur, contra ſenſum dicitur communem. Ut enim aliquid vel calidum vel frigidum vel humidum vel ſiccum vere eſſe poteſt, quod in ſummo gradu tale non eſt: unde quædam calida, quædam calidiora, quædam calidiſſima, & hæc quidem omnia ſine ulla veritatis jactura: ita illuminatus, magis illuminatus, illuminatiſſimus, omnia ſine ullo veritatis diſpendio. Quo non trahit abſurdæ ſententiæ defenſio? In poſteriori τὸ πνευματικῶς, *ſpiritualiter*, omnes morbos, etiam deſperatiſſimos, ſanare debet. Sed vero jam tandem exponit, quid per ſpirituale intelligi velit. *Nempe quod ſit tale, ut nec voluntatis affectu Spiritus Sancti efficaciæ contumaciter reſiſtatur.* Sicut Spiritus ipſe veriſſimus Spiritus eſt, etiam tum, cum virtutem ſuam actu ipſo non exerit: ita veriſſime ſpirituale à Spiritu dicitur, cui virtus illa communicata eſt, etſi in actum ſecundum non tranſeat. Medicamentum, ſpiritu medico imbutum, vere ſpirituale dicitur, Spirituel apud Germanos, quod Spiritu efficaciſſimo imbutum eſt, tamen ideo efficaciam ſuam, etſi ſubjective in ægroto exiſtat, non exerit, ſed ei ab ægroti intemperantia pertinaciter reſiſtitur. DEUS ipſe omnipotenti efficacia præditus eſt & ſecundum eam in convertendo homine operatur, Eph. I. 17. ſ. nec tamen homo ſtatim convertitur. Quid itaque mirum, hanc quoque efficaciam homini convertendo per verbum, quolibet gladio bicipite efficacius, communicari, inque eo ſubjective & vere cum omni ſpiritualitate ſua exiſtere & effectu tamen deſtitui? Res eſt ipſo ſole clarior. Quam admirabilis eſt conſequentia: Cuicunque efficaciæ in medicamento reſiſtitur, ea non eſt ſpirituifica? Cuicunque efficaciæ DEI creatrici in converſione reſiſtitur, ea non eſt ſpiritualis? Cuicunque efficaciæ Divinæ, homini à DEO per notitiam verbi communicatæ, reſiſtitur, ea non eſt Spiritualis? Contra: quæcunque notitia cum ſpiritu verbi Divini, quovis gladio penetrantiore, intime combinata eſt, neque ab ea, ubicunque exiſtit, ſeparari poteſt, ea notitia, etiam cum in irregenito & impio exiſtit & ſubjective in ipſo reſidet, etiam tum, cum ei virtuti non minus ac ipſi DEO pertinaciter reſiſti-

tur, ea & spiritualissima & verissima est, non minus ac ipse Deus, virtuti suæ in notitia præsens, verissimus & spiritualissimus non obstante hominis resistentia manet. Atqui notitia in homine irregenito. Ergo. Non nego, aliquando per figuram verum & spirituale esse negari, quod effectu suo destituitur. Id non fit tantum in rebus salutis nostræ œconomiam attinentibus, sed & in moralib' naturalibus; cujus rei exempla ipse producit Theologus, in priore Disputatione p. 12. Qua figura oratores insinuant, quam necessaria sit, non quidem ratione ipsius notitiæ essentiæ, sed ratione obligationis ex mandato Divino nobis incumbentis, notitiæ & effectus notitiæ connexio. Quo vero concesso, absurdum esset colligere: *Seneca* quorundam dicterium de Scipione jactatum reprehendit: *nescit vivere*, quo significabant, Scipionem non vivere, ut vivendum illi esse putabant, molliter scilicet & delicate: ergo illi negarunt, Scipionem vere vixisse. Verissime eundem vixisse, neque ignorabant, neque negabant, sed negabant, veritate emphatica, ut *Quintilianus* ait, seu vita cum mollitie composita, eundem vixisse. Ita prorsus de notitia irregeniti infructuosa judicandum est. Quo magis in admirationem adducor, quod Theologus adeò sollicitam inter notitiam rerum Spiritualium & moralium differentiam faciat, ut illorum notitia sine effectu notitiæ vera juxta loquendi morem Scripturæ usitatum esse non possit, possit verò hæc. Cum tamen eadem in voce veritatis figura in rebus moralibus, etiam apud scriptores gentiles, occurrat, quæ deprehenditur in sacris. Qua de re ex instituto diximus supra c. III. §. XVII. Postremo ponamus, ad ipsam notitiæ sacræ essentiam efficaciam ejus in actum secundum deductam requiri, annon juxta ipsum Theologum non repugnat voluntas in homine irregenito, quo minus cum notitia verbi Divini admittat *amorem verbi, detestationem peccati, desiderium salutis, sanctam cogitationem?* Qui sunt effectus voluntatis, per efficaciam haustæ ex verbo notitiæ in actum secundum deducti. Quid igitur requiras amplius? Dices: non sunt actus completi, quales intenduntur à Spiritu S. Respondeo: quicunque est actus voluntatis per intentionem Spiritus S. ita in effectum deductus, ut pro isto gradu magis completum actum Spiritus S. non intenderit, is est actus Spiritus Sancti verus, vereque spiritualis. Unde enim aliter veritatem & spiritualitatem actuum Spiritus

Spiritus Sancti æstimabimus? Atqui amor verbi, detestatio peccati, desiderium salutis, sancta cogitatio, quales actus sunt in homine adhuc irregenito. Ergo. Anne, qui jubet alterum per scalæ gradus ad conclave superius ascendere, si secundum, tertium, quartumque ascenderit, vera hæc ascensio non est, quia non omnes superavit? Verissima hæc adscensio est, etsi plures non adscenderit. Dices: nihili est hæc ascensio, quia reliqui gradus ex intentione jubentis non sunt additi. Respondetur, nihili sunt non respectu existentiæ, sed respectu ultimi finis, obtenti nempe conclavis. Frustranei sunt, verissimi tamen. II. Cum veram illuminationem non esse, nisi in ultimo effectu completam, probat Theologus, producendo locum Petrinum, 2. Ep. I. 19. quia alias tali irregenito non illucesceret dies, neque lucifer oriretur in corde ejus; tum sciendum est primo, Apostolum non dicere, omnibus qui luci verbi attendant, complete oriri diem, sed καλῶς ποιεῖν, recte & bene eos facere, qui attendant. Nec enim negatur, bene irregenitum facere, si attendat verbo usque ad completæ lucis adeptionem, sed inde non sequitur, quando eousque non attendit, eundem nihil veræ lucis accepisse. Deinde verissime attendunt irregeniti luci verbi Divini, in tenebroso intellectus ipsorum loco lucenti, cum audiant verbum, quod est lux. Ps. CXIX. 105. quod etiam eosdem eousque illuminat, ut intelligant verbum, ut ament, ut de eo differant, ut sensum ejus verum apprehendant, ut integris nonnunquam libris adversus contradicentes vindicent, ut sanctas de eo habeant cogitationes. Quanta hæc sunt lumina? Quinimo illucescit per hæc ipsa iis dies & lucifer exoritur in cordibus ipsorum. Διαυγάζειν *est diluculum oriri*, non plenum diem; & luciferum oriri est *lucem stellarem præcedere plenum solem*. Ut adeo Petrus hortetur suos, ut verbo Divino attendant, id enim ita comparatum esse, ut paulatim & per gradus in illorum animis, qui id lecturi essent, lumen accensurum sit notitiæ Divinæ, primo quidem obscuriusculum, quale lunare est noctu, mox, nisi uberiori luci obsistant, clarius, quale est in diluculo, porro, si hos gradus admiserint, adhuc illustrius, quale est luciferi; per quem tamem solem ipsum intelligit Syrus, quippe qui omnium maximam fert, seu adportat lucem. Quæ vero, rogo te, est consequentia: laudat Petrus primos,

mos, ad quos scribit, Christianos, si intra hos gradus luci Divini verbi attendant & hos successive effectus inde reportent; Ergo si ultimus effectus, sol ipse ab iis obtentus non est, nulla vera lux, non lunaris, non diluculi, non luciferi, à quoquam eorum fuit obtenta. Parens hortatur Filium, ut attendat Institutionibus Justinianeis, Pandectis item, Codici & Novellis. Id si in studio juris fecerit, futurum esse, ut lumen ipsi in obscuro intellectus ipsius loco exoriturum sit, ut paulatim sibi notitiam Juris elementarem, mox pleniorem, quasi illucescente aurora, denique pleniſſimam & Doctoralem, quasi orto sole, sit acquisiturus. Ergo si hac Doctorea notitia non sit illuminatus, cæteras illuminationes veras non esse, nec ullam sibi veram juris scientiam acquisiviſſe.

XIX. Dixerat Theologus; *irregenitus quo pacto regenerabit? Non existens spiritualis, quomodo generabit spiritualem?* Nunquam per omnes vitæ meæ dies tale quid audiveram. Respondi itaque: si irregenitus non regeneret, neminem ab impio ministro baptizatum regenerari. Et aurifabrum conficere poculum aureum, quamquam ipse non sit aureus, Regerit itaque ille p. 33. *Licet homo indignus dici nequeat regenerare, tamen ejus ministerium non detrahit Divinæ institutioni & actui Sacramentali virtutem suam. Minister irregenitus regenerandi facultate caret: hoc tamen asserto non negatur, DEUS per suum verbum, ab eo prolatum regenerationis opus exequi.* Et postea p. 34. *Verbum & verbi veritas est medium, non modus; nec officium regenerandi est modus, sed causa impulsiva. Modus autem regenerandi, qui causæ ministeriali congruat, non absolvitur functione officii circa verbum externa, quæ & irregenitis sit communis; sed una cum hac præsuppositâ consistit in exercitio curæ vere spiritualis, non sine sollicitudinis anxietate ac precibus, ex regeneratione omnino derivandis, eo connitentibus, ut ne minister desit regenerandis per Evangelium. Gal. IV. 19. 1. Cor. IV. 15. Philem. v. 10.*

XX. Respondetur I. ita intricata & imperceptibilia hæc sunt, ut quid dicere Theologus, quid concedere, quid negare velit, ne Argus quidem viderit. Quid est: ejus ministerium non detrahit Divinæ institutioni virtutem suam? Cur non rotunde & sine ambiguitate enunciatur: an ministerium irregeniti regeneret, an non regeneret? Nempe hoc

dicere

dicere timet, quia Aug. Conf. in aurem ei insusurrat: *ministerium malorum efficax esse.* Nec tamen asserere audet, ministerium malorum regenerare, quia videt, infallibiliter inde consequi, ministrum malum regenerare. Si vero ministerium ministri, non minister regenerat, tum non faber cudet ferrum, sed opera fabri, nec scriba scribet, sed ministerium scribæ, nec agricola colet agrum, sed labor agricolæ. Si dicatur, neque ministerium regenerare, neque ministrum, sed DEUM per ministerium; tum neque scriba scribet, neque opera scribæ, sed ars per operam scribæ. Quomodo vero ulla ratione fieri potest, ut ministerium regeneret, non regeneret minister, cum ministerium in ministro subjective existat, ipseque ministerium obeat? Ut actio ab agente prodeat, nec tamen agens agat? Producatur præterea vel unus Theologus, qui neget, ministrum malum regenerare & convertere? Qui inter ministerium hac in re & ministrum ratione effectus ullum faciat discrimen? Si prædicare Christum potest malus minister, quidni & regenerare? Phil. I. 16. s. II. Quantæ sunt in reliquis nebulæ, quantæ difficultates? *Verbum medium est, non modus.* Quid, rogo te, media aliud sunt, quam modi, ad finem scopumque perveniendi? *Nec officium regenerandi est modus.* At vero & hoc est medium, adeoque modus. *Officium regenerandi est causa impulsiva.* Quæso eloquere cujus rei? Nam hoc est supra omnem captum humanum. Tandem: *Modus regenerandi non absolvitur functione externa, sed una cum hac præsupposita* (si UNA cum hac absolvitur regenerandi modus, ergo hæc functio externa, & consequenter is, qui functionem obit, minister, UNA vere concurrit ad regenerationem, adeoque vere, quamquam non solus, sed simul cum reliquo modo regenerat) *consistit in exercitio curæ speciali, non sine sollicitudinis anxietate & precibus ex regeneratione derivandis.* Hic demum aliquo modo sese prodit, quid velit. Nempe ministrum, si regenerare dicendus sit, debere non aquam tantum baptizando adfundere, quæ sit tantum ceremonia externa, sed & serio atque ardenter precari, quales preces fundere non possint, nisi regeniti. Cur vero non dilucide hoc expressit, ut à quolibet posset intelligi? Liceat vero mihi Theologo dubia mea circa hanc assertionem exponere. Itaque I. Si preces ad ministrum, ut ipse, non

mini-

ministerium tantum ipsius, baptizare dicatur, sunt absolute necessariæ, cur hanc circumstantiam prorsus essentialem in institutione Baptismi omisit Servator? Cur in tot Baptismis, quorum meminit Scriptura, perpetuum de ea est silentium, nisi in quantum generatim mandatum est, ut quicquid agamus faciamusque, id in nomine Christi & cum gratiarum actione faciamus? Necessarium omnino fuisset, ut si hæ preces, ex regenerato pectore provenientes, ad id, ut minister vere diceretur baptizare & regenerare, absolute necessariæ essent, id alicubi ad removendum omne de vero Baptismo dubium vel disertis verbis vel necessaria & evidenti consequentia exprimeretur. Nam quæcunque in sacris hanc absolutam necessitatem insinuare videntur, ea eandem necessitatem in omni alio opere, sine seriis precibus non faciendo, quod tamen, si omittantur preces, omnium confessione à faciente vere factum est, evincunt. Jam II. velim erudiri, quo argumento probetur, si minister irregenitus neque vere baptizet neque vere regeneret, tamen ejus operam, ejus ministerium, ejus conatum & laborem vere regenerare, vere baptizare? Item annon vere baptizet, vere regeneret, qui infantem aqua conspergit & verba in institutione præscripta pronunciet? Et si minister non baptizet & regeneret, an itaque merum accidens, nempe conspersio, quæ fit aqua, & verborum recitatio, baptizet & regeneret? Vel an minister eo casu sit tantum conditio sine qua non baptismi & regenerationis? Denique an ministerium ministri baptizet? An DEUS vel per ministerium impii, vel immediate baptizet? Necesse enim esse videtur, ut aliquis vere baptizet, quisquis ille sit. Ex his dubiis extricari me peto. III. Jam in disputatione de Consectariis indigitavi, si minister Ecclesiæ, qui ex mandato Divino regenitus esse debet, omnesque actiones suas precibus seriis & devotis consecrare, his omissis non vere baptizet & regeneret, nullam causam esse, quin & negetur agricola vere arare & sutor vere calceum conficere, si sit irregenitus, nec precibus, ex regeneratione derivandis, laboribus suis pondus addat, quia uterque non minoris obligationis mandato, quam minister ad preces ex regeneratione provenientes obstringatur. Col. III. 17. 1. Thess. V. 17. Nunc ut res clarior fiat, repetam singula Theologi verba & ad has instantias applicabo.

Modus

Modus calceum conficiendi, qui sutori, & agri colendi, qui agricolæ competit, non absolvitur functione artis suæ circa externa, præparando corium & compingendo, arando terram & semen injiciendo, quod sutori & agricolæ pio cum impio commune est, sed una cum labore hoc præsuppositio consistit in exercitio curæ vere Christianæ, non sine sollicitudinis anxietate & precibus, ex regeneratione, si audiri à DEO debent, derivandis, & cum labore, si is benedictus esse debet & ad regulam verbi Divini exactus, summa & Divina obligationis necessitate conjunctis, ut ne sutor desit ad faciendum calceum & agricola ad colendum agrum, per monitum Evangelicum: *omnia facite in nomine JEsu.* IV. Quod denique ad dicta nobis opposita spectat, ea si probant, ministrum nisi regenitum regenerare non posse, probabunt pariter idem de agricola & sutore. Nam cum Paulus dicit Gal. 4. 19. *se regenerasse* Galatas *multa cum angustia*, obligationi se suæ satisfeciisse innuit, quam nemo negat. Nam & agricola de se testari poterit, multa se cum Christiana cura & anxietate agrum suum coluisse. Eam tamen si negligat, ager coli nihilominus potuit. Cum idem Apostolus profitetur 1. Cor. IV. 15. *se generasse* Corinthios *per Evangelium*, seu per doctrinam ex Evangelio ipsis propositam & instillatam; agricola non minus dicere de se poterit, agrum se coluisse juxta doctrinam Evangelicam, juxta quam omnia facienda sint in nomine Jesu & inter preces ardentes. Quo tamen non obstante, etiam neglectis precibus, vere colitur ager, quamquam cum maledictione Divinâ. Cum idem Paulus testatur, se Onesimum regenerasse in vinculis suis, Philem. v. 10. etiam agricola, multis in angustiis & calamitatum oppressionumque vinculis agrum nonnunquam colit. Sine quibus tamen ager non minus verè colitur.

XXI. Vidit Theologus, quanto cum robore hæc omnia ipsi objiciantur, quare, ut una litura omnes instantias, ipso sole clariores, elidat, operam, longe tamen negligentiorem, quam res ipsa postulabat, impendit. Ait igitur p. 34. *Ab hujus negotii*, regenerationis, *indole supernaturali quam remoti sunt, qui civilia officia vel artificia profitentur, nullam ejus commercii speciem præ se ferentes, quod in Spiritus communione spectandum venit! Rectissime ergo adhuc quærimus: irregenitus quo pacto regenerabit?*

XXII. Sed nequaquam evadet ictum meum tam levi effugio Theologus. Nam I. non ita nude crudeque dicendum est, aliam esse indolem supernaturalium rerum, aliam civilium & artificialium, & tamen non ad rem praesentem eundo ostendere, quanam in re differentia consistat, differentiamque illam ad dubium praesens adplicare. II. Ut convenientiam naturalium & supernaturalium, hac quidem in re, de qua inter nos disputatur, omnimodam evincam, argumentor hunc in modum: Ad quemcunque actum preces anxias & gratiarum actiones, ex regenito corde provenientes, easque in NOMINE CHRISTI non minore necessitate, quam vel ad baptizationis actum, vel ad actum conversionis requirit Spiritus Sanctus, ille actus, absentibus precibus & gratiarum actionibus, non minus verus non est, quam verus non est actus baptizationis & conversionis, à quo absunt preces & gratiarum actiones, ex regenerato corde provenientes. Atqui ad actum colendi agri & conficiendi calcei. Ergo. Detur enim ulla in obligatione ad agendum differentia, quæ efficiat, ut actus baptizationis ex parte ministri sine precibus & interna animi devotione administratus, non sit verus, ut actus efficiendi calcei & colendi agri ex parte sutoris & agricolæ ob eandem ipsam obligationem non pariter verus esse desinat. Ne quidem mica ullius obligationis majoris vel excogitari, nedum produci poterit, quam Divinum severissimum praeceptum, unicum obligationis fundamentum. Ex instituto ea de re actum supra cap. III. §. XVI. Res mihi adeo evidens videtur, ut credam, Theologum, rem apud sese profundius consideraturum, tandem & hoc concessurum esse, confectionem calcei & arationem agri, ab impiis agentibus factam, esse quidem veras, naturaliter & artificialiter, non tamen Theologicè, Christiane & spiritualiter. Et revera hoc dicere necesse habet, si hypothesi suæ inhærere velit. Nec etiam magis absurdum est, calceum ab impio sutore confectum & agrum ab impio agricola excultum, vel etiam labores in his elaborandis insumptos, non esse veros, Theologicè & Scripturariè loquendo, quam baptismum ab impio ministro administratum, non esse verum, vel administrationem baptismi, vel denique regenerationem non esse veram, Theologicè & spiritualiter. Id verò si admiserit Theologus,

logus, ut admissurum esse eundem firmiter persuasus sum, quid opus est profiteri: *ab indole supernaturali longè remotos esse, qui artificia profitentur?* In quibus enim indoles naturalis cum supernaturali exactissime convenit, ceu convenire hactenus in obligationis identitate invictè probavi, cur sint longe ab invicem remoti? Aut in victo argumento contrarium demonstrandum, in supernaturalibus nempe tantam esse obligationem, ut scientia cum praxi conjungatur, & quidem ita, ut praxis ad ipsam internam scientiæ essentiam pertineat, hæcque illi formam & quidditatem spiritualem præbeat, quæ vero obligatio in rebus naturalibus & artificialibus non reperiatur. Id nisi factum fuerit, frustra ad differentiam indolis naturalis & supernaturalis provocatur. Sint naturalia & supernaturalia in aliis infinitum distantia, quousque identitas sole clarior, ipsa Scriptura duce, reperitur, frustra & revera absurde prætenditur, *nullam commercii speciem naturalia cum supernaturalibus præ se ferre.* Frangenda prius dura ista nux est, quam & in hoc paragrapho & in paulo antea allegato confringendam proposui, quam ut ista nobis objectentur terriculamenta. Sed nondum dimitto Disputantem. Itaque III. cum ait, culturam agri & confectionem calcei rem esse naturalem, cum supernaturalibus ne quidem quoad speciem conferendam, argumentor hunc in modum: quæcunque actio, Theologicè considerata, requirit vi mandati Divino-Apostolici invocationem nominis JEsu per fidem & gratiarum actionem ad DEum Patrem per Filium directam, ea, qua talis, non est naturalis, sed spiritualis & supernaturalis. Quemadmodum notitia rerum sacrarum, juxta ipsum Theologum, in se est res naturalis, sed qua fide instructa, fit res spiritualis & supernaturalis. Atqui confectio calcei & aratio agri. Ergo. Nondumne nulla commercii species est naturalium cum supernaturalibus, ô Theologe? Fusius adducenda mihi hæc fuerant, quia relatum mihi à viris fide dignis est, etiam viros in hoc seculo sapientes offensos fuisse ista naturalium cum supernaturalibus collatione, ratos, non Christiano more fieri, ut naturalia instantiæ loco supernaturalibus opponerentur. Quod facile iis, rerum Theologicarum non satis gnaris, condonari potest. Ex hactenus autem dictis, si velint, rectius poterunt edoceri.

XXIII. Quæ de convenientia & differentia illuminationis & conversionis prolixe affert Theologus, parum ad rem faciunt & de iis ex supra c. III. §. I. seqq. dictis sufficienter judicari potest. Id enim semel occupandum mihi est, si quædam sine examine transiliam, id ideo fieri, ne in nimiam molem excrescat tractatio nostra. Illuminationem cum conversione & reciprocari & non reciprocari, qui quæ initio capitis tertii dixi, legerit, facile intelliget. Soli oculi vere, primo & maxime proprie lumen recipiunt. Ita solus intellectus vere, primo & proprie maxime illuminatur, dum tenebræ errorum dispelluntur & lux salutaris notitiæ intrat. Reliqua tamen in corpore membra omnia, si oculi illuminati fuerint, communicative & in effectu potius, quam in formali ratione, idem lumen recipiunt. Oculis enim lumen præferentibus pedes vident, quo eundum, & manus, ubi & quid apprehendendum sit. Ita voluntas & appetitus intellectu illustrato, illustrantur in effectu & ipsi, adeoque minus propriè. Quibus observatis frustra mihi contradictiones objiciuntur, quæ vel ex sola illa vocis evolutione facile diluuntur.

CAP. IIX.

In quo de Theologorum consensu & auctoritate disquiritur.

I.

OStenderam in Disputatione mea de Pelagianismo à nobis devoluto, propositam de conversionis gradibus, & subnixa iisdem vera irregenitorum notitia doctrinam, communi Theologorum nostrorum consensu subniti. Quem in finem verba *Kœnigii*, *Hülsemanni*, *Calixti*, *Dannhauweri*, *Osiandri*, *Quenstedtii* & *M. Ott. Henrici*, ipsumque Disputationis mihi adversæ *Præsidem* speciminis loco produxi. Cumque opponi mihi possent ii Theologi, qui occasione dicti Paulini 1. Corinth. II. 14. 15. solis regenitis notitiam rerum sacrarum veram adscribere videntur, demonstravi, cum in descriptione graduum conversionis hoc non obstante veram

veram irregenitis notitiam & assensum, aliosque motus Divinos attribuant, necessario ita intelligendos esse, ut notitia vera non competat nisi in aliquo gradu regenitis, quamquam non ad fidem usque essent regeniti. Id enim nisi fiat, aperte sibi Theologos contradicturos esse. Cumque nullo fortiori argumento contra nos militare se posse sibi videretur Theologus, magnam & diffusam operam in asserendis sibi Theologis Disputator insumpsit, atque ea occasione de plurimis aliis in materia nobis proposita argumentis disseruit. Quorum discussio cum non exiguam lucem multis accendere possit, filum ipsius sequentes, vel verba ipsius, vel, si prolixiora sint, sensum brevioribus lineis inclusum, præmittentes, omissis tamen iis, quæ jam sæpius discussa sunt, judicium nostrum & analysin subjiciemus.

II. Ad D. *Konigii* itaqua verba, in quibus irregenitis in primis gradibus vires supernaturales agnoscendi peccatum, assentiendi verbo Evangelii & credendi in Christum, ex literali credendorum notitia & historico assensu ortas, regerit, agnoscere se vires supernaturales: *ubi autem dicit, per vires illas supernaturales vere illuminare, si resistierit?* Respondetur: quicunque per gratiam supernaturalem recipit vires supernaturales, *sanctè*, ut Theologus ipse loquitur & Kœnigium reapse interpretatur, *cogitandi, pium propositum sumendi, verum propositum, salutem procurandi*, hæcque reapse, ut irregenitus, possidet, is non resistit; alias hæc nunquam consequeretur. Irregenitus. Ergo. Porro: quicunque veram habet cupiditatem salutis, is vere illuminatur. Irregenitus. Ergo. Quia tenebrosus & stolidus esset, si per vires supernaturales desideraret salutem, & lumen seu notitiam nullam haberet salutis. Denique: qui ante acceptam fidem accipit vires supernaturales credendi, is ante fidem accipit etiam vires supernaturales cognoscendi & assentiendi. Qui enim sine fide unam rem supernaturalem potest accipere, is potest & alteram; quia omnium eadem est ratio. Irregenitus juxta *Kœnigiam*. Ergo.

III. Ad *Hülsemannum*, qui dixerat, gratiæ gradus, ad conversionem DUCENTES, (ducunt autem eo notitia verbi, desiderium salutis, assensus literalis mysteriis adpositus, aliaque) naturæ opponi; regerit: *ubi Hülsemannus, resistente obstinata volun-*

tate gratiam nihilominus docet intellectum vere illuminari? Respondetur: non opus est hoc dicere Hülsemannum. Id si dixisset, stupidus fuisset. Sed hoc dicit, per gradus procedere Spiritum S. Si primus secundusque admittatur, tertius vero repudietur, eo non negat, primum & secundum non vere illuminasse. Id enim si negasset, tam absurdum hoc fuisset, ac si quis negare vellet, duos in scala gradus Titium non ascendisse, quia noluerit ascendere tertium. Et servum meum, primum secundumque mandatum exequentem, & repudiantem tertium exequi, non vere executum esse primum & secundum. Et in his exequendis verum mandati lumen non accepisse, seu non vere mandata intellexisse.

IV. Nec etiam ad *Calixtum, Dannhawerum & Osiandrum* excipere quidquam aliud potest Theologus, quam eosdem, dum à Spiritu S. in irregenitis quidquam effectum esse profiteantur, simul tamen docere, illis gratiæ gradibus per subsequentem pertinaciam resisti, & *mere naturale manere, quamdiu vita fidei respuitur.* Cum verba Theologorum luce clariora sint, quia respondere quicquam non potest, verba saltem reponit. *Calixtus* assensum in irregenito à gratia, non à natura excitari ait, fundamentum fidei, ni huic (non assensui) repugnaret, futurum. *Dannhawerus* enarrat speciatim effectus gratiæ, in irregenito subjective receptos, compunctionem, illuminationem, agnitionem & detestationem peccati, assensum, desiderium, vires credendi, propositum conversionis, apertionem cordis, emollitionem saxi, usque ad ipsius fidei eventum; deque his ait: *esse gratiam, meritis Christi partam, oppositam naturæ & illi gratiæ, quam homo habet per creationem.* Quæ in ipsis, ut ajunt, terminis terminantibus sententiam nostram exprimunt. Quibus cum obvertit: *sed ubi docet, si gratiæ huic per malitiam resistatur, nihilominus naturam, gratia privatam, manere gratiam?* Qui desperationem causæ in verbis, ipsis tenebris quamlibet obscurioribus, non agnoscit, luce omni careat, necesse est. *Dannhawerus* ait, istos effectus, non naturæ, sed gratiæ, esse in irregenito, usque ad fidei eventum. Theologus ait, eis resisti. Quicquid est in irregenitis, ei, ut sit in irregenitis, non resistitur, licet motui horum effectuum ulteriori, nempe fidei, resistatur. Neque quæritur, utrum maneat gratia, sed utrum

vel

vel sit vel fuerit in irregenito. Eandem obluctationis cantilenam repetit circa *Osiandri* verba, ut verbis ulterioribus non sit opus.

V. Ad *Quenstedtium* nihil novit regerere. Putat tamen *Dorscheum* ab ipso allegatum contrarium docere, cujus ideo verba adducit: *Spiritum Sanctum intra bonas cogitationes non subsistere sed inseparabili progressu ad consensum tendere, nisi malitiosa intercedat oppositio.* Quærit igitur: *ubi ergo vera illorum illuminatio, qui gratiam excusserunt, atque eidem semper denuo resistunt?* Respondeo: quicunque habet ex Spiritu Sancto bonam cogitationem, ille, quamquam eandem non prosequatur, sed ulterioribus ejus motibus resistat, qua & quamdiu bona ista cogitatio in illo existit, quæ sine vera rei cogitatæ notitia neque oriri neque existere potuit, vere quoad illam est illuminatus. Irregenitus. Ergo. Dices: ubi est vera cogitatio, quam excusserunt? Respondeo: Servus accensa candela illuminat conclave. Post unam alteramque horam interrumpit lumen & extinguit. Pariter quæro: ubi est illuminatio conclavis, cujus lumen excussum est? Quin potius, sicut non obstante candelæ extinctione conclave tamen antea vere illuminatum fuit: ita irregenitus vere fuit illuminatus, antequam lumen per malitiam extingueretur. Quod quidem sufficeret ad propositum nostrum obtinendum. Sed certum tamen est, in irregenito lumen, quod ante excussionem ulterioris luminis habuit, non extingui. Ulterius lumen excluditur, non lumen prius. Et in hac re non potest illuminationi conclavis comparari, cum similia non in omnibus currant, juxta vulgatum. Qui in acquirendo eruditionis Theologicæ lumine lumen Theologiæ positivæ in uno alterove articulo admisit, sed ulteriori informationi sese opposuit, non ideo excutit aut amittit lumen prius acquisitum. Qui in primo gratiæ gradu notitiam Christi ejusque officii acquisivit, quando fidem, quam ex hac notitia in Christum ponere debebat, excutit, non ideo prioris notitiæ obliviscitur, sed eandem retinet, etiam media in incredulitate vivam, quippe eundem subinde vellicantem, monentem, excitantem.

VI. Produxi & verba *M. Ott, Henrici,* in quibus sententiam nostram fuse & ex instituto integro libro propugnat; regerit vero

vero Theologus, non omnia ejus verba ad hominem irregenitum pertinere, quod manifeste pateat ex eo, quia ad gradus conversionem antecedentes referat ardentissimum desiderium remissionis peccatorum & gratiæ, quod fidem supponat. Sed vero potest quis ardentissime desiderare, ut commissa à se peccata sibi remittantur & exemplo Judæ tamen desperare. Quot graviter peccantes & quamdiu secum luctantur, utrum peccata ipsis remitti possint, antequam de eorum remissione fiduciam concipiant?

VII. Cum itaque negare non posset Theologus, Theologos à me adductos motus in homine irregenito supernaturales, à gratia ipsis impressos, agnoscere, nunquam se negasse ait, gradus gratiæ ante conversionem esse à Spiritu S. sed hoc tantum: *si postea Spiritui S. resistatur, spiritualitatem suam amittere, cum naturales reddantur.* Novum hoc κενοφύγετον, cujus ut infirmitas manifestetur, I. argumentor: Quicunque negat, gratiæ gradus ante conversionem, e.g. notitiam rerum Divinarum, sine qua ne minimus quidem gradus acquiri potest, esse veram, is negat, illos gradus esse à Spiritu S. Atqui pars adversa. Ergo. Non potest ulla propositio vel cum specie aliqua negari. Minor propositio ipsum κενόμενοι controversiæ inter nos agitatæ complectitur, dum ego affirmo, notitiam hominis irregeniti esse veram, ille negat. Major sine blasphemia in Spiritum S. negari nequit. Quomodo enim à Spiritu S. in ipso officio suo veritatem docendi constituto, quicquam esse potest, quod sit falsum, qua & quatenus ab ipso proficiscitur? Esto sit hæc notitia cum infirmitate conjuncta, non tamen ideo desinit esse vera. Quemadmodum puellus biennis non ideo vere non ambulat, quia magna cum infirmitate ambulat. Quamquam exemplo Agrippæ pateat, notitiam sacrorum in homine irregenito eousque posse esse perfectam, ut Paulus de ea dicat: *credisne Agrippa? Scio, quod credas,* De quo supra. II. Quicquid perpetuo in se retinet intentionem, hominem convertendi & cui Spiritus S. perpetuo cum sua gratia efficaci conjunctus manet & à quo separari nullo modo potest, id perpetuo manet verum & vere spirituale. Atqui notitia hominis irregeniti, reliquis gradibus omnibus resistentis, adeoque impii. Ergo. Minor probatur, quia noti-

notitia etiam in impiissimo homine, quoad materiam notitiæ, est ipsum verbum Divinum, sive quoad ἐντὸν in Scriptura comprehensum, sive per consequentiam inde deductum, qua animo & memoriæ quoad sensum suum impressum, adeoque subjective in irregenito existens. Igitur fieri non potest, quamdiu notitiam retinet, neque ejus obliviscitur homo irregenitus, quin tamdiu habeat in animo & memoria sua verbum Divinum & cum verbo Divino Spiritum, à verbo inseparabilem & semper activum atque negotiosum ad salutem irregeniti promovendam. Est enim verbum Christi *Spiritus & vita*, Joh. VI. 63. & ubicunque est, *efficax est penetrantius quolibet gladio bicipiti*, Hebr. IV. 12. Neque hæc virtus in actu tantum primo in irregenito manet, sed actu secundo hominem impium, quoties ejus recordatur, (ad quod ipsum Spiritus in verbo latens incessanter excitat) eundem compungit, movet, sollicitat, ad pœnitentiam impellit & nonnunquam ob oppositam malitiam nihil efficit, nonnunquam aliquid, nonnunquam multum, nonnunquam eousque deducit, ut dicat: parum abest, quin ab impietate remittam. Suntne hæc naturalia? Suntne falsa? Annon subjective in animo sunt impii? Annon sunt à Spiritu Sancto in conversionis officio constituto? Annon ideò excitata & ab impio recepta, ut sint medium plenariæ conversionis? Quomodo non potest esse vere spirituale, quod verè spirituale, id est, fidem & conversionem progenerat? Quomodo non potest esse causale, quod materiam, unam ex internis causis, adeoque accedente fide partem fidei constituit? Qua itaque confidentia dici potest: notitiam in priori gradu acquisitam, spiritualitatem suam amittere & naturalem reddi? Potestne Spiritus S. notitiæ verbi inexistens, spiritum & vitam amittere? Potestne naturalis fieri?

IIX. Memorabile cumprimis in Theologorum suffragiis esse dixeram, quod & ipsummet sensum literalem, quem meræ naturæ pars adversa adscribat, ad supernaturalem Spiritus Sancti gratiam referant. Male hoc habet Theologum, quare ait, paucos hoc Theologos facere & *Quenstedtium* alibi sese explicare. Sed vero I. Una Quenstedtii assertio alteram non tollit. Utrumque verum est: *Evangelio absque gratia ne quidem*

dem historice assentiri posse. Et: *fidelem assensum esse à Spiritu S. solo.* II. Cur vero argumentum meum invictum non refutavit? Quod nunc in syllogismum resolvo: quocunque fundamento omnium rerum spiritualium, quocunque nomine veniant, ne fide quidem & conversione ipsâ excepta, veritas & spiritualitas unice nititur & sine quo Spiritum nullum habere aut haurire possunt, ad id non obiter sed verè cognoscendum & ei assentiendum omnium maxime supernaturali Spiritus Sancti gratia opus est, & sine hac assensus ei præberi nullo modo potest. Atqui sensu literali. Ergo. Hoc argumentum prius solvatur, quod fieri nisi per imperceptibiles tricas haud poterit, antequam mihi tres istos Theologos, *Dannhawerum, Osiandrum, Quenstedtium,* quibus plures alii addi possent, rejiciat & ad tres à se adductos provocet. Hodie cum literam Scripturæ & literalem sensum omnis generis Fanatici tantopere contemnant, ut ad eundem quasi exspuant & nonnisi ad Spiritum, Spiritum, Spiritum, internè in homine & quidem regenito solo residentem, ad canonem internum, ad scintillam internam, ad Christum in nobis provocent, Scripturam verò ejusque literam pro re mortua & externo tantum testimonio habeant, quid mirum est, hodiernos Theologos majorem quam veteres causam habere, cum Spiritum Scripturæ insitum, soli literæ insidentem & adeo literalem ejus sensum, extra quem nullus alius Spiritualis est & solus alios spirituales reddere potest, quia solus sensus literalis est sensus Spiritus Sancti, in majore pretio habere debeant, quam ut naturalibus eundem viribus impetrari posse, dici patiantur. III. Argumentor porro: Si naturalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus, nec potest cognoscere sensum Domini, tum omnium minime sensum literalem, qui est sensus Spiritus, sine gratia supernaturali cognoscere potest. Atqui verum est prius per ipsum illum locum, quem toties nobis opponunt. Ergo.

IX. Excipit ad locum 1. Cor. II. 14. 15. eundem manifeste nobis repugnare, quippe quem omnes Theologi intelligant, non de homine naturali ratione utente, sed de irregenito. Idque patere ex eo, quia Apostolus expresse restringat mentem suam ad rationem additam, quia *spiritualiter dijudicentur.*

Hæc

Hæc enim verba indigitare, non omnem assensum intelligi, utpote naturalem, sed assensum Spiritui homogeneum, id est, spiritualiter verum, qualis sit in solo regenito Et Apostolum non ita, quemadmodum nos, argumentari: quia irregeniti capiunt, quæ sunt Spiritus DEI, ideò non esse homines animales; sed ita potius: quia irregeniti sunt homines animales, ergo non capere, quæ sint Spiritus. In his magnam confidentiam ponit pars adversa.

X. Respondetur I. Formula Christianæ concordiæ animalem hominem in hoc loco Paulino interpretatur de *homine naturalibus viribus utente.* p. 676. & de homine *propriis viribus intelligente,* p. 579. & de homine, *natura & a seipso cæco, nisi virtus Spiritus Sancti ipsi succurrat.* p. 656. & de homine *humana ratione & naturali intellectu & propriis viribus utente.* p. 657. & de homine *naturali intellectu, corde & voluntate prædito, qui ex semetipso nihil Spiritus capere possit.* p. 658. Nunquam de homine irregenito. Ecce Theologe! Tot in locis pro me pronunciat Formula Concordiæ. Quinam majorem pro se habet Theologorum consensum? Et potestne major esse Theologorum consensus, quam mille millenorum, qui Formulæ Concordiæ nomina sua subscripserunt, id est, totius Ecclesiæ nostræ? II. Si locus Paulinus de eo tantum cæco iuxta F. C. agit, qui *a seipso cæcus* & non illuminatus *est,* non autem amplius est cæcus, sed illuminatus, *si virtus Spiritus Sancti ipsi succurrat,* tum ille ipse locus Paulinus eum irregenitum illuminatum pronunciat, cui virtus Spiritus S. per gratiam prævenientem, præparantem & operantem ita succurrit, ut notitiam & assensum credendorum sibi acquisiverit, etsi non accesserit fides. Spiritus enim sanctus sua virtute succurrit, non tantum, quando fidem efficit, sed & quando gradus ad fidem. Atqui verum est prius. Ergo. III. Ratio in loco Corinthiaco addita contrarium non evincit. Nam etiam homo irregenitus habet assensum Spiritui homogeneum, id est, spiritualiter verum, quia est à Sp. S. homini verum sensum Scripturarum supernaturali virtute inspirante, juxta ea, quæ paulo ante dicta sunt, neque assensus ille in irregenito ex propriis, naturalibus viribus, aut à seipso est elicitus, ut Formula Concordiæ loquitur;

quitur. IV. Ex iisdem viribus homo irregenitus de iis, quæ sunt Spiritus, sive in credendis, sive in agendis, ex Scriptura solide dijudicare potest. Quod patet exemplo doctoris irregeniti. V. Homo ψυχικὸς ex ipsâ vocis origine & nobiliore sensu est homo anima rationali præditus & ejus viribus utens. Quod adhuc est magis, quam homo animalis, cum animalitatem cum bestiis habeat communem. Et hic homo rationalis nihil capit, nihil dijudicat, nisi ex Spiritu. Si vero in primis gradibus aliquid capit ex Spiritu, non est amplius mere rationalis, sed quoad id, quod ex Spiritu percipit, spiritualis. Qui igitur homo animalis non possit esse ex parte regenitus vel conversus, cum tyrocinia jecerit, immo nonnunquam magnum fastigium attigerit, exemplo Agrippæ, qui Prophetis, de Christi officio & persona differentibus, credidit, earum rerum, quæ sunt Spiritus? Quid quod hoc ipsum ex vi veritatis confiteatur sub finem paragraphi p. 46. ipse Theologus: *Simul ac*, ait, *homo verbi efficaciæ non resistit*, (non resistit autem verbi efficaciæ, notitiam ipsi ejus & assensum implantanti, in primo secundoque gradu) *haud perseverat eodem modo in statu animali & irregenito, Spiritus regenerationis eatenus particeps fieri incipiens.* Bone DEUS, quam pulchra, quam Scripturæ conformis confessio! Ergo homo tum non est amplius totaliter irregenitus, sed partim regenitus, partim irregenitus, partim animalis, partim spiritualis. Ut adeo, quando Theologi dicunt, in loco Paulino per hominem animalem irregenitum intelligi, verum hoc sit, intelligendo partim de irregenito totaliter, partim de irregenito partialiter. Qua ratione cæteris, qui dicunt, intelligi hominem meris rationis principiis utentem, nequaquam contradicunt, sed utrique inter sese amicissime conspirant.

XI. Iterum regerit: *ut homo, quæ spiritus sunt capiat spiritualiter, negamus sufficere, si ad naturam revelatio, tanquam superius principium accedat, nisi revelatio efficacitate sua repugnantiam naturalem superare & luctam Spiritus contra carnem assequi possit. Rom. X. 16. 1. Cor. II. 11. Hebr. IV. 2.* Atqui in primis gradibus revelatio efficacitate sua, in auditu verbi, in ejus scrutinio & amo-

& amore, in veritatis comprehensione & defensione, in agnitione peccatorum & desiderio salutis, in assensu mysteriis adposito, firmo & immoto, qualis fidem præcedere debet, repugnantiam naturalem superavit, eo ipso, dum actus illos irregenitus admisit & luctam carnis & Spiritus vel centies subiit. Nam cum verbum Divinum homini impio proponitur, ipseque compungitur & Divinum judicium reformidat, statim exsurgit in ipso, ex gr. in ebrioso, lucta carnis & spiritus; carne suggerente: cur vis à tam jucundo vitæ genere remittere? Spiritu opponente: hæc jucunditas, nisi desistas, æternam acerbitatem tibi attrahet. Regerente carne: potes in fine vitæ tuæ pœnitentiam agere. Spiritu opponente: poteris hodie adhuc mori. Quales intra irregenitum luctæ vel mille exurgere possunt. Quotes igitur irregenitus Scripturam cum voluptate scrutatur, quoties revelatis mysteriis ob auctoritatem Divinam fidem adponit, quoties veritatem semel apprehensam defendit, toties *Evangelio*, hæc aliaque ipsi proponenti & commendanti, *obediens est*, Rom. XI. 16. Quamquam eousque non sit obediens, ut & fidem in Christum profiteatur. Quoties irregenitus & impius in notitiam mysterii de Christo, quoad Theologiam & œconomiam, penetrat, quantumque ille sui causâ & egerit & passus fuerit, apud animum suum expendit, quam suavis ipsi fuerit olim Dominus, cum adhuc crederet, intra se recordatur & sentit, Hebr. VI. 4. *toties novit, quid in DEO sit*, quantaque ab eo beneficia in hominem dimanent, 1. Cor. II. 11. quamquam ex rationibus temporalibus animum suum veræ fidei apprehensioni & professioni non adponat. Quoties irregenitus fidem suam, mysteriis adpositam, ab aliorum infidelitate & vitæ suæ temperantiam ab aliorum ingluvie, secernit, toties *utilitatem ei in his adfert verbum auditus*, Hebr. IV. 2. quamquam hæc omnia nondum sufficiant ad plenam conversionem. Quid igitur amplius requires ad spiritualitatem, ut vera sit, etsi non completa?

XII. Instat vero: *Ultro fatetur dissentiens*, (me intelligit) *orthodoxorum Theologorum hunc esse communem docendi ac dicendi modum, ut tradant, solum regenitum veram habere rerum divinarum notitiam. Quod si ita est, cur illos appellitant Novatores, qui eandem*

veterum doctrinam defendunt? Cur non adversariorum hypothesis sit nova? Est hæc palmaria, quæ doctrinam nostram reddere suspectam posse adversum sentientibus videtur, objectio. Novum est dogma de vera irregenitorum in sacris notitia, deviat ab universali totius Ecclesiæ antecedentis consensu, unius tantum alteriusque novaturientis invento nititur, cæteris omnibus reclamantibus. Prostat θεοδιδαξις *D. Speneri*, ubi ingenti numero allati sunt Ecclesiæ nostræ doctores, nemine tum ex cæteris contradicente. Itaque paulo pleniore opera ingesta hæc nobis oppositio excutienda est.

XIII. Et quidem I. negari nequit, veteres frequenter in hypocriticam eorum notitiam invectos fuisse, qui de vera sacrorum notitia gloriati, in praxi eandem testati non fuerunt & quatenus illa pietatem, quæ notitiæ perpetua comes & hujus arboris fructus esse debebat, solo nomine contenti, susque deque habebant, negasse, esse eam notitiam, quam à nobis DEUS requirat, fructu nempe debito feracem. Id enim in quibuslibet aliis rebus, praxin sua natura flagitantibus, eodem modo facere solemus, ceu ad oculum supra ostendimus Cap. I. §. III. Ita cum quis debiti solutionem, etiam data Syngrapha, promittit, promissionemque sacramento interposito repetit, nec servat tamen fidem, invehere in talem promissionem, quantumlibet etiam ex parte promittentis seria fuerit, adeoque omnibus modis in se verissima, solemus, eandem falsam, mendacem, Diabolicam, eine schelmische obligation, appellando, effectus potius creditori noxii, falsitatem, quam promissionis, reprehendentes. Nisi enim promissio omnibus modis vera, seria, indubitata fuisset, coarguere promittentem falsitatis, deceptionis, illusionis, in ipso nempe promissionis effectu deprehensæ, haud possemus. Quem morem etiam ex profanis scriptoribus fusissime describit, neque tamen orationis veritati quidquam præjudicare ostendit *Sim. Episcopis* Tom. I. Opp. Resp. ad Def. Camer. c. XIX. Id itaque si & Theologi ante nostra tempora fecerunt, zelo promovendæ cum notitia sacra sanctioris vitæ, adeo culpandi non sunt, ut potius omni laude sint condecorandi. Qui tamen ideo, si detracta locutionibus suis ἰμφάσεως figura

loquen-

loquendum ipsis fuerat, veritatem talis notitiæ in se adeo non negarunt, ut celebrarint, potius tanquam insigne Spiritus Sancti beneficium, quo neque veritatem, neque virtutem & spiritualitatem, neque sufficientiam & efficaciam, omnem naturam transcendentem, ejus medii irregenitis & impiis aut invidere aut denegare voluerint, quo ad salutem adspirare possent. Quod vero unica est rerum à DEO revelatarum notitia, ceu ordinatum à DEO omnis praxeos instrumentum. Ut adeo frustra Theologi adversæ partis in materia, ubi de notitia proprie dicta controvertitur, ad testimonia provocent, quæ de notitia emphatica & figurata loquuntur.

XIV. Id jam II. amplius & clarissime patescit ex admissis ab omnibus nostræ partis Theologis conversionis gradibus, à Spiritu S. in efficiendis initiis & incrementis ejus effectis & ab irregenito subjective receptis. Si enim omnium unanimi consensu constat, conversionem non uno momento, sed per gradus, pedetentim effici, neque hominem irregenitum in instanti & immediate, sed temporis tractu converti, tum ultro & immote consequitur, ultimatam conversionem antecedere complures in irregenito actus, conversionem causaliter efficientes & procurantes, non aliter, ac in scala, unde & denominationem acceperunt, unus gradus alterum præcedit, mediumque est, quo tertium quartumque, & per hos tandem ipsius conclavis possessionem obtinere queamus. Res est clarissima, Jam vero motus illi à Spiritu S. homini irregenito in exordienda & continuanda conversione impressi, nisi velimus ex homine irregenito merum stipitem, omni sensu carentem facere, non possunt sine notitia hominis irregeniti vel oriri vel medium esse, ulteriores conversionis gradus obtinendi, nisi per notitiam. Per notitiam aliqualem verbi & suavitatem inde perceptam oritur desiderium in ulteriorem notitiam penetrandi. Per hanc in literarum sacrarum accuratius scrutinium. Ex quo quo plenior & perfectior fit notitia, eo majora & amor erga verbum DEI capit incrementa. Ex his assensus sequitur, primo debilior, mox fortior, primo in quibusdam tantum fidei salutaris, ad salutem me ducentis, partibus, tandem in omnibus. Et hæc omnia antecedunt comple-

pletam conversionem, cum sine illis prævis fiducia in gratiam DEI, merito Christi partam absolute generari nequeat. Qui itaque hos gradus concedit, ceu concedunt Theologi omnes, is necessario concedit veram in homine irregenito ante completam ejus conversionem sacrorum omnium, ad salutem necessariorum, notitiam. Cum nullus motus in quocunque gradu sine notitia exoriri aut existere possit. Cumque hæc gradualis notitia verum sit regenerationis fundamentum, veram etiam esse ipsam notitiam, absolute necessarium est.

XV. Id quod III. amplius comprobatur ex eo, quod eodem omnium Theologorum consensu receptum sit, fidem tribus constare partibus, seu ut loquuntur, gradibus, notitia, assensu & fiducia. Quorum primus via est ad secundum & secundus via ad tertium. In homine irregenito primo omnium notitia mysteriorum excitanda est. Quæ ubi firmata est, ipsa sui pulcritudine & conjuncta illi ex verbo efficacia vorticordia progenerat assensum, Assensus denique fiduciam producit. Est hic naturalis in constituenda fide ordo. Non enim fiduciam meam in meritum Christi ponere possum, nisi antea noverim & assensu meo comprobaverim omnia ad fiduciam hanc concipiendam necessaria, quæ fidei articuli dicuntur. Dum igitur Theologi omnes omni tempore agnoverunt, ex notitia assensum, ex assensu fidem, qua fiducia est, pronasci, neque fiduciam per ulla alia media exoriri posse, hoc ipso id simul agnoverunt, notitiam & assensum verum, supernaturalem & spiritualem esse, cum ex naturalibus mediis res supernaturalis exurgere non possit & graduum omnium ea sit ratio, ut unius apprehensio alterius sit progeneratio.

XVI. Ex hac graduum ordinatione IV. ultro consequitur, conversum, illuminatum, regeneratum vel ex parte dici posse, vel ex toto. Quemadmodum qui à deviis ad viam regiam convertitur, si per longiores anfractus ad illam contendendum est, superato uno vere quidem conversus est, quoad illam anfractus partem, nondum tamen complete & totaliter, nisi superatis universis. Ita quando mane exoriente die conclave illuminatur, lumen illud

lud per gradus, minus majusve, recipit & in quibuslibet tamen vere illuminatur. Denique & homo vere quoad partem generatur, quando vel caput vel pedes ex utero egrediuntur, complete vero, quando totus homo generatus est. Cum itaque negarunt Theologi, hominem nisi regenitum Divina mysteria intelligere posse, id intellexisse eos de homine vel totaliter vel partialiter regenerato ideo necessarium est, quia in describendis conversionis gradibus, antequam ad completam regenerationem deveniretur, agnoverunt effectam à Sp. S. ex lectione verbi credendorum notitiam, quippe sine qua neque ad assensum perveniri, neque ad fiduciam in meritum Christi ponendam posse clarissimis simul verbis professi sunt. Hinc argumentum immotum est: quicunque agnoverunt in homine irregenito ad conversionem tendente notitiam rerum sacrarum, ceu unicum medium, à Spiritu S. productum, progenerandi assensum & per assensum fiduciam, & tamen simul negarunt, hominem irregenitum habere veram rerum sacrarum notitiam, illi necessario hoc intellexerunt de homine, qui nondum ex ulla parte regenitus est, concesserunt verò de homine, qui ex aliqua parte, nempe quoad notitiam, regenitus est. Est enim notitia pars regenerationis. Atqui veteres. Ergo. Atque ita omnino sentiendum est, nisi apertam contradictionem veteribus adfingere velimus, eosque prostituere.

XVII. Quod jam V. ulterius confirmatur ex eo, quod ubi de ordine, intra quem Spiritus Sanctus conversionem operatur, veteribus Theologis sermo est, varios exprimant motus, à Spiritu S. intra irregenitos effectos & ab ipsis receptos atque in usum vel minorem vel majorem deductos. Nonnulli contenti sunt motuum eos tantum nomine designare. Alii, ne hæc denominatio Enthusiasmo præbere occasionem videatur, ipsis exprimunt verbis, quid illorum actuum, motuum, pulsuum nomine intelligant, sive ex parte intellectus, sive voluntatis. Tales intra irregeniti animum motus nominant, cupiditatem audiendi verbi, delectationem, ex eo vel lecto vel audito perceptam, desiderium in auditu & lectione verbi proficiendi, notitiam sacrorum semper majorem & perfectiorem, spem salutis qualemcunque ex eodem capiendi,

assensum uni mysterio post alterum præbitum, quoque magis ille crescit & firmatur, amorem erga DEum & venerationem erga revelatam veritatem. Neque etiam aliter de antecedentibus fidem & conversionem gradibus per ipsam rei naturam statuere & differere possunt. Unde enim fiducia in meritum Christi ponenda orietur, si non ex immediatis oriri debet pulsibus & afflatibus? An fiduciam in aliquem ponas, & in quem ponas & quare ponas & an tuto ponas, ignores? An causam ponendæ fiduciæ scias, & certitudinem ejus in re tanti momenti non omni modo explores? Quare & Theologi veteres omnes ad sacram Ecclesiæ nostræ communionem & spem in ea vitæ æternæ neminem, sive ex Judæis, sive ex Pontificiis, sive sectis quibuscunque aliis admiserunt, nisi antea professi fuissent, se omnibus iis fidei articulis firmum immotumque assensum præbere, qui ad id, ut tuto fiduciam in Christum de remissione errorum & peccatorum ponere possent, ex totius Ecclesiæ nostræ praxi requiruntur. Quid hoc aliud est, rogo te, rogoque iterum, quam ante completam conversionem existere debere in homine, ex supernaturali operatione Spiritus Sancti, omnes illos, quos antea nominavimus, motus? Quorum tamen plurimis admissis ultimis possit resisti.

XIIX. De quo ut evidentius constet, nonnullorum Theologorum VI. ipsa adferemus verba, motus & pulsus istos nominatim recensentia. Ille enim idem *D. Chemnitius*, quem ex Locis Theologicis, in juventute, antequam ad officia publica deveniret, scriptis, pars adversa pro se adduxit, in Examine Concilii Tridentini, in maturrima ætate scripto, Articulo de Libero Arbitrio p. 117. *In summa, in conversione oportet fieri & esse motus aliquos & actiones, quibus incipiat fieri applicatio quædam mentis INTELLIGENDO, voluntatis ASSENTIENDO, DESIDERANDO, VOLENDO. Ubi enim nulla talis est, ibi nulla nova potest sequi notitia, cogitatio, desiderium, nullus assensus.* Ecce in conversione, seu supernaturali gratia Spiritus Sancti, conversionem effecturi, incipit fieri in convertendo seu in irregenito applicatio quædam mentis (subjectiva in mente receptio) intelligendo, voluntatis assentiendo. Ergo datur in homine irregenito notitia non naturalis & ad disciplinam externam tantum pertinens, sed supra naturam à Spiritu S. eidem indita

dita & tanquam talis recepta, idque quia debet esse MEDIVM NOVÆ & VLTERIORIS NOTITIÆ & tandem ipsius fidei. Qualis notitia non potest esse nisi vera & vere spiritualis, quia falsa & naturalis notitia fidem operari non potest. Hanc notitiam & assensum ait postea talem hominem *in VOLVNTATE HABERE*, (Ergo existunt in ipso subjective) *accepta tamen non à se*, (adeoque non à natura,) *sed à gratia*. Sed audiamus porro hunc Theologum, nobis oppositum, ibidem: *Facto per Spiritum S. initio, fiunt progressus, non ita, sicut lilia agri crescunt, quæ nec laborant, nec curant, sed in exercitiis POENITENTIÆ, fidei,* (assensus ut Act. XXVI. 27.) *& obedientiæ, quærendo, petendo, pulsando, conando, luctando, INITIA DONORVM SPIRITVALIVM* (Ecce ipsa conversionis initia sunt dona spiritualia!) *retinentur, crescunt & augentur*. Et hæc initia, quamquam tenuia sint, tamen esse *VERAS affectiones & operationes Spiritus Sancti*. Porro p. 120. 121. *Quando igitur Spiritus S.* (non natura per actiones externæ disciplinæ) *per verbum COEPIT naturam sanare, accensa aliqua scintilla efficaciæ & FACVLTATIS SPIRITVALIS*, (Ecce in homine irregenito natura est quoad aliquam partem sanata, in ea accensa est & subjective residet scintilla EFFICACIÆ & facultatis spiritualis; scintilla autem est verus ignis, vera igitur in homine irregenito est facultas spiritualis) *sed in magna infirmitate tantum inchoata*, (loquitur de initiis conversionis, non negat, in progressu hunc ignem fieri majorem) *tunc tamen* (in ipsis initiis) *nec mens nec voluntas est otiosa, sed aliquos habet novos motus, quos etiam debent exercere meditando, orando, conando, luctando. Sed illa SPIRITVALIS EFFICACIA, Spirituales illi motus, quantumvis tenues, non oriuntur, non nascuntur vel ex toto vel ex parte ex naturalibus potentiis, quas mens & voluntas ex prima nativitate habent, sed sunt dona, operationes & affectiones Spiritus Sancti IN NOBIS*. Etiamnum contendat quis, juxta *Chemnitium* hominem non plenè renatum nihil intelligere posse, nihil posse velle rerum spiritualium? Ipsemet sese exponit, quomodo in Locis Theologicis intellectum velit, quando negat, hominem nondum plene regenitum quicquam intelligere rerum spiritualium, nempe *ex naturalibus potentiis, quas mens & voluntas ex prima nativitate habent;* posse tamen omninò aliquid spirituale

intelligere, *ex dono, operatione, affectione Spiritus Sancti in nobis.* Sed totum istud caput Chemnitianum, quod sententiam adversam quasi directè refellit, conferendum est.

XIX. Chemnitio subjiciamus duos Theologos Rostochienses, pietatis fama toti mundo conspicuos, longe ante hæc tempora scribentes, ut judicare universus mundus possit, utrum *fucum* ego *faciam auditoribus meis*, aut novam iisdem sententiam, quod toties mihi non sine rancore objicit adversæ partis Theologus, instillem. Prior est *D. Joachim. Lütkemannus* in Disputatione *De Viribus Naturæ & Gratiæ in conversione hominis*, Gryphiswaldiæ pro summo in Theologia gradu Præside *D. Mævio Völschovio* habita (quo ipso & consensus Academiæ Gryphicæ nobis accedit) §. XLI. quem ideo totum adponam. *Verum*, ait, *hic se offert intricata difficultas. Si enim eadem exhibita gratia alter ei resistit, alter eam admittit, eaque ad conversionem utitur, cooperari hominem ad salutem negari nequit. Cur ergo damnamus Synergismum? Resp. cum negamus cooperari hominem ad sui conversionem, nequaquam hoc volumus, quod intellectus & voluntas maneant otiosa, sed quod ex naturalibus viribus nihil præstent. Spiritus S. operatur conversionem totam, non in momento simul, sed per varios gradus, interposita ubique lucta carnis. Singulis gradibus potest homo resistere. Si autem admittit gratiam Spiritus, habet porrò libertatem utendi ista GRATIA* (non natura, aut viribus naturæ) *ad majus incrementum. Istam autem libertatem seu potentiam non habet à carne, sed à Spiritu, qui BONVM OPVS* (ecce, quo titulo condecoret effectum gratiæ, in homine productum!) *jam incepit. Quicquid igitur convertendus* (irregenitus) *bene agit, id non agit ex viribus arbitrii, post lapsum in carne residuis, sed ex viribus, à Spir. S. SVPERNATVRALI influxu animæ communicatis.* (adeoque in anima subjectivè inexistentibus.) *Hoc clarius perspicitur, si singuli conversionis gradus considerantur. Primus gradus est externus auditus verbi, ad quem habere hominem libertatem naturalem jam occupavimus dicere. Quamquam enim gratiæ acceptum ferendum est, quod verbum prædicatur, penes hominem tamen est, audire vel non audire. Diximus, etiam in potestate hominis positum esse, attente audire seu legere & cum animo discendi.* (Et tamen hic auditus, hæc lectio, hæc attentio simul est gradus gratiæ, supernaturali influxu animæ communicatus, juxta hunc ipsummet Theologum, nempe

pe quatenus ex consilio Sp. Sancti ad ulteriores progressus & tandem ad conversionem ipsam illa sunt destinata. Id ni foret, Pelagianismo locus daretur, dum aliquis gratiæ gradus naturalis duceret ad conversionem) *Alter gradus est cognoscere & intelligere. Hic nullam habet homo potentiam naturalem. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI, non potest ea intelligere. Ideoque in auscultatione verbi maxime attenta Spiritus S. aperit mentem, ut possit RECTE considerare & intelligere. Hic libertatem resistendi homo habet, quatenus vel somnolentia necessitatem verbi contemnit, vel amore mundi ea, quæ Spiritus sunt, insuper habet, vel carnali sapientia inflatus cum Festo exclamat: Paule insanis. Actor. XXVI. 24.* Er kans in den Wind schlagen. *Habet etiam homo libertatem, ulterius audita considerandi. In ipsa CONSIDERATIONE ET INQUISITIONE Spiritus Sanctus movet ad CONSENSUN, qui tertius gradus, & concedit vires consentiendi. Virtute istius potentiæ jam concessæ homo habet libertatem consentiendi, sive statim id fiat, sive languide, carnalibus considerationibus impeditus potest consensum suspendere vel plane denegare. Exemplum in Felice Act. XXIV. 25. qui commotus informatione Paulina dixit: vade hac vice, opportunitatem nactus accersam te. Ita Agrippa, concione Pauli commotus fatebatur: parum abest, quin persuadeas, ut fiam Christianus. Act. XXVI. 28. Ibi sane boni motus fuerunt inchoati, sed suppressi. Veritate jam cognita oritur ulterior motus voluntatis & compunctio. Oritur lucta tum rationis tum voluntatis, an velit se Evangelio Christi subjicere, vitam in melius emendare & mundo valedicere. Ubi Spiritus Sanctus semper urget. Illud urgeri semper magis magisque moveri est, à Spiritu Sancto in solidum. Penes hominem est, scintillas Spiritus Sancti extinguere, vel iis se subjicere. Habet jam facultatem præferendi Christum mundo vel mundum Christo. Ita non statim uno momento absolvitur totum opus conversionis. In principio obscurum est desiderium, languida ASSENSIO, OBEDIENTIA tenuis. Crescant hæc dona necesse est, nec permittendum, ut evanescant. Crescunt autem una cum liliis non laborantibus, non cum arboribus non cogitantibus, sed in luctantibus. Luctam autem sine MOTU NOSTRÆ VOLUNTATIS non fieri certum est. Hinc Chemnitius noster in locis Theol. de Lib. Arb. p. m. 490. respondens ad objectionem istam carnis: secura & otiosa voluntate exspectabo, donec conversio juxta gradus recensitos operatione Spiritus Sancti sine*

meo motu absoluti fuerint, ait; non in puncto aliquo mathematico ostendi potest, ubi voluntas liberata agere incipiat, sed quando præveniens homini datur, statim incipit lucta Spiritus & carnis, ut docet exemplum Augustini. In hac declaratione Synergismum contineri nemo dicet, qui, quid Synergismus sit, intelligit. Poteratne doctrina mea, ô Theologe, in singulis etiam gratiæ gradibus clarius curatiusque exprimi? Ubi nunc est consensus Ecclesiæ veteris, tanta gloriatione jactatus? Sed *Lütkemanno* subjiciendus est *D. Hermannus Schuckmannus*, in Collegii, quod vocat, Theologici Disputatione sexta, *de Libero arbitrio, in specie conversionis gratia*, anno MDCXLIX. die XXVII. Januarii in hac ipsa Academia ad examinandum proposita ab *Andrea Helms*, Gubena Lusato, Respondente, cum consensu Amplissimæ Facultatis Theologicæ. Is itaque *Lütkemanni* vestigia ita premit, ut & verba nonnunquam retineat §. VII. *Causa conversionis efficiens*, ait, *non est, nisi unus verus DEUS. In specie tribuitur Spiritui Sancto. Medium verbum DEI. Finis remissio peccatorum & salus. Subjectum convertendum est homo irregenitus, in specie cor, includens omnes animæ potentias. Hic notetur I. conversionem peragi & terminari in homine prævia lucta. II. Non fieri sine actione vel motu mentis & voluntatis, hoc est, non fieri non COGITANTE, JUDICANTE,* (nota vocem Apostoli 1. Corinth. II. ἀνάκρισιν) *ASSENTIENTE intellectu, VOLENTE, APPETENTE, voluntate. His enim quiescentibus & otiosis nec lucta nec operatio locum habet. III. Id quod intellectum cogitare, judicare, assentiri, voluntatem DESIDERARE, & sic animam rationalem INTELLIGERE & VELLE summum bonum facit, à naturalibus animæ potentiis non est. Et HOC RESPECTU voluntas IV. in conversione hominis mere se habet passive, & dicitur trunco similis, quin & deterior eodem ob resistentiam.* (Non igitur intellectus & voluntas juxta hunc Theologum ideo in conversione hominis mere passive juxta Lutherum aliosque Theologos se habere dicitur, quia non vere & active scrutari Scripturas, res sacras intelligere, ab aliis non sacris dijudicare, summum bonum appetere, contra dubitationes gladio Spiritus luctari non possit convertendus, dum adhuc irregenitus, sed quod sine gratiæ viribus haud magis possit, quam truncus & lapis) *V. Vires, quæ hic nullæ sunt naturæ omnes solius gratiæ. VI. Processum sive modum*

in

in convertendo, qui & uno momento & absque lucta intercedente non absolvitur. Hinc gradus conversionis distincti, qui sunt I. auditus verbi exterior, etiam cum attentione quadam conjunctus, quem esse in potestate & arbitrio hominis, sive ad admittendum sive ad respuendum externæ prædicationis gratiam docuimus §. 6. II. Cognoscere & intelligere ea, quæ Spiritus DEI sunt. Hic aperire cor, Domini est. Act. XVI. 14. Homo nullas vires ex se habet, sed libertatem tantum vel contemnendi verbum, torpore, mundana sapientia, concupiscentis & curis hujus seculi veluti spinis implicitus. Act. XXIV. 24. vel admittendi considerationem ulteriorem, quam urgere non desinit DEI Spiritus. III. Assentiri vel accipere verbum salutis, ut verbum DEI. (Ecce juxta hunc Theologum: Divina fide certum esse, verbum DEI esse verbum DEI; in hominem convertendum ante conversionem cadere ait, & esse necessarium ad completam conversionem prærequisitum, quod infra suo loco Theologus nobis adversus tantum non tanquam blasphemum traducit) *Et hic vires consentiendi non sunt hominis, sed conceduntur eidem à gratia, vi quarum consentire homo potest, sive statim sive mora aliqua interjecta. Potest idem & non assentiri, alienis nempe imaginationibus distractus, & sic non utens collata potentia. Actor. XXIV. 25. IV. Eligere bonum à Spiritu Sancto demonstratum. Et sic acuitur lucta. Datur compunctio cordis, dantur & motus, propositum indesinenter urgentes; & hi nonnisi à Spiritu S. proveniunt. Occurrit quoque ob adhærentem carnem dubitatio vel pugna mentis & voluntatis, an velit se subjicere Christo & mundo nuncium mittere, necne? Hic potestatem habet homo ex ipsa gratia recte utendi motibus spiritualibus & sic porro apprehendendi Christum, lucem veram; habet tamen & libertatem ad supprimendum & extinguendum scintillas Spiritus DEI, adeoque amorem tenebrarum vi corruptæ naturæ amori lucis præferendum. Quod si superat dubitationis difficultatem virtute Spiritus, cui soli hanc victoriam debemus, jam convertitur homo.* Et paulo post: *Ex his nota I. non secure & otiosa voluntate expectari debere, donec conversio nostra absolvatur, sine nostro motu. II. Hominem juxta singulos gradus recensitos reniti posse DEO, sive non admittere gratiam. Et tum si reluctatur in primo, (gratiæ prædicationi) aditum ad secundum; si in secundo, (virtuti illuminatrici) ad tertium; si in tertio, (gratiæ moventi) ad quartum; si in quarto, (eidem efficaciter suadenti, urgenti,*

vires

vires conferenti) ad conversionem ipsam sibi ex propriis præcludit. Si denique in quinto, ad pristinum iræ statum delabitur & operanti denuo Spiritui Sancto contumaciter resistens, tandem induratur.

XX. Non existimo, accuratiorem & specialiorem convenientiam doctrinæ, si ita vocare eandem Theologo allubescit, recentioris cum doctrina majorum nostrorum vel excogitari posse. Ex quo argumentor: quicunque in gradibus conversionis omnibus singulisque, non obstante, quod in iisdem dentur non tantum ex parte hominis passiones, sed etiam cum intellectus tum voluntatis ACTIONES, à Spiritu Sancto effectæ & ab homine subjective receptæ, auditio, attentio, lectio, consideratio, inquisitio, dijudicatio, luctatio, cogitatio, desiderium, electio, delectatio, notitia, assensus, omnia tamen singulaque unice gratiæ, nihil naturæ adscribunt, ii iniquissime vel Pelagianismi vel Semi-Pelagianismi vel denique nervorum Pelagianismi coarguuntur. Ubi enim Pelagianismus esse potest, ubi nihil naturæ, omnia gratiæ tribuuntur? Atqui Theologi Rostochienses, veteres & recentiores. Ergo. Occurrendum hic est, antequam hinc abeamus, duplici objectioni. Primo objicitur, saltem Theologos hos veteres ad naturalia referre auditum & lectionem verbi & sensum ejus literalem, quæ vero nos ad spiritualia referamus. Respondetur, id fieri, ut jam antecedente §. ostendimus, tantum certa ratione, quam & nos admisimus Disp. de Pelagian. Aph. IV. §. 3. Alia vero ratione, qua auditus & lectio ad sacrorum in notitia profectum & ea mediante ad conversionem ipsam diriguntur, eadem ad gratiam supernaturalem pertinere, & eo quoque Theologos illos referre, inde indubitatum est, quod disertis verbis nominent motus & effectus, non naturæ, sed gratiæ, naturæ oppositæ. Gratiæ enim vocant gradum, eumque primum. Impossibile quippe est, quin merus auditus, Ecclesiæ ministro, homini in variis peccatorum sordibus sese volutanti, ut ipsum audiat, DEI nomine aliquid cum ipso collocuturum obtestanti, præbitus, ceu obsequium hac in re DEO ipsi præstitum, sit à gratia, non à natura. Deinde objicitur, nondum gratiæ gradibus, regenerationem completam antecedentibus, à Theologis illis convictionem Divinam de Divinitate S. Litera-

terarum annumeratam esse, neque certitudinem ejusdem fidei Divinæ assensui, regenerationem antecedenti. Ad id me solum nemine prævio asserere. Quo vero nihil horribilius, si præcipue ad hominem impium extendatur, excogitari possit. Sceleſtissimum nempe nebulonem summum in se gratiæ gradum possidere. Ad quod pius animus penè in lapidem obrigescat. Enimvero *D. Schuckmannum* convictionem de Divinitate verbi Divini gradibus conversionem prægredientibus accensuisse, jam supra ex disertis ejus verbis constitit. Eò enim refert: *assentiri vel accipere verbum salutis, ut verbum DEI.* *Lütkemannus* vero inter motus plenam conversionem antecedentes ponit VERITATEM COGNITAM. Ex quo argumentor: Veritas ante conceptam fidem, adeoque ab irregenito agnita, aut certo & immote agnoscitur, eique assensus præbetur, aut cum dubitatione & fluctu marino. Jac. I. 6. Si hoc, non exauditur apprehendere volens cum fiducia Christum, quod ideo absurdum, quia in proximo introitu est ad fiduciam. Potestne fiduciam concipere in Christum de remissione gratuita peccatorum suorum & de adipiscenda vita æterna, nisi certò & infallibiliter antea persuasus sit, Christum esse verum DEum, nisi velit idololatriam committere & creaturæ id tribuere, quod soli DEO convenit? Potestne irregenitus fiduciam in Christum de remissione peccatorum obtinenda ponere, nisi certo antea sciat, quid sit peccatum, quem peccato offenderit, quid peccato promeruerit, quis pro peccato suo loco satisfecerit, quid sit pœnitentiam agere & in Christum credere? Jam verò si non est horribile, DEum Patrem per Divinam providentiam sceleſtissimis in mundo nebulonibus bonitatis suæ & divitiarum temporalium immensos thesauros non offerre tantum, sed reapse ad possessionem propriam elargiri, eum in finem, ut beneficiis illis commoti *DEum laudent & glorificent*, Rom. I. 21. ut *pœnitentiam agant*, Rom. II. 4. ut *DEum quærant*, Act. XVII. 27. cur horribile & non potius consolabile sit, Spiritum S. etiam sceleſtissimis in mundo hominibus gratiam suam supernaturalem non offerre tantum, sed reapse iis ad subjectivam possessionem elargiri, ut tanto beneficio commoti fidem in Christum ponant, & hoc pacto DEO reconciliati eundem laudent at-

que celebrent? Non potest ulla allegari ratio, cur posterius hoc sit absurdum, non autem sit prius.

XXI. Ostendimus hactenus evidentibus argumentis, veteres Theologos, hujus etiam Academiæ, ubi ex professo curam specialem in gradus gratiæ conjecerunt, (nam qui generatim tantum opus conversionis considerationi suæ subjecerunt, mirum non est, in generali pronunciato, tantum hominem regenitum Divinorum illorum donorum, notitiæ & assensus Divini capacem esse, vocem regeniti quacunque ratione accipiendo, acquievisse) idem, quod nos hodie docemus, olim docuisse. Nunc adjiciendum est, idem circa gradus gratiæ patrum nostrorum nostraque memoria docuisse doctores tum Ecclesiæ nostræ primarios, *D. Kœnigium, D. Hülsemannum, D. Calixtum, D. Dannhawerum, D. Osiandrum, D. Quenstedtium, D. Dorscheum, D. Musæum*, pluresque alios. Inter quos *Dannhawerus* atque *Musæus* & hoc asserunt, in peccata proæretica lapsos, adeoque impios, lumen gratiæ supernaturalis in ipso flagranti peccato retinere, perque illud revocari Quod sine animi horrore asseri non posse pars adversa affirmaverat. Dabitur denique opera, ut hodiernorum Ecclesiæ doctorum, in Suecia, Dania & Germania, magno numero ex Academiis & Ministeriis doctrinæ nostræ calculum addentium, nomina in medium proferantur. De tanto verò doctorum grege verosimile non est, eos vestigia omnium antecessorum suorum deserere & condere novam religionem voluisse, nisi compertum ipsis esset, eos adversæ sententiæ non fuisse addictos.

XXII. In præsenti argumento duo adhuc agenda mihi esse video, primo, ut quæ pars adversa adversus demonstrationes illas, pro conformitate doctrinæ nostræ cum majoribus nostris hactenus adductas, excipiat, regeratque, sub examen vocemus, eoque fundamenta nostra tueamur. Deinde ut novitatem nobis objectam in adversarios majori longe jure retorqueamus.

XXIII. Itaque primo desperatum esse remedium ait p. 48. sq. vocem regenitorum pro iis accipere, qui vix initium regenerationis habent, idque repugnare perpetuo Scripturæ usui, quæ ignoret regenitos alios quam complete regenitos. Nec etiam nisi completè regenitum aptum esse ad dijudicandum

omnia

omnia, quippe sub lege constitutum. 1. Cor. II. 15. Nec commode me instantiæ loco vocem: *carnalis* objectare, quæ modo eum, qui omnimodo carnalis sit, Rom. IIX. 5. modo eum, qui ex parte, notet, Rom. VII. 14. cum oppositio non fiat in homogeneis, sed in heterogeneis, & carnalis dici possit regenitus, qui carnis reliquiis plusculum cedit, 1. Cor. III. 1. seq.

XXIV. Hæc verò facile dissolvuntur, si notetur I. differentia inter locutionem absolute positam & cum addito. Cum vox regeniti absolute ponitur, ordinariè nonnisi de complete regenito eandem intelligi non inficior. Ex quo tamen non sequitur, si vox diminuens eidem vel addatur vel subintelligatur, non posse eandem de partiali illuminatione exaudiri. Cum absolutè dico: scripsi epistolam, extruxi domum, implevi mandatum, ordinariè non intelligo nisi de epistola complete scripta & de domo complete extructa & de mandato complete executioni dato. At quis negaverit, cum addito tamen recte me dicere: scripsi epistolam ad dimidium usque, extruxi domum ad tectum usque, implevi mandatum ad illam illamve usque partem. Jam si regenerationis vox in Scriptura perpetuo, quippe absolute posita, completam regenerationem notat, non ideò dicere non licebit, hunc illumve regenitum esse quoad hanc illamque regenerationis partem. Immo necessario ita loquendum est, quia regeneratio ex partibus non minus ac domus & epistola & mandatum constat, adeoque de similibus similis possit usurpari locutio. Non absolvitur regeneratio, quippe per verbum, quod intra ordinem, non in instanti, illuminat, uno actu, quamquam perficiatur & consummetur uno fidei actu. Hinc argumentum: quicunque successive per plures actus regeneratur, ille mox quoad hanc mox quoad illam partem regeneratur. Homo irregenitus. Ergo. Neque obstat, quod Scriptura vocem nonnisi de completa regeneratione usurpet. Sufficit enim, incompletam Scripturæ non tantum non retragari, sed ab eadem consequenter, ceu demonstratum est, requiri. Quinimo in voce prorsus synonyma in illa reperiri, ex Act. XXVI. 28. nimis quam palam est. Quicunque enim per fidem, Prophetis de Christi persona & officio testantibus adpositam, fere fit Christianus, non tamen complete, is per eundem assensum fere regeneratur, quamquam non complete. Agrippa.

Ergo. Sunt enim prorsus Synonyma, Christianum fieri & regenerari. Ex quo ipso Agrippæ exemplo jam & II. innotescit, quam absurde dicatur, irregenitos per gradus gratiæ, completam regenerationem antecedentes, *vix initium regenerationis habere*. An vix initium habet regenerationis, qui parum à regeneratione abest? An semen in terram projectum vix initium fructificationis habet, si non tantum germinet & in longitudinem excrescat, sed & gramen & spicam protrudat, etsi plenum frumentum nondum ejiciat? Ceu hic ipse ordo ad regenerationem adplicatur Marc. IV. 27. 28. III. In loco 1. Cor. II. 15. non dicitur regenitum omnia dijudicare, sed τὸν πνευματικὸν, *spiritualem*. Spiritualis autem ibi est, qui non est ψυχικὸς, meris animæ rationalis facultatibus utens, ceu supra ex Concordiæ Formula, cujus auctoritatem non rejicit pars adversa, indubitatis argumentis est demonstratum §. X. Posse autem ex viribus per priores gratiæ gradus concessis hominem irregenitum omnia dijudicare *Lütkemannus* paulo ante adductus asseruit, & id si negetur, vel una rerum spiritualium mica nominanda est, quam dijudicare per vires à DEO usque propemodum ad plenam regenerationem concessas (parum abest) haud possit? IV. Quoad vocem: *carnalis*, quo refugere ex causæ desperatione velit pars adversa, non reperit. Carnale est, quod ex carne est & carnem sapit, in quocunque subjecto existat. Non enim carnale in Paulo redditur spirituale, quia ipse erat spiritualis. Hæc mea argumentatio est: si carnale potest dici, mox quod carnis desideria voluntarie & pertinaciter implet, mox quod in aliquibus tantum & contra voluntatem; tum & regenitus dici potest, qui Spiritus desideria vel complete in regeneratione completa adimplet, vel in quibusdam tantum partibus. Si igitur Corinthii juxta ipsummet Disputantem carnales dici potuerunt, quia carnis reliquiis plusculum cesserunt; quanto magis irregeniti, qui antecedentes completam regenerationem gradus admiserunt, regeniti cum addito & spirituales dici possunt, quia Divinæ in iisdem operationi, in auditu verbi, in amore ejus, in scrutinio, in desiderio salutis, in contritione, in notitia, in assensu, aliisque, non tantum PLVSCVLVM cesserunt, sed ita PLVRIMVM cesserunt, ut PARVM ABESSET, quin regenerarentur?

XXV.

XXV. Regeritur II. irregenitum, quousque & quamdiu irregenitus sit, esse sub lege, adeoque prorsus ineptum ad dijudicandum omnia. Nec etiam irregenitos vel experientiam habere vel pietatem, quomodo igitur dijudicare oculis his privati lucem spiritualem à tenebris queant? Respondetur I. Quicunque ante oculos habent immotum omnia dijudicandi principium, Scripturam S. eamque intellectu non tantum facillimam, sed præterea efficacia, quovis bicipite gladio acutiore, instructam, cui etiam ex operatione Spiritus S. eousque locum relinquere irregeniti possunt, ut parum absit, quin regenerentur, ii de omnibus spiritualibus dijudicare possunt. Irregeniti. Ergo. Iterum: Quicunque, antequam credere vere potest, notitiam omnium eorum habere, quæ ipsi tanquam futuro Christiano & fideli agenda sunt, & assensum præbere debet omnibus iis credendis, quæ immotam in Christum fiduciam fundare possunt, is omnia dijudicare debet & potest, quæ ab Apostolo requiruntur. Atqui irregenitus. Ergo. Hæc argumenta prius solvant adversæ partis patroni, quam experientiam & pietatem, ex fide provenientem, ad judicandum requirant. II. Nec obest, quod irregeniti non habeant vel experientiam vel pietatem. Nam quoad prius, Medicus omnes morbos dijudicat & nulli tamen subjectus est. Et expertus si accurate & vere dijudicare velit, dijudicationem suam, utrum vera & legitima sit, ad verbum Divinum exigere & dijudicare debet. Quo pacto ad verbum Divinum omnia ultimo revocabuntur. Quoad posterius, pietas ad effectum & fructum dijudicationis, ad notitiam quippe pertinentis, non ad essentiam refertur. De hac vero, non de illa quæritur, III. Irregenitus, per gradus ad regenituram tendens, ex duobus componitur, ex spiritualitate, per admissionem motuum, à Spiritu S. impressorum, acquisita, & ex imperfectione, eidem adhærente. Quoad illud irregenitus est ex Evangelio, quoad majorem vel minorem admissorum motuum partem. Adeo ut nonnunquam *parum absit*, quin totus sit ex Evangelio. Quoad imperfectionem est ex lege, per initium conversionis quasi infirmata. Et quando spiritualia dijudicat, non secundum ea dijudicat, secundum quæ adhuc sub lege est, sed secundum ea, secundum quæ per varios gratiæ gradus à legis coactione est li-

beratus & Evangelio ea in parte imbutus. Sed hac de re cum Theologus infra ex instituto agat, putetque se inveniſſe, non quod pueri in faba, nobis quoq; differendi uberior erit occaſio.

XXVI. Regeritur III. nunquam Theologos veteres regenitos vocaſſe, niſi qui complete fuerint regeniti; nec irregenitos, niſi qui nihil omnino veræ ſpiritualitatis habuerint. Si vero noſter irregenitus habeat notitiam & aſſenſum ſpiritualem, *cur hunc regenitum adeo crude clamitemus irregenitum, quoties de iſta re loquamur? Nimirum ut confundamus cum irregenitis reliquos.* Reſpondetur I. Quicunque docuerunt, & quidem conſtanter, Spiritum S. in irregenitis excitare per gratiam prævenientem compunctionem, quæ ſine notitia oriri non poteſt, & per gratiam præparantem notitiam myſteriorum, ad fiduciam in fide excitandam directam, denique aſſenſum, Divina fide myſteriis præbendum, illi docuerunt, non ſolum regenitum complete ſumptum vere Divina cognoſcere. Theologi veteres. Ergo. Dices: notitiam illam nec dixerunt vel ſpiritualem vel ſupernaturalem. At nec gratiam Spritus Sancti dixerunt eſſe veram, ſpiritu gravidam & naturæ vires excedentem. Ergone talis non eſt? Conſule præterea *Lütkemannum* & *Schuckmannum.* Non ideo, quia adverſæ partis Theologus nunquam dicitur verus Theologiæ Doctor, ergo talis non eſt. Hoc ipſo potius verus Theologiæ Doctor eſt, quia abſolute & ſine ullo falſitatis indicio Doctor dicitur. Et quomodo notitia & aſſenſus in homine irregenito non ſint vera notitia & verus aſſenſus, cum ſint ex parte hominis unicæ fidei progenerandæ cauſæ? II. Qui Theologi negant, notitiam irregenitorum aut etiam impiorum non eſſe completam, ſi completum non ratione eſſentiæ, ad notitiam requiſitæ, ſed ratione effectus, à notitia vera ratione obligationis requiſiti, id intelligunt, ut alibi dictum.

XXVII. Regeritur IV. *Gerhardum* diſerte profiteri, notitiam irregenitorum litera potius conſtare quam Spiritu, quia ab ea abſit notitia ſalutaris & aſſenſus cum fiducia. Itemque pædagogiam homini tantum externam relinqui, ad interiorem aſſenſum non penetrantem. Adduntur quædam *D. Brochmandi* verba. Reſpondetur I. de hypocritis diſerte loquitur *Gerhardus*, non de iis, qui in primis converſionis gradibus motus Spi-

Spiritus Sancti ſerio admiſerunt. II. De iis loquitur, qui in externa tantum pædagogia ſubſiſtunt, interna voluntate & aſſenſu deſtituta, nec interea negavit, etiam internum animi motum irregenitis à Spiritu S. frequenter imprimi: ſeu ut *Chemnitium* ſupra §. XIIX. ſub finem loquentem audivimus: poſſe irregenitum aliquid ſpirituale intelligere *ex dono, operatione, affectione Spiritus S. IN NOBIS.* Neque III. *Gerhardus Chemnitii* ſententiæ adverſus eſſe poteſt, qui in Iſagoge, quod eſt ultimum viri ſcriptum, Diſp. XXIIX. c. III. §. 7. *Spiritus S.* inquit, *donat homini non reſiſtenti novas & ſpirituales vires, per quas bonum ſpirituale eligere poſſit.* Has vires dividit in primitias & incrementa Spiritus, *primitiarumque proprium* eſſe dicit, *fidem & converſionem efficere.* Nempe Spiritus S. donat homini, quem convertere vult, niſi primo ſtatim reſiſtat, VIRES SPIRITUALES, non irreſiſtibiliter apprehendendi bonum ſpirituale, ſed eligendi, id eſt, vel apprehendendi bonum ſpirituale ex datis viribus, vel repudiandi ex propriis. Hoc enim eſt eligere, ex duobus unum pro lubitu apprehendere, non vero unum neceſſario apprehendere. Ecce juxta *Gerhardum* homo nondum regenitus, ſed demum vel regenerandus vel regenerationem repudiaturus, habet vires vere ſpirituales credendi, ſi nempe ordinem porro obſervet. Quid clarius? Et quidem habet tales vires, quibus fides effici poſſit: ergo ſunt neceſſario vere ſpirituales, quia fides eſt vere ſpiritualis, neque per rem naturalem & pædagogiam externam effici poteſt. Id enim eſſet Pelagianum. Jam vero vires illæ non poſſunt eſſe raptus interni, neque poſſunt eſſe vis aliqua verbi magica, ſed ſunt ipſa notitia & aſſenſus, illa ad animum magis magisque revocata, hic ex illa revocatione magis magisque ſtabilitus, concurrente ſemper ſupernaturali & efficaciſſima Spiritus S. virtute, quippe verbo inceſſanter conjuncta. Hæc notitia & hic aſſenſus juxta *Gerhardum* ſunt vires illæ vere ſpirituales, quibus vel eligi, (non excluſis cæteris gradibus, in quibus ſemper notitia & aſſenſus reliquorum actuum & motuum fundamentum ſunt) vel repudiari fides poſſit. Vides iterum, verum eſſe, quod dixi, Theologos, quantumlibet alibi videantur dicere, hominem non plane regenitum nihil intelligere rerum ſacrarum, tamen alibi, quando de ordine regenerationis agunt, non poſſe defugere,

quin

quin fateantur, esse in homine nondum plene regenito spirituales credendi vires, notitiam & assensum. Qui autem habet notitiam rerum sacrarum, ille aliquid (non vero nihil) intelligit rerum sacrarum. In *D. Brochmandi* adductis testimoniis ne gry quidem est, quod mihi sit adversum. Cur vero non adferuntur ex tanto universalis consensus numero, qui claris perspicuisque verbis adversam doctrinam complectuntur?

XXIIX. Regeritur V. ad minimum *assensum, qui in impiis & impœnitentibus est, non esse spiritualem, sed naturalem, nec verum, sed hypocriticum.* Respondetur: Contrarium probatum esse supra §. VII. Equidem in nonnullis impiis assensum vel esse vel fieri hypocriticum, non negaverim. Ex. gr. Impurus pastori confiteatur, se agnoscere scortationem pro peccato, in animo tamen suo pro re licita habeat. Ex quo tamen non sequitur, in allis complurimis mysteriis, de personarum Trinitate, de Filio DEI, de ejus redemptione, de necessitate agendæ pœnitentiæ & rectioris vitæ instituendæ, atque similibus, assensum non posse esse verum & firmissimum. Qui cum impium intra semet perpetuo ad pœnitentiam stimulet, compungat, angustiam ejus conscientiæ injiciat, admoneat, ad gratiam DEI in Christo esse confugiendum, antequam subita morte abreptus æternum animæ suæ exitium attrahat, quæso per TeDeum immortalem, quomodo hi motus à natura esse possunt, cum sint ipsa loquela Spiritus S. per verbum intra cor ipsius loquentis & ab impio non tantum exaudita, sed ad animum cum terrore & compunctione, quamquam non cum sufficienti successu & effectu revocata? Quomodo hi terrores, in impio subjective existentes, possunt esse hypocriti, cum plures contra intentionem Divinam ad desperationem usque adigant? Hypocrisis est, cum aliud loquor, quam sentio. At fieri potest, ut impius etiam coram ministro cumpunctionem profiteatur, ex animo profectam & tamen domum reversus in pristinis peccatis sese volutet. Sit & hæc hypocrisis in facto, de ea non quæritur, sed de eo: utrum impius intra animum suum serio persuasus esse possit, se contra DEUM & Servatorem suum delinquere & adeo pœnitentiam ei, vocem totaliter capiendo, agendam esse? Id quod negari nequit, nisi sole clariorem experientiam & peccata contra scientiam & con-

conſcientiam inficiari velis. Sunt hi in impio relicti ſtimuli ſeria DEI revocatio, *omni die*, etiam inobedienti facta, Eſ. LXV. 2. non naturalis, ſed ſupernaturalis, non hypocritica, ſed vera, ſed Spiritu S. plena, adeoque vere ſpiritualis, non tantum quoad DEum vocantem, ſed & quoad hominem, eatenus acceptantem, quod intra ſeſe revocationis juſtitiam agnoſcat & ideò terreatur, quamquam ad ultimum effectum, in pugna tandem vincente carne, non deveniat. Inique utique agunt, qui ardentiſſimum DEI erga impios affectum, ad eosdem revocandos & lucrandos, & ſtimulos ex Divino hoc affectu & paterna cura in ipſum impiorum animum derivatos, contemptiſſimæ naturæ & hypocriſeos infamia traducunt, omniumque ludibrio exponunt, immo diabolo notitiam illam in impio relictam adſcribunt. Diabolo quidem adſcribendum eſt, quod non obſtante illo ſtimulo in impietate perſeverant, ſed ſtimulus tamen ipſe hoc non obſtante in impio Divinus manet & verè ſpiritualis, quousque ipſum pungit & excitat, quamquam per omnes vitæ dies compunctioni non obediat.

XXIX. Atque hæc de conſenſu & diſſenſu Theologorum veterum ab ea doctrina, quam hodie cum innumeris Eccleſiæ doctoribus defendo, dicta ſunto. Non diffitendum eſt, gradus Divinæ gratiæ, in converſione obvenientes, communi quidem Theologorum omnium conſenſu proponi & defendi, ſed ad ſpeciem graduum illorum reſpiciendo, raros eſſe, qui eosdem curatiori ſtudio deſcripſerint. Plerique generali doctrinæ propoſitione contenti ſunt: converſionem ordine & ſucceſſive, non uno in momento fieri, dicentes. Alii gradus denominarunt quidem, ſed ita ſæpe confuſe, ut quid ad gradus ante, quid poſt converſionem referant, non ita dilucide appareat. Recentiſſima hac ætate in manus meas devenerunt plurium Theologorum ſcripta, quibus univerſa Theologia vel in brevi compendio, vel in majore deductione repræſentatur, quæ more antea inſueto locum de Gratia in particularibus ſuis circumſtantiis longe fuſius curatiusque expoſuerunt. Quos inter nunc tantum nomino *Davidis Hollazii*, viri equidem excellenter eruditi, *Examen Theologicum*, ob tractationis perſpicuitatem, facilitatem ordinis & ſcripturarum teſtimonia innumera, breviter dilucideque expoſita, laudem

equidem omnem & encomium meretur. Qui quam sobrie solideque post *Dannhawerum*, *Osiandrum*, *Quenstedtium*, aliosque, in proponenda de Illuminatione & Conversione doctrina, ejusque dilucidandis gradibus & naturalibus à spiritualibus, horum differentia sollicite exposita, discernendis versetur, Liber Examinis tertius abunde demonstrat.

XXX. Priusquam huic capiti imponamus finem, cum adversæ partis Theologus in stabilienda sua sententia magnum robur in Theologorum, superiorum cumprimis temporum, consensu ponat, compellandus is nobis est, ut quo Ecclesiæ consensu, vel cujus in plerisque Theologi suffragio, vel collegii Theologici auctoritate nitantur sequentes ejus hypotheses, quibus tanquam fundamentis doctrina ipsius unicè fulcitur, nobis exponat.

I. Nullos in irregenitis motus à Spiritu S. per omnes gratiæ, completam conversionem antecedentes, gradus excitatos & subjective ab ipsis receptos, esse veros, spirituales & supernaturales.

II. Omnes illos motus, à Spiritu S. quantumlibet in irregenitis productos, ante completam conversionem, ob fidei defectum, quæ eosdem non recipiat, mere esse naturales.

III. Quicquid non quidem sit, videatur tamen in illis motibus esse spirituale, in accedente in posterioribus gratiæ gradibus quibuscunque resistentia, perire, disperdi, auferri, extingui, perimi, annihilari & fieri pure naturale, ad salutem ipsorum nihil causaliter conferens.

IV. Non dari in homine irregenito, ad regenituram tendente, antequam credat & complete convertatur, assensum certum & Divina fide immotum, ullius fidei articuli, omnium minime Divinitatis Scripturæ S.

V. Evangelio in homine irregenito in quibuslibet gratiæ gradibus, antequam credat, nullum plane esse locum, sed tantum legis maledictioni.

V. Nihil esse Theologice, Apostolice, Spiritualiter & Supernaturaliter verum, nisi sit complete per ipsam regenerationem verum.

CAP.

CAP. IX.

In quo, an & in quantum D. Jo. Musæus nobiscum consentiat, disquiritur.

I.

DAri in homine irregenito, per actus gratiæ Spiritus Sancti, eundem convertere volentis, prævios, qui vulgo dicuntur gratia præveniens, præparans & operans seu perficiens, veram rerum sacrarum, ad salutem deducentium, notitiam, comprobavi in Disputatione de Pelagianismo inter alia quoque ex suffragio *D. Jo. Musæi*, celeberrimi olim Academiæ Jenensis Theologi, quem plane in contrariam adversus me sententiam produxerat adversæ partis Theologus. Atque eam in rem cumprimis ursi verba ex Tractatu de Conversione Minori, Disp. V. §. XXX. in quo adversus Calvinianos probat, conversionem hominis esse successivam & in omnibus gratiæ Divinæ gradibus resistibilem, idque probat ex ipsa verbo Divino insita efficacia, quæ sese exerat in homine convertendo, *quando voluntati ejus mediante intellectus cognitione rerum spiritualium bonitatem exhibet & Spiritus S. simul cum verbo in ipsius animum influit & novos in ipso motus & actus SPIRITVALES accendit. Et primum quidem cum conversio inchoatur, in mente excitatur sancta quædam de rebus Divinis cogitatio, conjuncta cum voluntatis pio quodam desiderio, vel conatu saltem tendente in illa, ut acquirenda. Tale forte conversionis initium Lydiæ, purpurarum venditrici, Act. XVI. 14. erat apertio cordis, posita vel in desiderio quodam attendendi sermoni Paulino, vel quod verisimilius, in inspirata cogitatione sancta de ipsis fidei mysteriis & desiderio quodam bonorum spiritualium, quo incitata fuit ad diligentius attendendum & discendum, quæ ad salutem per Christum obtinendam creditu essent necessaria.* Ubi & intellectus cognitio & voluntatis piæ desiderium, aliique motus spirituales, in homine adhuc convertendo, necdum regenito, accendi à Spiritu dicuntur. Nec

contrarium ex aliis *Musæi* verbis, ab adversa parte ex Tractatu de Conversione majore allegatis evinci posse, simul ostendi. Sepositi tamen controversiam, quæ *D. Musæo* olim cum *D. Calovio* intercesserat, an cognosci Divina mysteria, præciso assensu, à ratione humana possint? dixique, sufficere ad scopum meum, cum de veritate notitiæ quæritur, intelligi notitiam, assensu affectam.

II. Equidem removere manum ab hac controversiæ inter nos agitatæ parte utique possem, postquam ipsius Academiæ Jenensis primarius hodie Theologus, jam olim arctissimis mihi officii amicitiæque vinculis conjunctus, *D. Michael Fœrtschius*, in partium mearum non suffragationem tantum, sed & contra adversarium defensionem accessit, cujus commentationem in Epicrisin Epistolicam brevi exhibebitur orbi literato. In qua de Musæana hoc in argumento sententia citra dubium fusius commentabitur. Cum verò nullibi majori me acredine, quam hoc ipso in loco tractaverit Theologus, nulloque in Theologo majorem, quam in *D. Musæo* fiduciam collocaverit, nefas esset, vindicias meas, quæ de cætero & toti materiæ non exiguam lucem adfundere possunt, ex mea quoque parte desiderari. Qua in re & adversæ partis filum ordine diligenterque sequar.

III. Igitur I. regerit, *provocasse* nos *ad Theologorum consensum, & tamen me à Musæo, maximi nominis Theologo, in causa pro impiis dissentire.* Admirabilis vere objectio! Annon ipse Theologus provocat ad consensum Theologorum & tamen à maximi nominis Theologo, *D. Calovio*, in causa, an cognosci Divina mysteria è ratione possint, itemque an notitia irregenitorum, ad renascentiam tendentium, sit ex Evangelio, dissentit? Anne *Musæus* ad consensum Theologorum pertinet, *Calovius* rejectaneus est? Deinde captiosa est locutio: *in causa pro impiis.* Quasi impiis patrocinarer in causa mala. Laudo Divinum ineffabile beneficium, etiam flagitiosissimis hominibus ita concessum, ut sit perpetuus intra ipsum cor ipsorum residens concionator, ad pœnitentiam eos, quousque vivunt, vocans; non patrocinium præsto malitiæ.

IV. Regerit II. ad id, quod dixi: etiam illum assensum, quem præbent impii rebus sacris, niti PRIMA VERITATE REVE-

REVELANTE, quod mihi tanquam absurde impiis adscriptum tribuebatur: *an hoc ulla cum veritate potest dici de irregenitis Spiritui S. resistentibus? Obtestamur autem modis charitatis omnibus, velint hic apertis oculis uti lectores atque ipsimet judicare: num ergo requisitum istud competat irregenitis, qui, quod sæpe iteramus, resistunt Spirtui S.* Respondetur: Quæso, Adversarii, suntne vobis aperti oculi? Obtestor vos modis charitatis, omnibus, ut legatis *Musæi* vestri verba, Aph. IX. §. IV. adducta: *nostro judicio rectius statuitur, quod homini jam primum in peccatum aliquod contra conscientiam prolapso,* (est hic citra dubium homo impius) *inhærens* (adeoque in impio non objective, sed subjective, existens) *& cum ea actualis Spiritus S. gratia adhuc adsit,* (quæ si adest gratia in impio, quomodo impius gratiæ resistit?) *ejusque animum pulset & nonnunquam exemplo Petri ad fidem reducat. D. Dannhawerus* ibidem allegatus vocat hanc gratiam, in impio subjective existentem, *lumen SUPERNATURALE.* Quid clarius? Dices: resistunt omnino impii Spiritui S. Respondetur: in hoc perpetuo aut ludit aut fallitur adversæ partis patronus, quod semper crepet, vel sua lingua sæpe iteret vel irregenitorum vel impiorum resistentiam, neque tamen exprimat, in qua re Spiritui Sancto resistant, ut confusione ista incauti fallantur. Pater imperat Filio, ut scribat epistolam, ut eandem obsignet, ut Titio adferat. Duo priora facit filius, tertio resistit, quia metuit Titium sibi infensum. Ergone quia in ultimo restitit, duo priora non fecit? Ergo quia in ultimo restitit, priora facta non sunt, aut non amplius subsistunt? Iterum: magister jubet discipulum, ut memoriæ imprimat dictum Biblicum & oratiunculam, ipsi præscriptam, denique epistolam scribat ad amicum. Priora duo facit, in tertio restitit. Ergo duo priora vel memoriæ non impressit, vel cum tertio restitit, priorum oblitus est, nec memoria eorum amplius adest. Spiritus S. jubet irregenitum verbum audire. Audit. Jubet notitiam ejus per frequens scrutinium haurire. Haurit. Jubet eidem assentiri. Assentitur. Jubet peccata agnoscere. Agnoscit. Jubet in Christum credere & hanc fidem bonis operibus testari. Resistit. Ergo ab hoc momento neque audit verbum, neque ullam ejus amplius notitiam aut assensum habet, neque peccata sua amplius

agnoscit. Quid inconvenientius? Dices: priora illa non sunt amplius vere, Theologice & Spiritualiter talia. Respondetur: Hocne non est verum, non Theologicum, non Spirituale, quod animum irregeniti, notitia nempe & assensus, in ipso irregenito existens pulsat, juxta *Musæum*? Nec enim Spiritus S. immediate pulsat, sed pulsat per notitiam, ad animum & in memoriam revocatam, inque ipso subjective adhuc inexistentem, neque per resistentiam, fidei factam, amissam aut annihilatam. Obtestor & ego adversæ partis defensores modis omnibus, ne amplius incautos fallant confusione resistentiarum, quarum ultima priorum admissionem & retinentiam non tollit, extinguit, aut disperdit.

V. Regerit III. cum dixissem, tantam posse esse per antecedentes conversionem gratiæ gradus notitiam in homine irregenito, quanta est in ipso regenito, immo major nonnunquam in irregenito hoc quam in regenito hoc, exclamat adversæ partis defensor: *testari cogimur, nisi id conceptis verbis legeremus, non potuisse nos adduci, ut crederemus à Theologis Evangelicis foveri tam enormiter ab Evangelio aberrantia.* Respondetur: Et ego testari cogor, vix credere me posse, à Theologo Evangelico ignorari: Agrippam Evangelio, per Prophetas & ab Apostolo Paulo ipsi prædicato, eousque credidisse, ut parum abfuerit, quin adderet etiam fidem justificantem, quæ sola ei adhuc defuit. Beda: *non hæc adulando, sed vere profatur.* Unde notanter *Cyrillus Hierosolymitanus*, Paulum *EX SPIRITU SANCTO tantam habuisse* ait *victricem sapientiæ gratiam*, ut ad admirabilem istam confessionem Agrippam adduceret. Homo vere credens & exactissimam habens rerum sacrarum scientiam, cum seductus adulterium committit, an in momento amittit notitiam tantam, quantam antea regenitus habuit? Audi *Musæum* tuum: *adest adhuc in ipso inhærens, & cum ea ACTUALIS Sancti Spiritus gratia, quæ animum ejus pulsat, & nonnunquam convertit.* Si adhuc in lapso & adeo impio adest gratia inhærens, quam antea habuit, quam laberetur, ergo tantam habet aliquando impius & irregenitus notitiam & assensum, quantam habet pius & regenitus. Dices cum Theologo: *annon hoc ipso tollitur discrimen inter regenitum & irregenitum saltem ratione illuminationis.* Respondetur: nec opus esse,

esse, ut discrimen sit inter regenitum, & irregenitum, ratione illuminationis, formaliter & in se consideratæ. Nam illuminatio plura, juxta ipsam, quam complectitur, metaphoram, & ex usu Scripturæ, ceu accurate probat *Hollazius*, non complectitur, quam notitiam intellectus, sicut lumen solis competit oculis. Aliquando quidem etiam voluntatis affectum connotat, sed non quasi ad ipsam illuminationis formam pertinentem, sed ad ejus finem & effectum. Sicut in vulgari etiam sermone notitiæ vocabulo etiam amorem involvimus. Dices cum Theologo amplius: *tanta est inter notitiam irregeniti & regeniti differentia, quanta inter tenebras & lucem 2. Petr. I. 19.* Respondetur: jam supra demonstratum est, etiam de irregenito, in primis gradibus admissis constituto, dici verissime posse, verbo Prophetico eum attendere, postquam à Spiritu S. hoc in corde ipsius accensum est, ἕως, *donec* (non quidem semper eventum, sed nonnunquam tantum finem, ad quem tendi debeat, denotat, Hebr. I. 13. sed ponatur, eventum denotare) *lucifer & aurora*, quæ non sunt plenus dies, sed primitiæ & præambulum diei, exoriantur, quales primitiæ, dicente *Gerhardo* ad h. l. regenerationis in iis, qui primis gratiæ gradibus locum dederunt, reperiuntur. Ut adeo hic locus contra perfectam irregenitorum notitiam male allegetur, cum non loquatur de perfecto lumine, sed de aurora luminis. Ponatur vero, verba h. l. perfectam illuminationem involvere, ea, in quantum intellectus illuminatio est, etiam ipsa præscindendo à voluntatis motibus, fiducia & ex ea oriente animi pietate, datur in doctore irregenito in summo gradu & in Agrippa. Quicunque credit Prophetis, de persona & officio Christi testantibus, ille habet perfectam notitiam, quæ sufficiat ad fidem salutarem concipiendam & parum abest, quin ex illa & per illam Christianus fiat. Agrippa. Ergo. Dices cum Theologo: *Quid ille notitia vera experitur de justificatione, adoptione, libertate, obsignatione, de Spiritu gratiæ, fidei & precum, de Spiritus fructibus, deque mysteriis regni DEI?* Ego prorsus eundem in modum quæro: Quid ille Jurisconsultus notitia vera experitur, de condemnatione furis ad patibulum, cum ipse suspensus non sit, de adoptione in filios, quorum, nullum unquam adoptavit, neque ipse à quoquam adoptatus est, de libertate ab omni obsequio,

quio magistratui inferiori debito, à quo nunquam exemtus est, de obsignatione gratiæ ob prædium ipsi nunquam donatum, de Spiritu gratiæ Imperatoriæ, in Comitum dignitatem eum non elevantis, de precibus pro rege fundendis, quas nunquam fudit, de mysteriis regiminis patrii, ad quæ nunquam admissus est? Ergo Jurisconsultus non habet sufficientem de his omnibus ex corpore Juris & documentis aliis publicis notitiam? Non quæritur de experientia notitiæ, sed de notitia ipsa, qua notitia est, considerata. Quæ hauriri ex Scriptura, unico notitiæ principio, sufficienter potest, esto, per experientiam spiritualem illa crescat & firmamentum acquirat. Quemadmodum notitia Jurisconsulti per experientiam firmatur & dilatatur. Et quid opus est, ut de irregeniti experientia multa dicamus? Habemus irregenitum in summo gradu perfectum, qui vocatur IMPIUS & quidem in Spiritum S. peccans, qui & veriſſime illuminatus est & experimento gustavit donum supracœleste & particeps factus est Spiritus S. & bonum verbum DEI & virtutes futuri seculi, quasi ore suo, suaviſſime & abundantiſſime gustavit, Hebr. VI. 4. 5. Anne majus experimentum, tantopere jactatum, unquam excogitari potest? Et tamen cum hic labitur & impiiſſimus fit, illa ipsa ei inhærens & experimentalis Sancti Spiritus gratia post ipsum lapsum, *Musæo* nostro teste, adhuc adest & animum ejus pulsat. Quæso te per DEUM, quid requiris amplius? Et si *Musæus* hoc non diceret, ipsa tamen experientia nos fateri, velimus nolimus, & credere non tam convincit, quam cogit, quorum suavitatem vel semel tantum iterumque gustavimus, eorum nos notitiam nunquam amittere, si vel gustum ipsum & olfactum omnem per casum infelicem amittamus. Estne, quod vel adspeciem huic demonstrationi opponi possit?

VI. Regerit IV. *Si satis ponderasſem, quid veritatis revelantis, ut revelantis sit proprium, me revocaturum fuisſe à tam deviis opinionibus. Quæ tamen non ideo fruſtra in Disputatione legantur, siquidem legantur ab aliis bene, ab aliis male, in testimonium omnibus.* Respondetur: Gravis aculeus in animum meum! Nunc jaceo confusus, & ab iis condemnatus, qui dextre mea legunt & qui siniſtre. Et id quidem *Musæi* judicio, quem judicem mihimet ipsi constituerim. Ut pateat, quam me *Musæus* ipse prostituat, verba

verba *Muſæi*, à Theologo allegata, repetam, iisdemque ſtatim interponam adplicationem ad irregenitum meum: prima veritas revelans conſiderari hic aliter nequit, quam ita, *ut Spiritus Sanctus per relatam in Scripturas revelationem, ſuo ſupernaturali concurſu elevatam, intellectum & voluntatem ejus* (irregeniti, in primis gradibus hanc revelationem admittentis) *per ſe immediate* (ſine alio præter Scripturam medio; alias ſibi ipſi contradiceret, quum antea aſſeruerit, DEum hoc facere per relatam in Scripturas revelationem, adeoque non ſimpliciter immediate) *moveat, hanc quidem ad aſſenſum intellectui imperandum*, (Singularis hæc eſt ſententia *Muſæi*, ab aliis non recepta, & merito quidem. Cur enim non poſſit DEus per verbum revelatum lumen infundere intellectui, ut ſine alterius juſſu revelationi aſſentiatur? Et an voluntas tam inſipiens & irrationabilis eſt, ut rem aliquam imperet intellectui, quam illa ex ſe neſcit, utrum bona ſit an mala, cum dignoſcere bonum à malo intellectus ſit, non voluntatis? Vel an revelat hanc bonitatem DEus voluntati immediate, cum mandato intellectui eandem imperandi? Aut denique revelat hanc bonitatem voluntati citra dependentiam ab intellectu? Cur itaque intellectum creavit? Siquidem ille in intelligenda veritate à voluntate dependere debeat. Ergone ideò, quia res revelatæ intellectui ſunt inevidentes? Quaſi vero ideo à voluntate intellectui imperandæ ſint & natura voluntatis immutanda, ut citra ſcientiam bonitatis & veritatis rei intellectui imperet, ut credat, rem eſſe veram! Sed eſto, imperetur à voluntate intellectui) *illum in ſe eliciendum*, (ut irregenitus aſſenſum in ſe eliciat, isque ideo vere in ipſo tanquam in ſubjecto exiſtat) *ita ut conſenſus* (revelationi ab irregenito in primis gradibus adpoſitus) *ultimo in illa* (voluntate) *ſiſtat*. (quippe quæ intellectui primo conſenſum imperaverat) Obteſtor te, Theologe, modis charitatis omnibus, velis hic apertis oculis uti & mihi demonſtrare, quid in eo, quod revelantis veritatis, ut revelantis eſt proprium, deſit irregenito, primos regenituræ gradus admittenti? Deeſt, inquies, aſſenſus, à prima veritate excitatus, veritas Theologica & Spiritualis. Vetus cantilena, ſæpius refutata. Nunc in memoriam revoco *Muſæi* verba, ſupra producta: *ſupereſt in homine, jam pridem in peccatum aliquod contra conſcientiam*

prolapso, INHÆRENS & cum eâ actualis sancti Spiritus gratia. Si supereſt, ergo eſt vera & Spiritualis & Theologica; talis enim ante lapſum fuerat, non naturalis. Fur ſurripuit e domo omnia vaſa argentea. Oeconomus hæc referens, ſupereſt, ait, unicum tantum. Poſſetne quis hoc exaudire de poculo plumbeo vel ligneo?

VII. Regerit V. *Aſſenſum Spiritui Sancto reſiſtentium non eſſe à prima veritate revelante, ut revelante, quia hæc, ut revelans, terminatur non ſeorſim, ſed una ad intellectum & voluntatem, qua illi obicem Spiritui S. ponentes, ſimul intellectum occludunt, quo minus revelationem, ut revelantem, recipiat vel retineat. Ergo illorum aſſenſus vel non eſt, vel non amplius eſt à peculiari operatione Spiritus Sancti.* Reſpondetur: quorſum hæc titubatio? Ergone aliquando fuit in homine irregenito aliquid ex peculiari operatione Spiritus Sancti? Et ſi hoc, anne notitia? Sine quâ ſine Enthuſiaſmo nihil in eo eſſe poteſt? Cur hoc non clare enuncias, ſed tergiverſaris? Premamus autem Diſputatorem conſuetis ſimilibus. Magiſter imperat diſcipulo, ut ſe informante & inſpirante memoriæ mandet oratiunculam, quod intellectus eſt, ut ea honoris cauſa excipiat parentem, aliunde advenientem, quod eſt voluntatis. Diſcipulus informationem admittit & oratiunculam memoriæ imprimit. Venientem patrem ex malitia excipere eadem recuſat. Jam fiat applicatio. Spiritus Sanctus ſuggerit irregenito notitiam DEI, tanquam juſti judicis, niſi pœnitentiam agat. Simulque jubet, ut in Chriſtum credat & peccata deviteat. Illud intellectus eſt, hoc voluntatis. An ideo diſcipulus, quia in voluntate, patrem ſalutandi, præceptori ſeſe oppoſuit, hoc ipſo quoque memoriam intellectus occluſit, nec in eo præceptorem ut præceptorem, veritatem recta revelantem, ut revelantem, audivit, quia præceptoris ſuggeſtio, qua ſuggeſtio, terminabatur non ſeorſim ad memorationem tantum, ſed etiam ad ſalutationem? Veritas prima revelans, qua revelans, tendit ad utrumque, notitiam & aſſenſum, quantum ad intentionem ſuam, ſed non neceſſitando, vel ad unum vel ad alterum. Aliquando nullum obtinet, aliquando unum obtinet, aliquando etiam ulteriora. Inconveniens autem eſſet, dicere, ſi ultimum non attingit, reliqua omnia pereunt. Non pereunt, ſed uſum tantum ſuum fructumque

ctumque amittunt. Non autem perire, ipsa experientia testis est. Cantilena ista, mutari notitiam spiritualem in naturalem, musto recenti magis nova est, neque apud ullum unquam Theologum ante novitatem hanc audita, â nobis quoque refutata supra Cap. IIX. §. VII.

IIX. Regerit VI. p. 59. *De hujusmodi irregenito, non refragante adhuc, quem ipsi contradicentes vocant regenitum ex parte & secundum quid, illa nusquam in dubium vocavit Disputatio nostra; nec de resistentibus negavit, Spiritum S. mediante intellectus cognitione iis exhibere bonitatem rerum spiritualium & simul cum verbo in ipsorum animos influere & novos in ipsis motus & actus spirituales accendere, sed postquam obstinati in repugnando facti sunt, supernaturalem & veram iis notitiam esse tribuendam, hoc pernegat Musæus & nos cum ipso.* Respondetur: Juraveris Theologum nostram amplecti sententiam. Quid enim aliud nos propugnamus, quid aliud ipse alibi oppugnat, quam motus Spiritus Sancti in irregenito, quotiescunque & quamdiu iis non resistitur, quales sunt auditus verbi, scrutinium, notitia, desiderium, amor, assensus, & hic quidem in Judæo convertendo quoad omnes fidei articulos, ex Scriptura ad convictionem usque ipsius animo impressus, esse actus SPIRITVALES, adeoque veros & supernaturales? Et hos actus omnes perire quoad usum & fructum, si ultimo, nempe fidei, resistatur? Quomodo itaque alibi propugnare potest, notitiam & reliqua omnia ante completam conversionem non esse vera, non esse spiritualia, nec supernaturalia? Nonnunquam omnia videtur nobis largiri, & tamen hæresin nobis PESTILENTISSIMAM IMPROPERARE. Si vero de solis iis quæratur, qui obstinati in repugnando facti sunt, utrum & illis motus notitiæ veri & spirituales adscribendi sint, quod negare ait *Musæum*, (qui tamen diserte ait, *actualem Spiritus Sancti gratiam iisdem INHÆRERE & PVLSARE*) tum hæc ipsi denuo argumenta, vinculis Syllogisticis adstricta, objecto. Si Spiritus S. non minus amat impios quam Christus, tunc non minus juxta officium suum etiam impiissimos per notitiam & assensum, ipsis subjective insitum, movet, impellit, dirigit ad acceptandam gratiam, quam Christus juxta officium suum etiam pro impiissimis mortuus est & meritum suum præstitit.

Atqui verum est prius. Ergo. Porro: Si Spiritus S. non aliter movere, dirigere & impellere ad acceptandam fidem justificantem & pietatem potest, quam per veram verbi notitiam & assensum, tum consequitur, etiam impiissimos per eandem notitiam & assensum, eundemque vel in impiis adhuc reliquum, vel noviter introductum, movere, dirigere & impellere. Atqui verum est prius. Ergo. Iterum: Si Spiritus S. omnes omnino homines, etiam totaliter induratos, per notitiam ipsis ex antea facta implantatione adhuc insitam, revocat ad gratiæ justificantis acceptationem, tum etiam plusquam impiissimos per eandem notitiam vocat. Atqui verum est prius. Ergo. Denuo: Si Spiritus S. etiam impiissimos per notitiam & assensum, ipsis adhuc insitum, ad gratiam justificantem vocat, movet, dirigit, impellit, tum notitia illa & assensus est verus & vere Spiritualis. Atqui verum est prius. Ergo. Rursus: quicquid est unicum medium causale, fidem & pietatem efficiendi, id est verum & Spirituale. Notitia & Assensus. Ergo. Major probatur, quia gratia ad justificandum deducens non potest uti mediis naturalibus sine dica Pelagianismi. Minor probatur ex ipsis hoc ipso in loco Theologi verbis: *Spiritum S. mediante intellectus cognitione* (MEDIANTE, inquit, seu per medium cognitionis) *in irregenitos influere & spirituales in iis motus accendere.* Iterum: Si cognitio, scrutinium, amor, desiderium, assensus, non sunt media causalia generandi fiduciam & conversionem, homo non MEDIATE, sed immediate, IMMEDIATIONE causæ ex parte hominis, convertitur. Atqui falsum est posterius. Ergo. Denique: Si DEus Pater, ex officio providentiæ suæ universalis, omnibus hominibus, bonis malisque, beneficia sua naturalia eum in finem, ut DEO gratias agant, eumque colant, Rom. I. 21. elargitur, & solem suum oriri facit æque super malos, ac super bonos, Matth. V. 45. eum in finem, ut ipsum quærant, Act. XVII. 27. & tam mali quam boni hac etiam luce subjective fruuntur, consequitur, & Spiritum Sanctum ex officio sanctificationis suæ bonis malisque lucem notitiæ, non naturalis, sed spiritualis & supernaturalis non impertire tantum, sed ab iisdem magis minusque subjective acceptarit. Atqui verum est prius. Ergo.

IX.

IX. Regerit VII. concedendo in irregenitis ante resistentiam esse aliquem gustum lætitiæ. *Quod quidem gaudium, quamdiu concipitur, notitia non est Diabolica. Quando autem post eum gustum nihilominus verbo resistitur, notitia eo magis fit Diabolica. Jac. III. 15.* Respondetur: nondum candide aperire mentem suam & pronunciare audet, an gaudium istud sit verum & vere spirituale? De quo tamen unice quæstio est. Vel utrum notitia, ex qua istud gaudium exoritur, sit vera & vere spiritualis? Quod sine dubio negat, adeoque omnis concessio prorsus frustranea est. Non enim inter nos quæstio est, utrum aliqua notitia rerum sacrarum detur in irregenito, sed an vera? Notitia enim non vera est monstrum & spectrum notitiæ. Sicut homo & tamen homo non verus, est spectrum hominis. Quando autem ampliori notitiæ resistitur, non ipsa notitia prior, qua notitia est, fit Diabolica, quippe quæ, quamdiu in impio manet, juxta ea, quæ §. antecedente dicta sunt, manet notitia Spiritu S. plena, & ideo ad ipsum impium perpetuo, si etiam sit finaliter induratus, convertendum efficax, adeoque vera, vereque Spiritualis; alias Spiritu S. plena non esset. Posterior autem notitia, cui resistitur, quo minus in fiduciam prodeat, non est Diabolica, qua notitia, sed qua abusus notitiæ eidem adhæret, dum homo eam non dirigit, quo ex instituto DEI dirigenda esset, nempe ad fidem & pietatem. Quemadmodum gladius, magistratui juxta Apostolum commissus, in se instrumentum exequendæ justitiæ verum, Divinum, efficacissimum perpetuo est, etiam cum impio magistratu jubente innocentem occidit. Si tamen innocentem occidat, vocatur ob hunc abusum, non propter efficaciam secandi, aut ob inditam ei à DEO indolem, quam nunquam amittit, *arma latrocinantia*, Gen. XLIX. 5.

X. Regerit denique, manere indubitatum, *Musæum* in eo secum consentire, quod neget veritatem notitiæ in irregenitis. Respondetur: quo pacto sensuque hoc docuerit *Musæus*, non nunc disquiro; ego vero *Musæum* Theologo justissime opposui, quippe qui eidem & in ipsis verbis & in verborum sententia contradicit. Verba *Musæi* sunt: *Spiritus S. simul cum verbo in irregeniti animum influit & novos in ipso motus & actus* (quos postea *vires* vocat) *spirituales accendit.* Verba è con-

tra Theologi sunt: *notitia irregeniti non ita vera est, ut à Spiritu S. habeat originem, nec modo hausta sit ex verbo DEI, sed eidem etiam conformis esse perhibeatur.* Quæ potest evidentior esse contradictio? Potestne aliquid ascensum esse à Spiritu S. quod ab eodem originem non habeat? Potestne incendi à Sempronio domus, ut incendium à Sempronio originem non habeat? Potestne aliquis motus & actus esse spiritualis & à Spiritu S. accensus, qui non sit verus, qui non sit haustus ex verbo DEI, qui verbo DEI non sit conformis?

CAP. X.

In quo de Gradibus Illuminationis denuo agitur.

I.

DEmonstraveram occasione cujusdam Programmatis, à Theologo quodam parti adversæ addicto in publicum editi, in quæ inconvenientia doctrina illa nova, de inseparabili conjunctione illuminationis intellectus & conversionis voluntatis, defensores ejus conjiciat. Eorum vero minimam quandam partem, transmissis silentio cæteris, Theologus, quamquam effugiis fere sibi consuetis, diluere conatur. Nos præmissa brevi, quibus armis adversus programma pugnaverimus, enarratione, quid ad singula pars adversa excipiat, ex Disputatione ipsius repetemus, quam labili singula fundamento nitantur, pro more nostro clarissime demonstraturi.

II. Itaque illuminationem intellectus non habere sibi inseparabili nexu conjunctam voluntatis conversionem probaveram ex ipsa graduali indole & natura illuminationis, cum lumen notitiæ rerum sacrarum nobis non uno momento infundatur, sed pedetentim & per gradus; quo ipso fieri non possit, quin illuminatio primum sit tenuis & imperfecta, mox perfectior, quo major nempe vel in credendis vel in faciendis notitia acquiratur, donec perfectissima pro cujuslibet statu notitia succedat, quæ completæ regenerationis, nisi

homo

homo huic repugnet, fundamentum existere possit. Videbantur hæc sole clariora esse, ad quæ tamen excipit pars adversa I. *id non sequi, quia irregenitus, dum tertio gradui, admissis prioribus oblectatur, priorum graduum lumen extinguit, meipso ita docente.* Contradictionem itaque potius esse, resisti tertio luminis gradui & in secundo tamen adhuc illuminatum esse. Respondetur: quicunque candelam per totam noctem conclave illuminaturam, postquam per duas pluresque horas conclave illuminavit, extinguit, illene hoc ipso efficit, ne & conclave per duas pluresve horas fuerit illuminatum? Titius Sempronium informavit & lumen veræ notitiæ in X. prioribus fidei Augustanæ articulis, ut eorum veritatem sufficienter intelligere, ejus intellectui, intulit, cum ad undecimum reliquosque deveniendum esset, seductus ab aliis informationem ampliorem renuit: ergo eoipso omne antecedens notitiæ lumen extinxit, ut è vestigio priorum omnium oblivisceretur. Quis vero non videat vel exempli similitudinem vel consequentiæ absurditatem? Dices: meipsum hoc asserere: *quando lumen in primo secundoque gratiæ gradu animo illatum est, antequam fides exoriri possit, expelli lumen & extingui posse.* Respondeo: expelli & extingui potest, non ut antea partialiter non illuminaverit intellectum, sed ne posthac amplius illuminet. Præterea concedo & hoc, lumen in prioribus gradibus illatum, i. e. notitiam antecedentem posse, non quidem subito, tamen pedetentim, (plane ut apud eum, qui notitiam sibi decem priorum A. C. articulorum comparaverat) per oblivionem & negligentiam, accedente justo DEI judicio, contemptum ulterioris luminis acceptandi ulciscente, expelli & extingui. POSSE; ita enim locutus sum. Sed non sequitur: potest extingui, ergo etiam non potest manere. Experientia enim testatur, pulcerrimam & excellentissimam rerum sacrarum cognitionem sæpe manere apud irregenitum, etiam manentem irregenitum, usque ad ultimum vitæ suæ. Μορμολύκειον illud, aliter se habere notitiam rerum naturalium, aliter spiritualium & notitiam spiritualem converti ob resistentiam sequentem in naturalem, me non terret, quia novi, esse meram imaginationem, notitiam cum effectu suo, à DEO quidem mandato, sed ideo notitiæ essentiæ non innexo, confundentem.

III. De-

III. Deinde argumentatus eram: si utraque illuminatio, in primis & ultimis gradibus solida & perfecta esset, non successive & per gradus perficeretur. Excipit; *idem posse dici, si utraque vera esset.* Respondetur: Agricola terram arat, sulcos facit, semen injicit, rastro complanat. Restat fructuum usus, quem negligit & in ipsis spicis perire sinit. Omnes hæ actiones & operationes agri sunt verissimæ & tamen successivæ. Si una illarum actionum solida esset & perfecta in ordine ad effectum, ut semen ex terra exsurgat & crescat, non esset successiva. Ergo non solide & perfecte, id est, vere aravit? Ergo non perfecte fecit sulcos? Ergo non perfecte rastro complanavit. Non sunt nativæ vocum significationes pro lubitu nostro, tantum εἰς τὸ φυλάττειν τὴν θέσιν, immutandæ & pervertendæ. Et tamen solidæ & perfectæ non fuerant illæ actiones ratione finis ultimi, qui est fructificatio & in horreum asportatio.

IV. Pariter hunc in modum collegeram: quicquid est à Spiritu S. effectum, id est verum. Notitia in irregenitis. Ergo. Excipit: *Quæ hæc argumentatio? A veritate qualitatis ad veritatem actus, seu completæ operationis, consequentia an procedit? Actio quidem hominis est vere humana, sed non statim vera in genere actionum, donec operatio compleatur, & veritatem præstet debitam. Operatio Spiritus Sancti quævis in se vere Divina; interim ipsa hæc nondum est actio illa vera, quam intendit, dum in officio alieno Spiritus Sanctus detinetur, neque ad illud, quod actionis propositæ proprium vere est, progredi potest. Nam ex officio Spiritus Sancti proprio, si hoc non impediatur, emergit demum vera illuminatio, vera penes hominem cognitio; quæ ipsa tum ut completa, ita & solida existit.* Respondetur I. Si notitia rerum sacrarum in primo secundoque & tertio gratiæ gradu acquisita est vera, quoad veritatem qualitatis, notitiæ ratione suæ indolis & essentiæ competentis, tum verissime & quoad ipsam essentiæ suæ qualitatem vera est & verissime vera. Sicut aratio agri verissime vera est ratione qualitatis arandi, etsi non accedat veritas actus ultimi, quin metendo consistit. Quid hoc aliud est, quam propria Theologi confessio, notitiam irregeniti esse veram, quoad qualitatem notitiæ Divinam, Theologicam, Supernaturalem, Spiritualem? Quamquam juxta partem adversam nondum sit vera, (rectius perfecta & completa) ratio-

ratione actus & effectus ultimi. Nec enim nos quicquam aliud propugnamus. II. Quæcunque gradus notitia ex intentione Spiritus Sancti, ordine & gradualiter agentis, in illo gradu non debuit vera esse quoad ultimum omnium graduum effectum, illa deficiente ultimo effectu male negatur vera esse. Atqui notitia per primos gradus acquisita. Ergo. Porro: Quæcunque notitia ex intentione Spiritus Sancti nondum debuit conjunctum habere ultimum regenerationis actum, illa sine hoc vera est. Atqui notitia primorum graduum. Ergo. Iterum: quæcunque gradus notitia omne id habet, quod gradus ille ex intentione Spiritus Sancti habere debebat, illa est pro gradu illo vera & perfecta notitia. Atqui notitia primorum graduum. Ergo. III. Si nulla actio vera est, nisi fuerit ratione totius effectus completa, vera non fuerit necesse est sex dierum creatio, antequam *compleret DEus die septimo omnia opera sua.* Gen. II. 2. Atqui falsum est posterius. Ergo. Igiturne juxta Theologum septimo die demum facta creatio vera est, quia *vera est facta, quam intendit?* quæ sunt ejus verba. Quæso loquamur cum toto genere humano, neque immutemus receptas ab omnibus vocum quotidianarum significationes. Non defuit creationi primi diei quicquam, quod illa ex intentione DEI habere debebat. Si vel hilum habuisset magis, creationis monstrum potius, quam vera creatio fuisset. Si notitia primi & secundi gradus vel gratiæ micam habuisset magis, quam ex intentione Spiritus Sancti habere debebat, monstrum verius quam vera notitia fuisset. Annon enim monstrum in naturâ est, cum aliquid in generatione hominis fit præter naturæ intentionem? Quidni idem fiat in DEI operationibus? IV. Non possum ulla conjectura assequi, cur dicatur Spiritus Sanctus *in officio alieno* versari, aut detineri, quando primos notitiæ & assensus in homine motus producit. Quicquid pertinet ad ipsam internam indolem regenerationis, conversionis, sanctificationis, ad illud intra constitutum à DEO ordinem, per successivos actus exequendum, id ad officium Spiritus S. præ cæteris personis Divinis proprium, non alienum, pertinet. Atqui excitatio primorum motuum. Ergo. Item: quicquid est essentialis pars officii sanctificatorii, in eo cum versatur Spiritus S. non versatur in officio alie-

no. Atqui excitatio primorum motuum. Ergo. DEus quidem videtur opus à se & natura sua alienum facere, cum hominem punit, quia nostro concipiendi modo hoc illubenter facit, tanquam à summo ejus in hominem amore alienum, ad quod tamen adigitur per peccatum, non sua, sed hominis culpa, ipso invito, perpetratum. Sed quo ullo modo hoc ad actiones sanctificationis graduales applicari potest? An illubenter id facit, quod per gradus à seipso ex prudenti consilio constitutos, facit? An illubenter facit, quod vult facere, neque aliter vult facere? Qui decrevit, hominem nonnisi per gradus, in se quidem, & qua à Spiritu S. proveniunt, ratione graduum perfectos, ratione tamen ultimi effectus imperfectos, ad conversionem devenire? Qui præcepit, ad conclave superius nonnisi per scalas ascendi, an is illubenter videt, quando, qui ascendit, unum gradum post alterum ascendit? Ergo & alienum officium facit Spiritus Sanctus, quando ipsosmet regenitos non uno momento ad perfectionem, qualis aliquando in gloria futura est, sed per gradus, ratione gloriæ imperfectos, elevat? Ergo & DEus Pater in alieno officio per integrum sextiduum versatus est, cum mundum septimo demum die perfecit. Ergo agricola alieno in officio occupatur, quando non statim metere potest, sed arare primum, mox seminare, denique rastro semina contegere debet. Denique si nulla illuminatio vera est, nisi completa, nulla quoque vera erit conclavis illuminatio, nisi plenis radiis sol illud illustret, nec ulla eruditio vera erit, nisi doctrinas omnes in summo fastigio fueris complexus, nullus verus labor, nisi quem ad colophonem deduxeris.

V. Cum adversa pars dixisset; duo ista esse inseparabilia, ut cujus intellectus verè illuminatur, ejus etiam voluntas necessario in bonum flectatur, regessi, id si verum sit, falsum fore illud: *scio meliora proboque, deteriora sequor.* Ad hoc excipit: *Nimis alienum est, huc trahi ethnicum illud: scio meliora, proboque. Quod gentilis de suo statu dixit, non autem eodem modo intelligi debet de statu regenitorum, qui vere illuminati fuerint. Fatemur, posse illud etiam valere adhuc de statu sub lege, ante completam illuminationem. At de statu gratiæ, qui illuminationem verè dictam supponit, non aliter affirmari id potest, quam per modum tentationis & infirmitatis, quæ illuminationem afficit quidem, non vero tollit.* Respondendum, verè

verè laborandum & sudandum esse, ut Theologum vel qualitercunque intelligas. Si nimis alienum est, huc trahi Ethnicum dictum: *video meliora proboque, deteriora sequor;* ergo nimis alienum fuerit, Poëtæ gentilis dictum: *ipsius genus sumus*, à Paulo trahi ad argumentum Christianum. Quinimo ut ille hoc ipso *sanctificat profana*, ut ait *Origenes*, eaque *facit Ecclesiastica*, ut ait *Hieronymus*: ita cur Apostolum nec mihi imitari hanc ipsam ob causam licuerit? Jam in Theologia non minus verum est ac in Natura: meliora cognosci & approbari, pejora agi & designari. Id nisi sit, non darentur peccata contra scientiam & conscientiam. Et quis rectiorem veri bonique habet non scientiam tantum, sed scientiam verè Divinam, Supernaturalem, Theologicam, Apostolicam, Spiritualem, ex completa regeneratione haustam, quam tamen παραπτωσιν non sequitur sed deteriora, quam peccans in Spiritum Sanctum? Responde, Theologe, rogo per DEum, responde vel unum verbum. Si vero respondere non poteris, agnosce ex Christiano animo, non esse alienum, huc trahi ethnicum illud: *video meliora, proboque, deteriora sequor.* De cætero effugium illud: in Philosophia verum esse, veritatem à bonitate separari posse, non in Theologia, merito μορμολύκειον perpetuo voco, quousque immoto argumento probatum fuerit, rationem diversam esse. Quod demonstrari non posse, supra idoneis argumentis comprobatum est. Nempe agit nobiscum DEus non Fanatico more per raptus violentos, sed plane humano & quotidiano more. Informat instar vulgaris alicujus magistri & per notitiam ex institutione haustam ad virtutis exercitium adducit. Ad quod quia naturalia subsidia non sufficiunt, addit vim & efficaciam supernaturalem, ut quod humanis viribus deest, suppleant Divinæ: ita tamen, ut informationem tum intellectus tum voluntatis, vel quoad totum vel quoad partem, declinare aut repellere possimus. Non ovum ovo est similius, quam informatio scholastica ad bonos mores, ac informatio Spiritus Sancti ad fidem & pietatem, quamquam ex diverso principio utraque succedat, illa ex naturali, hæc ex supernaturali. Aut detur ulla diversitas. Si dixeris, ab informatione morali separari posse virtutem, adeoque notitiam posse esse nudam, eamque veram, sine praxi notitiæ,

cum res aliter se habeat in Divinis; tum dico, quidni pariter distingui possit inter veritatem qualitatis & veritatem actionis completæ, dicendo, notitiam naturalem & moralem quoad qualitatem quidem veram esse, non autem quoad actionis complementum, quod consistat in glorificatione DEI & exercitio virtutum. *Si enim*, repeto verba Theologi, qui DEum naturali notitia cognoverunt, *DEum verè cognovissent, modis omnibus hanc notitiam admovissent ad virtutem & recepissent ad effectum præstandum.* Non potest quicquam adferri pro inseparabilitate illuminationis Theologicæ à sanctificatione, quod eadem vi, eodemque robore adferri non possit pro inseparabilitate informationis & notitiæ moralis à serio virtutum exercitio, dummodo emplastrum illud & medicamentum universale, omnes sanans in hac materia morbos, distinctio nempe inter veritatem qualitatis & actus completi, adhibeatur. Neque objici potest, veritatem revelatam niti fortiori vinculo efficaciæ, quippe Divinam prorsus, omnesque naturæ vires superantem, quam notitiam naturalem. Nam etiam Ephesii conversi erant tali tantaque virtute, qualis fuerat, cum Christus ex mortuis resuscitatus est, Eph. I. 19. 20. qua major esse non poterat, & tamen eidem potuissent resistere, si voluissent. Immo & hoc addo, ex eodem principio & hoc sequi, connexam esse essentialiter & indivulso nexu cum omnibus functionibus & laboribus humanis, quotquot unquam excogitari possunt, veram & spiritualem animi pietatem, non minori jure & vinculo, quam ea connexa est cum notitia rerum moralium & spiritualium. Probo. Cur connexa est pietas cum notitia Theologica? Respondetur, quia ut illa connexa essent, DEus irrefragabiliter per revelationem voluit & mandavit. Cur vera notitia, immo verus labor, veraque negotiorum humanorum functio non potest esse sine pietate? Respondetur eodem prorsus modo, quia ut illa connexa essent, DEus irrefragabiliter partim per instinctus naturales, Rom. I. 21. II. 14. 15. partim per seriam revelationem voluit. Col. III. 17. Cur vero verus labor, veraque functio esse non potest sine vera animi pietate? Respondetur, quia licet vera esse possit functio in qualitate functionis, ex naturali rerum statu judicando, vera tamen non est Theologice, Scriptu-

rarie,

rarie, Apostolice, quoad actum completæ operationis, à DEO intentæ & severissimo mandato præceptæ. Nec enim laborare Christiano licet, nisi ultimo dirigat laborem suum in DEI triunius gloriam. Ad hæc responderi peto, sed clare & perspicue, ut intelligi à me possit. Id enim nisi fiat, responsio vera quidem responsio erit ratione qualitatis, non tamen ratione actus completi, quo ego ædificari & à pestilentissima mihi objecta hæresi revocari debebam, quod fieri non potest, nisi perspicue loquatur. Postremo quod de statu legis subjicitur, ne à millesimo quidem intelligetur. Quia tamen infra ex instituto ea de re agit, inque novo hoc invento quasi arcem causæ suæ ponit, suo loco abunde respondebitur.

VI. Dixeram, si verum sit, omnem vere illuminatum in bonum flecti, ceu affirmaverat Theologus, neminem contra propriam scientiam & conscientiam peccare posse. Excipit: *verum est, neminem contra propriam scientiam voluntarie peccaturum, quoad & quamdiu vere illuminatus manet. 1. Joh. III. 6. 9.* Respondetur cum dicitur: ὁ ἁμαρτάνων οὐκ ἑώρακεν αὐτὸν, notitia figurata, i. e. emphatica seu composita intelligitur; quo pacto consuetum est Johanni, vocem usurpare, ceu demonstravi in Disputatione ad 1. Joh. II. 4. Et quidem hoc loco ita sumi evidenter ex eo probatur, quod quemadmodum dicitur: *qui peccat, non agnovit Christum,* ita non minus dicatur: *qui peccat, non vidit Christum.* Ubi videns non potest de visione proprie dicta intelligi. Nam & Judas ἑώρακε τὸν χριστὸν & tamen peccavit. Necessum itaque est, ut visio hic intelligatur non proprie dicta, id est, vera, (nam visio improprie dicta non est visio vera, sed figurata & in similitudine tantum ita dicta) sed figurate seu cum ἐμπλοκῇ ita dicta, nempe visio cum amore copulata. Ita Judas non vidit Christum, alias non peccasset, quamdiu illum ita vidisset. Vidit tamen interea Christum, & vere proprieque vidit, & tamen peccavit, dum vidit. Ita prorsus & de altera hic voce dicendum. Qui peccat, non cognovit ipsum, ipsum amando, atque adeo à peccato sibi cavendo. Cognoscere tamen vere Christum, proprie non figurate loquendo, utique potest, qui peccat & dum peccat. Quam inconvenienter igitur locus Johanneus de inseparabilitate illuminationis seu veræ notitiæ & regenera-

tionis allegetur, ultro patet. Præterea nemini in mentem venire poterat, Programmatis auctorem, cum diceret: inseparabilia sunt, ut qui sunt illuminati, eorum voluntas non necessario in bonum flectatur, intelligere illuminationem compositam. Et si hanc intellexisset, tamen falsum hoc esset, cum directe contradiceret Paulus Hebr. VI. 4. Quod si hoc intelligas de illuminatione, qua & quamdiu homo illuminatus est, partim nihil ineptius hac reduplicatione est, cum juxta eam nemo ægrotus convalescere possit, quamdiu ægrotus est, nemo, qui habet duos annos, ad tertium pervenire, quamdiu duorum annorum est, nemo, qui tacet, loqui potest, quamdiu tacet; partim etiam sub illa ipsa reduplicatione falsa est propositio. Nam sciens, se bona facere, eo ipso tamen momento, quo scit, mala facere potest. Unde & cadit, quod apud Theologum sequitur, voluntatem illuminati necessario in bonum flecti, sub hypothesi, si illuminatus maneat. Nam peccans in Spiritu Sancto eo ipso tempore, quando illuminatus est, in Spiritum Sanctum peccare potest. Et eo ipso tempore, quo aliquis illuminatus, etiam perfecte, est, in terram cadere potest & lædere pedem. Ut nempe, qui à sole justitiæ perfecte illuminatus est, cadere in peccatum & lædere suam salutem.

VII. Objeceram inseparabili illuminationis & sanctificationis connexioni servum, voluntatem Domini sui scientem, nec tamen facientem, Luc. XII. 47. Regerit, non quamlibet scientiam esse illuminationem. Servum istum fuisse sub lege & legem cognovisse, sicut & gentes τὰ τῦ νόμυ faciant. Rom. II. 14. Saltem servum illum vere illuminatum non mansisse. Nam *ubi sanctificatio per repugnantiam morosam exterminata sit, illuminationem ibi veram non esse, vel non manere.* Respondetur: Ecce in quantas angustias redigitur pars adversa! I. Si vera est illuminatio, saltem non manet, ergo conceditur, vere illuminatum esse, posse saltem ad tempus, qui tamen non sit sanctificatus, quamquam non maneat illuminatus. Quomodo igitur inseparabiliter connexa sunt illuminatio & sanctificatio? II. Peccans in Spiritu Sancto illuminatus est & illuminatus manet eo ipso tempore, dum peccat. Nam παραπίπτει φωτισθεὶς. Nec micam quidem illuminationis amittit, sed tantum sanctificationem & quæ sanctifica-

cationem consequuntur, gustum verbi Divini & futuri seculi. Manet in eo omnis illa scientia post lapsum, quæ ei inerat ante lapsum. Illa admirabilis & antiquioribus Theologis inaudita metamorphosis notitiæ supernaturalis in naturalem μορμολύκειον est, prætereaque nihil. III. Si lumen in figura nihil aliud est, quam notitia intellectus, tum ultro consequitur, illuminationem nihil aliud esse, quam notitiam, intellectui impressam, adeoque omnem scientiam ab homine acquisitam esse illuminationem. IV. Bona, servo nequam concredita, non erant aliud talentum, quam quale frugi servis commissum fuerat. Hoc autem erat Evangelicum, quo animam suam & aliorum lucrari debebant. Quod non fit per legem, sed per Evangelium. Quid igitur opus est, legem huc advocare, quæ Christo ne quidem in mentem tum venerat? Quæ vero lucrari per novum hoc de lege κρησφύγετον, antea in hoc argumento pariter nunquam auditum, sibi videtur pars adversa, infra suo loco discutientur. V. Si gentes, quæ τὰ τῦ νόμυ, à se, adeoque partialiter, cognita, faciebant, tamen τὰ τῦ νόμυ in tantum vere faciebant, ut ea, quæ faciebant, ad glorificationem DEI eos ducere, possent & quia ductui cognitæ partialis legis non obsequebantur, eos olim coram judicio extremo inexcusabiles redderent: tum & irregeniti, qui τὰ τῦ ἐυαγγελίυ, à se, quamquam partialiter, cognita, e.g. verbo Divino esse assensum præbendum, in eodem quotidie crescendum, sanctas cogitationes juxta *D. Musæum* & pium desiderium fovenda esse, faciebant, tum τὰ τῦ ἐυαγγελίυ, non obstante hac partialitate in tantum vere faciebant, vere assentiebantur, vere fovebant sanctas cogitationes, ab Evangelio suggestas, ut eos coram jiudcio Divino, si has sanctas cogitationes non persequerentur, neque ad perfectam sanctificationem deducerent, inexcusabiles redderent.

IIX. Objeceram Theologo *D. Dannhawerum*, disertis verbis docentem, *supereſſe in lapsis lumen SUPERNATURALE, quo revocentur ad gratiam*, adeoque confiteri ipsum, separabilem esse sanctificationem ab illuminatione. Ad hoc priusquam respondeat pars adversa, conqueritur p. 69. de verbis meis *plenis convitiorum & infestorum affectuum, quibus Theologo-*

logorum oculi pervertantur, & tamen illico in me conjicit verba convitiorum & infestorum affectuum plena, dicens: *me instantiis minimè adæquatis, distortis ac præposteris interpretationibus, fallaciisque violentis diripere quæque planissima.* Quam infesti hi sunt affectus, hæc convitia? Si instantiæ, a me ipsi oppositæ, non sunt adæquatæ, in causa est ipse Theologus, quia ita laxe locutus est, ut adæquatus sensus nec ex verbis nec ex contextu deprehendi posset. Nihil à disputandi methodo alienius est, quam conqueri de instantiis, cum instantiæ non alium in finem adducantur, quam ut quæ generalius dicta sunt, explicentur & constringantur & adeo sensus, ut Theologus loquitur, adæquatus prodeat, quem opponens, qui instantiam attulit, de suo cerebro confingere non potest, neque debet. Utinam vero responsiones ad instantias non essent distortæ, præposteræ, fallaciisque violentis pleniſſimæ! Cujus rei exemplum è vestigio sequetur.

IX. Quare ad *D. Dannhaweri* auctoritatem excipit: per lapsos illum intelligere posse lapsu præoccupatos, ex Gal. VI. 1. qui sint, ut pateat omnibus, regeniti, non irregeniti & impii. Deinde per lumen intelligi posse, lumen, quod actu primo per verbum insit lapsis, non autem actu secundo, quale ad regenerationem requiratur. Per illud lumen, actu primo tale, denuo initium gradatim capere actualem illuminationem, jamque rursus accendi, quando non amplius resistunt. Respondetur: Quam vero hæc interpretatio verborum Dannhawerianorum est *distorta & præpostera, fallaciisque violentis plenissima!* Nam I. ne quidem ulli hominum in mentem venire poterat, lapsum involuntarium *à Dannhawero* intelligi. Aliud enim est προλαμβάνεσθαι ἐν τινι παραπτώματι, aliud est πίπτεσθαι. Et agit ille adeo manifeste de *gratia revocante* post peccatum mortale, quale fuerat Davidis adulterium & homicidium, aliorumque grandia, quæ nominetenus recensèt, peccata, ut oculis propemodum careat, id qui haud cernere velit. Hos lapsos ait revocari per lumen, quod supereſt in ipsis. Ut revera in suspicionem adducar, ea de re, quippe solari luce magis conspicua, intra sese partis adversæ animum fuisse convictum, & tamen, ne causa cadere videretur, ad hæc effugia vere distorta fuisse delapsum. Exploret conscientiam

suam

ſuam videatque, ne in propriam confuſionem ad ea dilabatur effugia, quorum nuditatem & qui ære nondum lavantur, videant & deprehendant. Inprimis cum iisdem artibus, ceu jam ſupra vidimus & *D. Muſæum*, idem prorſus cum *Dannhawero* dicentem, ab ejus veritatis profeſſione avocare fuerit anniſus. Cumque his diebus inciderim in *Caſp. Heuniſchii* Theſaurum Diſputatorium, deprehendi hanc ipſam eundem ſententiam, non tanquam ſuam privatam, ſed Theologorum communem recenſere, cujus ideo verba, omnia ſimul adverſæ partis ſubterfugia excludentia, ex loco IX. de Lib. Arb. p. 396. integra adponam. Diſtinguit inter converſionem primam & iteratam. Hanc eſſe ait, *quando homo, qui aliquando renatus & in ſtatu gratiæ fuit, per peccatum MORTALE ex illo excidit, rurſusque filius iræ factus eſt, ſed denuo convertitur vel converti debet; hic eum aliquid cooperari poſſe non negamus, licet non ex viribus naturalibus, ſed ex Divina gratia conceſſis. Etiamſi enim talis homo amiſit fidem & gratiam juſtificantem, non tamen ſtatim amiſit omnem notitiam & intellectum, immo & aſſenſum myſteriorum Divinorum, atque adeo SVPERNATVRALES LIBERI ARBITRII vires HABET ALIQVAS SVPERNATVRALES IN SPIRITVALIBVS, ad converſionem facientes, per quas aliquid ad eam cooperari poteſt.* Allegatque eam in rem *D. Leonh. Hutterum.* Jam II. ineſſe & actu ſecundo non ineſſe eſt non ineſſe. Quodcunque lumen in lapſis nihil aliud eſt, quam ipſa notitia & recte dicente *Heuniſchio* plerumque etiam aſſenſus, in iis reliquus, illud lumen ſubjective & actu non primo, ſed ſecundo inhæret lapſis. Atqui. Ergo. Porro: Quodcunque lumen notitiæ & aſſenſus pungit, excitat, movet lapſos, ut peccata vere quidem, ſed non ſufficienter, agnoſcant, ut invitationem quidem Chriſti ad gratiam peccatis largiendam in memoriam ſibi revocent, quamquam non actu ipſo apprehendant, ut virtutum Chriſtianarum pulchritudinem & æquitatem, iis ſtudendi, agnoſcant & ſtimulum intra ſeſe ſentiant easdem ſectandi, quamquam eundem non in effectum deducant, illi per hos actus non tantum actu primo, ſed & actu ſecundo revocantur, ſeu in iis lumen non tantum actus primi, ſed & ſecundi veriſſime ſupereſt. Atqui. Ergo. III. Neque putandum eſt, lumen hoc in lapſis ſemper adeò tenue eſſe, ut vix luminis nomine dignum cenſeri queat, ut ſibi forte perſuaſerint

adversæ sententiæ defensores. Ut DEus in impertiendo lumine per gradus procedit & pro sua voluntate uni majus alteri minus lumen impertit: ita quoque in ipsis irregenitis & impiis vel majus vel minus lumen subjective reperitur, aut in lapsis supereſt. Ponatur doctor Theologus longo tempore regenitus atque pius. Seductus cadat in grande peccatum & delinitus peccati suavitate in eodem per aliquot dies, immò septimanas perseveret. Tandem evigilet. Proh DEum, quantum in hoc doctore lumen supereſt, ad veram pœnitentiam ipsum sollicitans! Habet notitiam omnium eorum, quæ ad surgendum e lapsu necessaria sunt, quibus alii lapsi in eo gradu destituuntur. Et hæc notitia non est naturalis, quia tendit tanquam causa vel medium, & quidem admodum actuosum, movendo, monendo, pungendo, mordendo, excitando, ad reproducendam fidem. Quod sine Pelagianismo non potest esse naturale. Neque etiam dici potest, media hæc producendi fidem, notitiam, assensum, sanctam cogitationem, pium desiderium, (quæ in tali doctore Theologo non sunt tenuia, sed fortissima & valide ipsum concutientia) esse tantum media non causalia, removentia prohibens, ut Philosophi loquuntur. Sic enim nullum medium causale ipsam excitationem fidei præcederet, sed illa immediate à DEO excitaretur. Quo quid absurdius? Sunt igitur cogitationes illæ in Theologo lapso & inde orta recordatio iræ Divinæ, simulque gratiæ, veræ causæ, veræ revocationes, ut *Dannhawerus* loquitur, ad gratiam, quamquam conversio actualis non ita statim sequatur, sed ob atrocitatem peccati lucta sæpe diuturna intercedat, antequam redire ad firmam fiduciam possit. Immotum igitur est, manere in homine lapso lumen, seu illuminationem, in uno majorem, in altero minorem, quæ tanquam vera ex instituto Divino causa ad conversionem sollicitet & nonnunquam revera ducat. Denique IV. vix ulteriorem observationem meretur perpetuus ille Disputantis lusus in resistendi termino commissus. Quamquam enim homo lapsus resistat conversioni, media tamen conversionis non ideo repellit, sed effectum tantum eorundem sufflaminat & tollit.

X. Plane eadem ratio *D. Musæi* est, eademque verborum ipsius distorsio. Pulsavit cor Theologi *Musæi* sui effatum, ut

quo

quo se reciperet, nec verba inveniret, nec effugia. Summa dictorum huc redit, grandem esse differentiam inter moderatissimam *Musæi* sententiam & inter crassam illam, quæ a nobis defendatur. *Musæum* de JAM PRIMVM lapso loqui, nos de iis, qui in peccatis gravissimis longo tempore perseverent. *Musæum* pulsum tantum, nos notitiam & assensum largissimum iis attribuere. *Musæum* concedere tandem (debebat vero Theologus hoc: TANDEM etiam majusculis literis scribere) habitualem etiam gratiam amitti, nos vero id inficiari. Porro si totalis lapsus intelligendus sit, tamen non durantem designari. Et PVLSVM ad ostium non esse notitiam veram, qualis ad statum & actum illuminationis requiratur. Aliud esse præsentiam gratiæ illuminantis, aliud ipsam illuminationem. Exemplum denique Petri allegando, potuisse cum *Balduino* lapsum ex infirmitate à *Musæo* intelligi. Ita se misere volvit revolvitque pars adversa, neque tamen invenit pes ipsius, in quo conquiesçat. Singulis his momentis syllogismos insolubiles brevitatis causa opponemus. I. Quicunque in hominibus in peccata voluntaria prolapsis supereſſe in ipsa impietate cum *Musæo* statuunt interiorem animi pulsum, cum actuali & inhærente Spiritus Sancti gratia conjunctum, & præterea fatentur, gratiam habitualem, TANDEM, (non statim, sed) TANDEM plane per hominis malitiam & πώρωσιν extingui POSSE, (non necessario actu extingui) illi cum Musæo in omnibus exacte conveniunt. Nos. Ergo. *Musæi* verba sunt: *Unde nostro quidem judicio rectius statuitur, quod homini jamprimum in peccatum aliquod contra conscientiam prolapso inhærens & cum ea actualis Sancti Spiritus gratia adsit, ejusque animum pulset & NONNVNQVAM, ut Petri exemplo patet, eo perducat, ut agnitis peccatis per seriam pœnitentiam à lapsu resurgat & per fidem in Christum remissionem peccatorum quærat & inveniat.* - - - - - *Quod si vero quis nulla pœnitentia ductus in proposito peccandi perstitat, & gratiæ ac Spiritui S. reluctari pergat, nobis certum est, quod TANDEM & interior habitualis gratia effective expellatur & simul homo subtracta ei etiam concurrente actuali gratia à Spiritu S. prorsus deseratur.* Quæ omnia cum utraque manu largiamur, quid est, in quo à *Musæo* dissentiamus? II. Qui ab inhærente gratia juxta *Musæum* eousque sæpe pulsatur, ut agnitis peccatis

tis resurgat & peccatorum veniam consequatur, is non leviter, sed validissime & tumultuosissime pulsatur, quassatur & concutitur. Homo enim in peccatis voluntariis & contra conscientiam existens non potest per leves pulsus, sed per concussiones validas ex somno peccatorum excitari. Atque homo impius & lapsus. Ergo. Hunc pulsum vocat *Musæus* eodem in loco *sollicitationem*, dum ait, Petrum non diu post abnegationem Christi *à nemine monitum sed, ut videtur, AB INTERIORI GRATIA sollicitatum seriam egisse pœnitentiam.* Ut creditor fallacis debitoris ædes primum pulsat, serio, fortiter, valide, (quia debitor aures occludit) deinde sollicitat debiti solutionem, urget, postulat, minatur, verbis, edictis, comminationibus, promissionibus: ita & interior gratia pulsans in homine lapso. Hicne pulsus levidensis est? Ita Davidem post grande peccatum commissum *pulsavit* ipsum cor suum, i. e. gratia habitualis, intra ipsum etiam post lapsum perseverans & subjective eidem inexistens; in Hebræo: נגף, *percussit*, importuni lictoris instar, der an das Hauß anklopffet, als wann er unsinnig wäre und das Hauß stürmen wolte. In memoriam nempe ei grande delictum homicidii & adulterii magna cum importunitate & immensam DEI gratiam cum jucundissimo ejus sensu revocans. 2. Sam. XXIV. 10. Hicne leviculus & frigidus erat pulsus? Ita publicanus procul in templo stans, à nemine monitus, solo interioris Spiritus motu impulsus, *pulsabat pectus*, ἔτυπτεν εἰς τὸ στῆθος αὐτῦ, verberavit, percussit, daß der Puff in die Weite gehöret worden. Neque alius pulsus ad statum & actum illuminationis ejus requirebatur. Ecce quousque pulsus impiorum, ipsis inhærens, juxta mentem *Musæi*, Scripturæ conformem, penetrare possit! III. Quicunque pulsus per ipsam rei naturam non potuit in ulla re alia, quam in notitia rerum spiritualium & eorundem in animo amplexu consistere, & quidem in utroque eo majore, quo pectus pulsandum majori malitia & pertinacia circumseptum est, ille quoque tantam notitiam tantumque assensum requirit, qui animum ad fiduciam immotam commovere possit. Atqui pulsus, à *Musæo* intellectus. Ergo. Nec enim pulsat DEus tractu immediato, nec PVLSAT COR magica quadam actione, ut cor ipsum nesciat, unde pulsus oriatur; sed memoria

ria notitiæ post lapsum reliquæ pulsat. IV. Quicunque pulsus juxta *Musæum* eousque nonnunquam durat, ut post reluctationem (non statim, sed) TANDEM habitualis gratia expellatur, ille nonnunquam post diu continuatam impietatem diutissime DURAT, neque statim in JAM PRIMUM lapso amittitur. Atqui pulsus *Musæanus*. Ergo. Item quicunque pulsus eousque nonnunquam durat, ut homo juxta *Musæum* pœnitentiam agat & credat, ille pulsus notitiam & assensum largissimum & tantum supponit, quantus ad id, ut credere homo & immotam fiduciam in Christum ponere possit, necessarius est & sine eo fiducia locum habere non possit. Atqui pulsus *Musæanus*. Ergo. V. Quicunque pulsus, ab inhærente gratia per notitiam & assensum effectus, hominem lapsum ad pœnitentiam & fidem juxta *Musæum* adducit, ille pulsus hoc facit per notitiam veram, spiritualem & supernaturalem, qualis ad statum & actum regenerationis requiritur. Quia per pulsum & notitiam naturalem sine Pelagianismo fides & conversio acquiri non potest. Atqui pulsus *Musæanus*. Ergo. Iterum: quicunque pulsus fit per notitiam HABITUALEM, is fit per notitiam longe verissimam. Quod inprimis Theologus adversus me in priore Disputatione contendit. Sed hic pulsus. Ergo. VI. Quicunque pulsus fidem efficit & conversionem, is non præsentiam tantum gratiæ illuminantis, sed illuminationem etiam ipsam, quippe sine qua conversio effici non potest, supponit. Atqui pulsus *Musæanus*. Ergo. Ecce tot syllogismi, duri certe nodi & cunei, solvendi parti adversæ sunt, antequam clavus nobis *Musæanus* eripiatur. Denique VII. quod de lapsu ex infirmitate carnis, Petri juxta *Balduinum* exemplo, à *Musæo* allegato, inspergit pars adversa, id *animi tantum causa*, ceu mihi in priore Disputatione oggerebat ipse, factum esse dubitandum non est. Nam nec in *Musæo* ullum ejus rei indicium occurrit, nec ignorabat *Musæus*, qua gravitate & verborum rigore *perversum* hunc quorundam erga Petrum *favorem* Augustinus jam olim perstrinxerit, quæ & in Hodosophia sua repetiit *Dannhawerus*. Quæ postremo Dissentiens ex *Brochmando* mihi opponit, qui scribat: *Christum quidem juxta Joh. I. 9. illuminare velle omnes homines, sed tamen*

non omnes illuminari, id, quo pacto nobis adversum sit, ne perspicaciſſimus quidem viderit. Christus vere intendit & vult omnes illuminare. Christus vere plurimos perfecte actu ipso illuminat. Christus vere quosdam in uno gradu, qui secundum non admittunt, illuminat. Christus vere quosdam in pluribus gradibus, qui omnes non admittunt, illuminat. Christus vere illuminando ad ipsum quasi conversionis & regenerationis ortium adducit, ut parum absit, quin regenerentur, qui tamen hac vera, vereque magna illuminatione non convertuntur. Hæc omnia nos asserimus & hæc omnia cum verbis *Brochmandi* perfectiſſime consistere possunt. Cui igitur fini *Brochmandus* nobis opponitur?

XI. Allegaveram quoque ex ipso *Musæo* quædam *Chemnitii* verba, tanquam in assertione residuarum in lapsis virium ipsi pariter & *Dannhawero* consentientia. Excipit pars adversa: *agere Chemnitium de renatis expresse, qui rapiantur aliquando per tentationes vehementiores vel ad consensum, vel ad operationem aliquam pravam, qui tamen vera pœnitentia doleant statim & fide remissionem petant. Quid hæc ad quæstionem de impiis lapsis, pertinaciter Spiritui Sancto resistentibus?* Non diffiteor, verba *Chemnitii* quodammodo ambigua esse, quæ tamen si de impio lapso non agerent, *Musæum* potius suum quam me inculpare deberet, qui in impio suo lapso *Chemnitium*, tanquam sibi suffragantem, mihi suppeditaverat. Interea tamen & hoc certum est, si de renatis verba accipiantur, dura admodum esse & impropria, ut eorum solent esse, qui nondum maturis sufficienterque dilucidatis controversiis scripserunt. An enim fieri potest, ut INCENDIA PRAVORUM AFFECTUUM (quantæ hæ sunt pravarum concupiscentiarum ebullitiones & despumationes!) sua VEHEMENTIA captivos rapiant pios & renatos ad consensum, vel etiam ad operationem pravam? Anne peccata actualia & voluntaria significantius possunt describi? Anne pius quis & renatus manere & tamen voluntaria peccata committere potest? Et id tamen ita, ut Spiritus Sanctus contristetur quidem, non tamen excutiatur? An vero tentatio est, ut Theologus loquitur, *rapi*, ut fluctus fluctum in mari rapit, *incendiis*, igne furibundo, omnia vastante, *affectuum*, & ut augea-

augeatur malitia, *vehementia hos sua captivos rapere* renatos? Quæso ne faciamus ex peccatis regnantibus peccata infirmitatis. Nec pulvinar subdamus affectuum dominio. Et quidem *ad consensum.* Quid rogo te, est peccatum voluntarium, quam quod fit cum consensu voluntatis? Hæc admodum dura sunt, quæ *Musæum* citra dubium commoverunt, ut crediderit, *Chemnitium* loqui de peccato mortali, per quod Spiritus Sanctus sua gratia non ita penitus excutiatur, quin maneant igniculi, quibus ad pœnitentiam & fidem possit reduci.

XII. Concludit tandem Theologus, ex his omnibus patere, illuminationem à sanctificatione omnino esse inseparabilem, *ut adeo cujus intellectus à Spiritu S. incipiat revocari ad gratiam, ejus etiam voluntas necessario in bonum flectatur & sanctificetur EATENUS.* Nonnunquam tam absona, tam à religione nostra omnium consensu aliena proferuntur, ut nulla humana sapientia, quo sensu intelligenda sint, vel conjectari possit. Si cujus intellectum Spiritus Sanctus vel incipit revocare ad gratiam, ejus etiam voluntas NECESSARIO flectitur in bonum, falsum erit Christi: *multi vocati, pauci electi.* Si cujus intellectus inceptus est revocari ad gratiam, ejus etiam voluntas necessario in bonum flectitur, tum falsum est illud, quod cum Christus Patris sui jussu Judæos ad regnum cœlorum vocasset, hunc DEI Filium occiderint. Si cujus intellectus inceptus est revocari ad gratiam, ejus etiam voluntas necessario in bonum flectitur, tum omnis gratia vocans & revocans est necessitans, adeoque irresistibilis. Ut ne concipi ullo humano artificio potest, quomodo, cujus intellectus vel inceptus tantum est revocari ad gratiam, ejus voluntas è vestigio flectatur in bonum, cujus contrarium totius mundi experientia testatur, ita nec penetrari potest, quomodo talis vel vocatus vel revocatus necessario sanctificetur. Difficultatem sine omni dubio tollere debet notabilis illa vox: EATENUS. De qua vero ab alio subtilitatis magistro, quid insinuet, edoceri cupio. Non enim diffiteor, id me, etiam quantalibet adhibita ingenii diligentia & scrutinio, penetrare nulla ratione potuisse.

CAP. XI.

CAP. XI.

Quod conclusionem dictorum in se continet.

I.

CConclusioni breviter à me factæ subjunxeram, quæ opponi mihi poterat, objectionem, quod notitia in prioribus gradibus ab irregenitis acquisita, sæpe ne intentionem quidem in se habeat, eandem ad conversionem dirigendi. Quomodo itaque à Spiritu S. esse possit? Respondi inter alia, si non ex hominis intentione sit ad conversionem directa, ex DEI saltem intentione hunc finem sibi perpetuo habere conjunctum. Esse enim notitiam illam objective ipsum verbum DEI, intra animum irregeniti subjective receptum, à quo intentio conversionis minus separabilis sit, quam ex opinione adversæ partis à regeneratione possit divelli sanctificatio. Ex quo sequatur, notitiam etiam impii in se perpetuo esse efficacissimam ad eundem convertendum, quamquam vel nihil sentiat in sese, ob malitiam ac resistentiam, effectus, vel nonnunquam tantum ejus nonnullos sentiat pulsus. Non aliter ac medicamentum, in corpus assumptum, perpetuam efficaciam habeat, valetudinem restituendi, quamquam nonnunquam ob impedimentum vel nullos habeat effectus, vel nonnunquam commotiones tantum quasdam, ut tamen perpetuo maneat verum medicamentum, non tantum philosophice, verum etiam medice, nec verum tantum sit ratione medici, sed etiam ratione ægroti. Ad hæc post consueta μορμολύκεια illud inprimis de resistentia posterioribus conversionis gradibus opposita, quæ priores gradus omnes mortificet & deglutiat, excipit p. 79. *Ad rationem, quod tamen ex DEI saltem intentione ad illorum conversionem dirigatur, regerimus, non istam sufficere. Nam notitia pœnitentium est à Spiritu S. quia lumen ipsius spirituale recipiunt atque intentionis DEI efficacitati præbent locum, ut effectus Spiritus S. incipere possit. Quod quum impediant impœnitentes, intentio DEI impeditur*

peditur simul, nec efficere potest, ut notitia sit proxime à Sp. S. cujus gratiam & lucem actu secundo non admittit.

II. Ostendam vero sola horum verborum repetitione, quæ priore intuitu, ut omnia Theologi, perquam obscura cuilibet legenti esse videbuntur, non minus illa ad hominem, ut vocat, impœnitentem, quam irregenitum quemlibet applicari posse. *Notitia* impiorum & impœnitentium *est à Sp. S. quia lumen ipsius spirituale*, inhærens nimirum & actualis Spiritus Sancti gratia, quæ juxta *Musæum* post lapsum eis inest, neque alia in re quam in rerum sacrarum notitia consistere potest, non tam *recipiunt*, quam olim receptum retinent, *atque intentionis DEI*, in notitia illa residentis, *efficacitati* eousque *locum relinquunt, ut effectus Spiritus Sancti*, qui sunt latentes in notitia motus & tractus ad pœnitentiam, per subinde repetitam concussionem pectoris ob peccata, per reminiscentiam quietæ ante lapsum conscientiæ, per nonnunquam emissa suspiria, quod ob nimis jucundum sodalitium à peccatis desistere nequeant, per recordationem Divinæ misericordiæ, si sese convertant & suavitatis vitæ æternæ ex conversione sperandæ, aliaque id genus, *hoc modo INCIPERE POSSINT. Cum vero* progressum & effectum pœnitentiæ, quem modo dictis motibus addere debeant, *impediant impœnitentes, intentio DEI* hactenus *impeditur*, quod non sequitur pœnitentia, sed hoc ideo *efficere* non *potest*, quin ipsa notitia, ejusque ad animum revocatio *sit proximè à Sp. S. cujus gratiam & lucem actu secundo* in omnibus illis, quæ paulo ante nominavi, admittit, quamquam id, quod ad motus illos sequi debebat, nempe pœnitentiam & conversionem, *non admittat.* Atqui ita ex ipsis adversæ partis principiis ostensum clarissime est, in impium non minus, quam in irregenitum, cadere lumen Spiritualis notitiæ, ad conversionem eosdem, non ab extra, sed ex ipso interno cordis eorum penetrali, efficaciter invitantis. Per quæ simul ad omnia ea respondetur, quæ fuse quidem, sed frustraneo labore in illo §. adferuntur. Quod vel ex sequentis paragraphi conclusione, quam paraphrasi mea illustrabo, enitescet. *Quid*, inquit, *quod Scriptura sit à DEO directa eo, ut credamus? An hinc probatur, supernaturalem esse notitiam impiorum, qui non credunt ita, ut oblatam gratiam Divini Spiritus amplectantur?* Respondetur: Scriptura quidem eo directa

est, ut credamus, sed fidem ideo non uno momento in nobis vult accendere, sed per plures actus, tanquam per gradus quosdam, qui media esse ex intentione & instituto Divino debent, fidem successive & causaliter producendi, quorum alia apprehendi, alia repelli possunt. Quæcunque apprehenduntur, æquè sunt à Sp. S. ac fides ipsa. Et ineptum esset dicere, fidem esse à Sp. S. & media fidei, hanc efficientia, qualis est timorosa recordatio notitiæ, ante lapsum sibi insitæ & post lapsum juxta *Musæum* reliquæ, una cum cæteris omnibus, antea recensitis, esse à natura. Filiam esse Christianam, matrem vero, quæ filiam qua Christianam generavit, gentilem. Itaque notitia impiorum, qui non credunt ita, ut oblatam gratiam Spiritus Sancti per ultimatam fidem apprehendant, gradum tamen aliquem notitiæ, ad fidem ducentis, nempe notitiam gratiæ inhærentis, post lapsum reliquam, compunctionem, bonam cogitationem, timorem justitiæ, quamquam in progressu iterum repressa, apprehendunt, qui sine Pelagianismi nota non potest non esse à Spiritu Sancto. Sed pergat Theologus: *Notitia rerum sacrarum, sitne materialiter Scriptura, hac quæstione jam non litem augebimus, quum ignotum esse nequeat, quantæ ambiguitati sit obnoxium argumentum de materiali.* Nempe hæc nux durior est, quam ut adversæ partis dentibus possit frangi. Quare fingit hic lites & ambiguitates, de quibus nunquam unquam auditum est, neque audiri potuit, dum non tantum contra rationem, sed etiam contra sensum communem ageret, qui negaret, materiam seu objectum notitiæ rerum sacrarum esse res revelatas, quæ materialiter cum Scriptura unum sunt idemque. Res autem in Scriptura revelatæ, ubicunque sunt, spiritu gravidæ sunt. Immo sunt Spiritus & vita. Adeoque qui vel auditum tantum præbet Scripturæ, auditum præbeat Spiritui S. licet hoc non credat; quemadmodum qui loquitur cum Rege, Regem audit, quamquam nesciat esse Regem. Qui vero porro intelligit ea, quæ in Scriptura contenta sunt, intelligit ea, quæ sunt Spiritus, etiamsi hoc ignoret; perinde ut qui Regem loquentem intelligit. Qui vero assentitur Scripturæ, non potest assentiri, nisi agnoscat loquentem per Scripturam DEum, quia res supra rationem sunt positæ; quemadmodum qui cum Rege loquitur,

quem

quem putet esse communis sortis hominem, si aliquod Regium promittat, non assentitur aut credit, nisi sciat esse Regem. Ecce hæc omnia evidenter ex notitiæ materia profluunt & quidem sine omni ambiguitate, quæ litis causâ fingitur, ut cum Theologo loquar. Pergit vero ille: *Certe notitia, quæ effectus gratiæ prævenientis & præparantis apud convertendos fuit, naturæ effectus redditur, quando iidem gratiam malitiose excutiunt.* Rex significat Titio, viro nobili, se ei prædium opulentum donare velle. Titius audit probeque intelligit verbum Regium. Renuit tamen donum. Ergo notitia promissionis Regiæ ex tempore recusationis facta est notitia rustica, quippe effectu promissionis Regiæ destituta. Quomodo notitia impii naturæ effectus reddetur, cum sit post lapsum inhærens & cum ea adhuc superstes Spiritus Sancti gratia, juxta *Musæum*? Cum non minus ac antea ad pœnitentiam fidemque moveat exstimuletque? Potestne hoc res naturalis facere? Præterea illud inventum, quod notitia Spiritualis accedente resistentia degeneret in naturalem, Ovidianis metamorphosibus jure meritoque accensetur, quousque S. Literarum auctoritate non fuerit comprobatum. In iis enim, quæ rationem omnem transcendunt, evidenti S. Literarum auctoritate opus est. Pergit vero: *Esto Scriptura penes ejusmodi contumacem. Esto apprehensus ex ea sensus & ex sensu apprehenso quædam notitia; hæc enim notitia non est notitia Spiritus, nec sensus seu mens Christi, quoniam homo intra se Christum & spiritum, ut causam efficientem, repudians, spiritu mundi notitiam DEI & Divinorum, qua spiritualem, extinguit, 1. Cor. II. 12. 16. & ita impedit, quo minus Scriptura scopum, ad quem utique à DEO dirigitur, possit consequi.* De impio impœnitente loquitur Theologus, nec in animum sibi revocat, hæc omnia & in irregenitum, non impœnitentem convenire. An enim irregenitus in primis gradibus intra se Christum & Spiritum, ut causam efficientem recipit? An idem juxta allegatum Pauli dictum Spiritum habet ex DEO, ut sciat, quid ei datum sit à DEO? Anne sensum Christi habet? Vix credo, concessurum hoc irregenito esse Disputatorem. Si vero de irregenitis dici non possunt, qui tamen juxta ipsum spiritualia quædam dona habent, quomodo per hæc efficiet, nulla spiritualia dona impiis convenire in oppositione ad ir-

regenitos? Præterea si impii apprehensus ex Scriptura sensus ideo veræ notitiæ nomine indignus est, quia Spiritu mundi notitiam DEI spiritualem extinguit & ita impedit, quo minus Scriptura scopum, ad quem utique à DEO dirigitur, possit consequi; tum, ut jam supra monitum est, notitia colendi Christiano more agri, cum à timore DEI & precibus ad impietatem deflectit, non amplius vera notitia est, sed deflectit in notitiam falsam & dæmoniacam, veræ nomine notitiæ indignam, quia Spiritu mundi notitiam colendi agri Christianam extinguit & ita impedit, quo minus Scriptura scopum, ad quem utique à DEO dirigitur, qui hic est, ut cultura illa cum precibus fiat & per id veram solidamque benedictionem progeneret, possit consequi. Si hoc, quod ominor, utique concesserit pars adversa, fateatur tandem, doctrinam se defendere, in Ecclesia hactenus nostra inauditam; aut equidem desinat conqueri, nos indigno modo confundere res Ethnicas & naturales cum spiritualibus, cum cultura agri accedente modo eundem colendi, in revelatione præscripto, æque fiat spiritualis, ac charitatis exercitium, quod nec gentiles intermittunt, Matth. V. 46. fit Christianum, quando in fide & animo vere Christiano exercetur. Gal. V. 22.

III. Cum pleraque, quæ in hoc aphorismo nobis objicit, in superioribus non semel tantum, sed nonnunquam multoties, discussa fuerint, frustra fuerit, easdem res toties repeti. Quæ tamen extantiora videntur, non omnino prætermittenda sunt. Conqueritur de eo, quod dixerim, juxta adversarii sententiam Spiritui S. nihil esse cum irregenitis negotii. Docere se potius, irregenitum posse admittere aliquos Spiritus Sancti motus. Non diffiteor, Oedipo multoties opus esset, qui mentem mihi Theologi exponeret. Si aliquid est Spiritui S. cum irregenito negotii, cur itaque omni vi, omni negotio suo, non dicam, nihil veri efficit, sed quamdiu irregeniti sunt, nihil veri efficere potest? Cur inanem insumit operam? Vere enim inanis opera est, quæ nihil veri efficere se posse novit, & tamen ut efficiat adlaborat. Si irregenitus non constanter resistit Spiritui S. cur admittendo Spiritus S. operationes nihil veri efficitur? Et quid omni operatione Spiritus S. in irregenito, quæ sæpe per plurimos annos durat, tandem

tandem efficitur? Quis effectus in irregenito relinquitur? Cum, ut ait p. 78. Theologus, ideo *notitiam*, (est autem eadem ratio omnium reliquorum motuum, cum nullus sine notitia, ne quidem exsurgere, nedum existere possit) *non esse à Spiritu S.* (ergo nihil plane est à Spiritu S. cum notitia initium sit omnium motuum) *quia illorum morosa repugnantia* (intelligit ultimam illam repugnantiam, qua fiducia in Christum repellitur, quæ omnes antecedentes admissiones annihilat) *secludit à cognoscendi actu efficaciam Spiritus S.* (intelligit efficaciam in actum & effectum deductam) *sine qua notitia, si quam habent, non est à Spiritu S. quippe carens actuali ejus lumine* (actuali luminis effectu, regeneratione, quæ sola ipsis est lumen, omnia antecedentia tenebræ) *gratia & indole, tendente* (in effectu) *ad ejus conversionem.* Ne cogitando quidem penetrari potest, quid per gratiæ gradus efficiatur, cum gratia nulla sit ante ultimum gratiæ effectum.

IV. Dixeram sub finem, fieri posse, ut quis in peccatum mortale incidens, notitiam non tantum reliquorum credendorum, sed etiam immotam de Divinitate Scripturæ sacræ persuasione retineat. Qui vero contendant, eo casu hanc persuasionem non esse Divinam, sed humanam, ridendos esse. Irascitur pars adversa, convitiumque vocat. Sed non est convitium veritatem dicere, & immensam DEI gratiam & misericordiam prædicare, quod non subtrahat lapsis in pecata fidem seu assensum, Divinitati verbi Divini adpositum, sine quo ne uni quidem fidei articulo, nedum omnibus assentiri possunt. Si amittunt persuasionem de Divinitate Scripturæ Divinam, eaque fit per lapsum humana tantum persuasio, quomodo credere possunt lapsi, DEum velle ipsis lapsum suum condonare & in gratiam ipsos propter Christum recipere? Possuntne hunc in modum colligere: ego humana opinione persuasus sum, DEUM mihi lapso propter Christum propitium fore: ergo fiduciam immotam & vere Divinam in meritum Christi ponam, ut hujus gratiæ fiam partipes? An non potius si fiduciam in rem ab omni ratione longissime remotam ponere cupio, principio inniti debeo, non humano & naturali, sed Divino & rationem omnem captivanti? Res sole clarior est, antequam homo fiduciam in Christum ponat, assentiri promissionibus, rationem omnem supergredientibus,

Divina fide debere, nisi fiduciam in re tanti momenti, labili fundamento velit inædificare, Luc. VI. 48. Excipit Theologus: *ex verbo DEI constat, quod homo in peccatum proæreticum prolapsus non amplius in se manentem habeat vitam æternam; & quod idem eoipso, cum ita peccavit, DEUM per fidem nec viderit, nec cognoverit. 1. Joh. III. 6.* Quæ sequela est: homo peccans non habet amplius in se vitam æternam: ergo non amplius in se habet media ad vitam æternam, denuo recuperandam? Quæ inter præcipuum est fides Divinitatis Scripturæ, quæ fundamentum est fiduciæ, per quam iterato acquirere possum vitam æternam. Id nisi habeat, periit omnis fiduciæ spes. Præterea, si quis proæretice peccavit, DEUM per fidem antea nec vidit nec cognovit, tum nemo vere fidelis & gratia & fide excidere potest. Quod quam alienum sit à fide Ecclesiæ nostræ, ultro patet. Excipit amplius: *Annon hoc est fidem Divinitatis Scripturæ amittere? Amittit enim Spiritus S testimonium, ex quo habebatur assensus specialis, 1. Joh. V. 6.* Annon utrumque hoc est, principium petere? Spiritus est, qui testatur tum regenito, tum irregenito, quod Spiritus sit veritas. Quemadmodum juxta ipsum disputantem tam in irregenito, quam in regenito excitat motus. Irregenitus, antequam fiduciam in Christum ponere possit, specialem assensum omnibus singulisque fidei articulis adponere necessario debet. Alioquin frustra catechumeni tum olim tum hodie à fidelium cœtu eousque excluderentur, donec & notitiam & adsensum eorum ad Ecclesiam afferrent. Excipit ulterius: *generalis assensus Scripturæ ab irregenito retineri potest, ast depravatus persuasione humana, nec talis, quo spiritualia vere cognoscantur.* Respondeo, etiam specialis singulorum articulorum, usque ad ipsum fiduciæ articulum, ceu paulo ante probatum. Deinde si quicquid depravatum est persuasione humana, id verum amplius non est, tum quicquid depravatum est concupiscentia prava, id bonum non est. Pietas Pauli. Ergo. Depravatur aliquid vel quoad ipsam rei essentiam, vel quoad ejus accidentia. Si apud irregenitos intervenit in assensu aliquid humani, per id Divina persuasio ipsa non aboletur. Denique si spiritualia quoad verum eorum sensum in omnibus, quæ revelata sunt, cognosci possunt, tum cognosci possunt eo modo, quo spiritualia vere cognoscun-

ſcuntur. Atqui ab irregenito. Ergo. Cum præterea ſecundum cognita per regenerationis fiduciam & ſanctificationis pietatem recte vivitur, id non pertinet ad eſſentiam cognitionis, ſed ad finem & effectum. Excipit porro: *Quid aſſenſui in ſtatu peccati aſſignabunt, quod non eo in ſtatu perſuaſionibus intime corrumpatur humanis?* Quid vitæ Chriſtianæ in ſtatu pietatis aſſignabunt, quod non in eo ſtatu concupiſcentiis intime corrumpatur carnalibus? Ut & Paulus exclamet: *miſer homo, carnalis ſum, venundatus ſub peccatum.* Denique excipit: *Si quid Divini ſubeſt, redditur humanum & naturale, non in ſe, ſed in modo aſſentiendi, quo gratia reprimitur.* Si quid pii ſubeſt in vita Pauli Chriſtiana, redditur id Adamiticum & carnale, non quidem in ſe, ſed in modo pietatem exercendi, quo Spiritus pietatis reprimitur. Fruſtra fueris, ſi exceperis, in Paulo carnalitatem repreſſiſſe fidem, omnia vincentem. Verum hoc eſt, ſed in irregenito naturam corruptam repreſſiſſe & viciſſe obſequium, ſeu apprehenſionem gratiæ, in primis gradibus oblatæ, pariter verum eſt. Ut enim ad juſtificationem & ſalutem fidem tanquam medium requiſivit DEUS & fiduciam in meritum Chriſti poſitam, quæ deinde, ubi adfuerit, vitam progeneret, tantis beneficiis dignam: ita ad notitiam & aſſenſum, in ſuis gradibus producendum nihil aliud requiſivit quam merum verbi auditum, meditationem & acceptationem, quibus præſentibus, tanquam mediis efficiendi fidem, perinde pro illo ſtatu hominis contentus eſt DEUS, ac contentus deinde eſt fide, tanquam medio perficiendi converſionem & ſalutem. Si homo velit converſionis, juſtificationis & ſalutis particeps fieri, non alio hoc medio fieri vult, quam fide, ſine quo impoſſibile eſt, ei placere. Si vero vult, ut homo fidem conſequatur, non poteſt fidem ad id requirere; id enim eſſet idem per idem impetrare; neque etiam fidem immediate vult infundere; ſed ſolum id vult, ut audiamus verbum, Rom. X. 17. exque eo DEUM & res Divinas cognoſcamus, Joh. XVII. 3. denique ut cognitis aſſenſum præbeamus, Actor. XXVI. 27: Hæc ſi faciamus, impoſſibile eſt, id DEO ob abſentiam fiduciæ diſplicere, cum in his gradibus fiduciam non requiſiverit, ſed ad fiduciam hos gradus demum tendere voluerit, eousque hunc in finem mandaverit. Dices: ſi tamen fiducia non ſequa-

quatur, hos actus omnes DEUM detestari. Respondetur, actus ipsi DEO non displicent, sed in his actibus id DEO displicet, quod non ulterius ad fidem fuerint directi, sed malitiose abrupti.

V. Postremo inquit: *per hoc, quod habitus veræ illuminationis in impiis negatur, non simul negatur, quod nova illuminandi gratia offerri possit. Datur enim gratia denuo præveniens & pulsans, quæ cum inhabitante seu vere illuminante confundi non debet.* Respondetur I. at notitia in impio post lapsum juxta *Musæum* superstes, nihil aliud est, quam ipsa illa gratia præveniens & pulsans, ceu supra probavimus. Si alia pariter præveniens & efficacius pulsans, utpote per Ecclesiæ ministrum, accedit, priorem non tollit. Cur enim non possint alicujus fores vel bis vel ter vel sæpius pulsari & tamen vel aperiri vel non aperiri? Et quid facit insita & remanens post peccatum mortale notitia aliter, quam id, quod facit notitia forinsecus accedens? Qui itaque fieri potest, ut hæc dicatur gratia Spiritus Sancti præveniens, illa negetur esse præveniens gratia, cum utriusque eadem sit operatio? Quam vero inconvenientia hæc sunt? Dices: gratia illa in impio juxta nos est inhabitans, quippe intra impium existens, præveniens ad extra accedit. At etiam præveniens gratia, ad extra accedens, ab irregenito per notitiam recipitur ad intra & tamen manet præveniens & ab intra pulsans. Annon notitia, quæ remanet post peccatum mortale in impio eadem illa præveniens gratia est, quæ olim ab extra adveniens, per notitiam intra irregenitum resedit & postea in impio post lapsum permansit eadem? Quicquid primo pulsat hominem ad pœnitentiam & fidem, id est gratia præveniens. Notitia in impio reliqua. Ergo. II. Inhabitans gratia præstiori sensu dicitur, qua Spiritus S. hominem regenitum gratia justificante & sanctificante, ut templum proprium inhabitat, 2. Cor. VI. 16. & opponitur gratiæ ad extra assistenti & pulsanti, Apoc. III. 20. Nihil tamen impedit, quo minus & in irregenitis esse & quasi eosdem inhabitare dicatur ea gratia, quam in ipsis subjective deposuit, notitia, amore, desiderio, assensu; quippe quæ nunquam sunt sine Spiritu S. Non aliter ac verum corpus verusque sanguis Christi, pretiosiora quam ipsa notitia dona, non tantum sunt in digne communicantibus, sed etiam in dignis. Velim hac occasione informari

mari à Theologo: an horribilius sit veram sacrorum notitiam esse in impiis, quam corpus & sanguinem Domini esse in indignis?

CAP. XII.
& ULTIMUM.
De conclusione à Theologo adjecta.

I.

JUdicare facile poterat pars adversa, iis, quæ contra veritatem notitiæ rerum sacrarum in superioribus mihi objecerat, satisfieri sine negotio posse, quare alia me via, à nemine hactenus tentata, aggrediendum, deque munimentis meis dejiciendum me esse existimavit. Quo robore hoc factum fuerit, in hoc capite ostendendum est. Quod adeo mihi molestum non est, ut potius mihi gratuler, occasionem mihi subministrari, complures in hoc argumento materias fructuose illustrandi. Interea observari velim, partim quo desperatio partem adversam adegerit, ut dum novitatis crimen præcipue mihi impingere adlaborat, ipse nova, neque in hoc argumento unquam audita, immo à Theologis jamdiu protrita, effugia conquirere necesse habuerit; partim quo rancore, quamque infesto animo mecum congrediatur, dum HORRENDIS me erroribus adstipulari & quum affirmare ausim, veram rerum sacrarum notitiam non in irregenitum tantum, sed & in hominem impium, pertinaciter Divinis motibus resistentem, cadere, in Pelagianismi nervo CRASSISSIMO me versari, asseverare non veretur. Quod documento est, nec illos quidem continere affectus intemperantissimos posse, qui hanc immoderationem sub magna sanctitatis specie aliis ubique objectant.

II. Duo autem cumprimis in hac conclusione aguntur; primo confirmatur ampliori deductione & argumentis, ut ipse putat, invictis, impiis pertinaciter resistentibus veram rerum sacrarum notitiam tribui non posse. Qua in re sciendum est, controversiæ statum primo à me (quem adversæ partis

Theologus dein, non ego ipsum, adortus est) de irregenitis ita formatum fuisse, ut promitterem, me ex graduali conversionis ordine probaturum esse, irregenitos per hunc ordinem, perque hos gradus ad regenerationem tendentes, ante ultimatam conversionem, ubi adhuc sint irregeniti, necessario habere veram rerum sacrarum notitiam cum adsensu, perque hæc ipsa, tanquam per viam, medium & causam ex parte hominis ad regenerationem adspirare. Id enim si probavero, persuasus fueram, immote consequi, in irregenitum utique cadere aliquando veram rerum sacrarum notitiam, sive ea iterum pereat, sive perseveret. Quia vero viderat opponens, vix ulla specie defendi posse, notitiam & assensum, per gratiam prævenientem & præparantem, in homine irregenito, antequam fiducia accederet, effectum, non esse veros Sp. S. in irregenito effectus, adeoque ipsis, non Spiritui S. inhærentes; unde & innumeros, per quos elaberetur, mæandros, modo affirmans, esse veros Spiritus S. effectus, immo & spirituales, per gratiam supernaturalem productos, mox negans, quicquam veræ notitiæ aut spiritualis notitiæ nomine venire posse, quod conversionem completam antecedat; itaque felicius contra me disputare se posse existimabat, si irregenito substituat impium, in peccata contra conscientiam prolapsum, huncque cumprimis neget, veræ notitiæ capacem esse. Equidem admirabilem ἀῤῥωστίαν arguit τῆς διανοίας, quando immutasse statum controversiæ dicor & impio, de quo controversia fuerat, irregenitum substituisse, ut eo felicius elabi possem, qui ut in omnibus, ita prima illa, auctori anonymo opposita Disputatione, quam Theologo, nunquam invitato, nunquam provocato, aggredi per Respondentem stylo inficeto placuit, de irregenitis me agere, & quidem in primis gratiæ gradibus constitutis, ipsi scriptorum tituli, si vel lumine cum Tiresia quis careret, edocere potuissent. Interea non nego, de homine lapso & impio non minus me asseruisse, in eundem cadere aliquando notitiam rerum sacrarum, ipsiusque Divinitatis Scripturæ assensum verum, solidum & Divinitus immotum. Qua in re cum vires suas speciatim experiri Theologus & horrendam mihi doctrinam adfricare non dubitet, nequaquam invitus cum ipso in arenam descendo.

III. Incidit

III. Incidit hic simul ea quæstio, utrum *Augustinus* impiorum, immo irregenitorum omnium, notitiam pro mero dono naturali habuerit, hancque doctrinam suam Pelagianis opposuerit. Id enim si obtineat pars adversa, magnum se confeciſſe rei momentum existimat, ut & sub finem concludere audeat: *si quis affirmare ausit de irregenitis, quâ non pertinaciter resistentibus, eos verè cognoscere DEum & Divina, eum fovere manifestum Pelagianismi nervum, quantumvis subtiliorem: si vero de irregenitis pertinaciter resistentibus, quâ pertinaciter resistentibus,* (sunt hi ipsi impii) *in hoc ipso Pelagianismi nervum crassissimum versari.* Igitur duplicis hæreseos reus sum, subtilioris & crassissimæ. Quid itaque de Augustini sententia sit sentiendum & utrum ille has mihi hæreses impegerit, in hoc mihi Capite disp iciendum erit.

IV. Deinde vero ad novum prorsus in hoc argumento εὕρημα, à reliquis omnibus, qui de eodem argumento quidpiam commentati sunt, ignoratum, procedit, perque id ipsum causæ meæ quasi jugulum petit. Nempe ex natura & indole pacti Evangelici ostendit, nihil ab Evangelio seu pacto & gratia Spiritus Sancti Evangelica proficiſci posse, nisi subnitatur fide. Solam enim fidem esse, quæ Evangelicas promissiones apprehendat. Qua cum careant irregeniti in primis regenerationis gradibus, manifestum esse, gratiæ Divinæ in irregenitis, qua eandem subjective recipiant, non esse locum. Atque hæc in compendio ea sunt, quæ in prolixa partis adversæ conclusione continentur, quæ hic in summa repetenda fuerant, ut quibus de rebus disputetur, quarumque discussio à me expectanda sit, lectori constare possit.

V. Quare ante omnia in id elaborat, ut sententiam à me defensam per id magis HORRENDAM reddat, quod controversiæ à me statum fraudulenter immutatum & impiis, de quibus ipse Theologus locutus fuerit, substituerim irregenitos. *Hoc pacto,* inquit p. 85. *occultant & ipsi radices Pelagianismi, quando quod quodammodo verum apparet de pœnitentibus, pariter de impœnitentibus valere perhibent. Neque aliter in Disputatione nobis opposita factum esse, docet res ipsa. Nos autem locuti de impiis, & quidem reduplicative, quoad tales fuerint, ambiguitatem istam evitavimus, merito nunc identidem conquerentes, quod minus sincerè contra nos sit in-*

ſtituta oppoſitio; ita enim ſi pergere voluerint, generalitate irregenitorum ludentes, hujusmodi diſceptatio non fuerit diſputatio, ſed potius SOPHISTICA TERGIVERSATIO. Ita ille.

VI. Mirabilis equidem Diſputator! Qui conqueritur de immutato à me controverſiæ ſtatu & tamen in verbis immediatè ſequentibus ipſe profitetur: me hypotheſin determinare hoc modo: *quod homo præfracte impius,* (habes igitur hic non tantum irregenitum, non tantum impium impœnitentem, ſed & præfracte impium!) *qui Spiritui S. reſiſtens impius manet, vel lapſus eſt, poſſit habere certam & Divina fide immotam ſacrorum notitiam, aſſenſum perfectum ac perfectiſſimum, Divina & immota fide nitentem.* Quæſo Te per DEum, quid vis amplius? Si hæc nondum ſatis clara ſunt, dico & profiteor ingenue: & irregenitus & impius & impius pœnitens & impius impœnitens, & quod nunc addo: impius impœnitentiſſimus, inque ipſum Spiritum S. peccans, eo ipſo tempore, quo in Spiritum S. peccat, *HABERE POTEST* (non neceſſario habet) certam & Divina fide immotam ſacrorum notitiam, aſſenſum perfectum ac perfectiſſimum, Divina & immota fide nitentem. Rogo vero eos, qui contrariæ hactenus ſententiæ ſub immota pietatis perſuaſione addicti fuerunt, nedum hæc tanta, in ipſorum oculis horrenda, legunt, in animi deliquium incidant, priusquam fundamenta noſtræ aſſertionis, ſuo loco ſecutura, legerint & expenderint. Jam II. quale, ut ita loquar, intereſſe habet Theologus in ſubjectorum illorum, *irregenitus, impius, impius pœnitens & impius impœnitens,* quam ipſe tam operoſe facit, differentia, ſi ea reſpiciamus, de quibus inter nos eſt unicè quæſtio? Nempe hoc unicè inter nos quæritur: an notitia rerum ſacrarum, quæ eſt vel in irregenito, vel in impio, vel in impio impœnitente, vel in impio, in Spiritum S. peccante, quatenus in ipſis ſubjective inexiſtit, ſit vera, vere ſpiritualis & vere ſupernaturalis notitia? Et hoc ego omne atque totum affirmo, omne atque totum negat pars adverſa. Quid igitur opus eſt tot diſtinctionibus, quæ ne gry quidem ad rem faciunt? Sit utique unus irregenitus melior altero, ſit unus impius pejor altero, quid hoc ad rem? Cum & irregenitus juxta Theologum ratione veritatis cognoſcendi ne gry quidem habeat præ impio, & impius ne miculam quidem veritatis minus habeat præ irregenito.

nito. Dices: ad controversiæ statum recte & solide constituendum addi jure meritoque: *impios, reduplicative tales, QUOAD TALES FUERINT*, non habere veram notitiam. Quod quia nos omiserimus, in eo ipso occultare radices Pelagianismi & sophistice tergiversari. Sed vero videat Theologus, ne ipse potius agat Sophistam. At enim intelligit reduplicationem suam de reduplicatione subjecti, qua & quatenus illud impium est. Quis vero unquam dixerit, hominem impium, qua est impius & adeo ratione impietatis suæ veram habere rerum sacrarum notitiam? Quicquid enim veræ notitiæ reliquum habet, id pertinet non ad impietatem, in quam lapsus est, sed ad reliquias pristinæ pietatis, juxta *Musæum* in lapsis adhuc, una cum actuali Spiritus Sancti gratia, per reliquias illas impium pulsante, reliquæ. Quemadmodum domus compta atque magnifica post incendium muros, cellam, conclavia nonnulla retinet, non qua combusta est, sed qua reliquiæ veteris domus in ipso incendio remanserunt. Aut intelligitur τὸ: *quoad impius est*, de tempore, quo impius est. Quo pacto impius, qua impius & quando impius, inque ipso impietatis statu constitutus est, veram tamen habet retinetque rerum sacrarum notitiam. Non quod omnis impius in se semper habeat; post enim illa per oblivionem & πώρωσιν amittit, sed quod non repugnet, (quod contendit partis adversæ Theologus) impium eandem habere. Pono exemplum: Titius, homo omnium persuasione vere pius, societati cuipiam impiæ involutus, mortaliter peccat, inque eo peccato, ejus dulcedine captus, quousque societas durabat, per aliquot septimanas, adeoque impœnitens, perseverabat, quamquam subinde stimulis anterioris pietatis compunctus, & ideo cæteris tristior. Anne credemus, hunc ita factum impium, amisisse veram notitiam, verumque assensum? Et hunc quidem ita vivum, ita Spiritu S. plenum, ut ad pœnitentiam eundem & vitæ emendationem subinde exstimularet, tandemque pervinceret?

VII. Quam vane itaque & frivole sophisticam mihi tergiversationem pars adversa objectet, sufficienter hinc patescit. Repeto thesin meam: Æque impius ac irregenitus, ad conversionem tendens, antequam complete regeneretur, non veram tantum, sed certam & Divinitus immotam rerum sa-

crarum notitiam, certumque & Divina fide immotum credendorum omnium assensum necessario habet, neque sine eo præcedente credere potest. Ut tamen si vel maxime notitiam & assensum habeat solidum & Divina certitudine immotum, non ideo statim convertatur, sed ultimum conversionis complementum rationes quæcunque temporales impediant. Antithesis adversarii mei est: *Assensus Divinis veritatibus præbitus, in homine irregenito & impio, non est assensus Divina fide immotus, perfectus, perfectissimus. QUAM HORRENDUM HOC DOGMA!* p. 88.

IIX. Primo ne pene dixerim bruta hæc exclamatio quemquam, rerum præsentium non satis gnarum, commoveat, thesin meam invictis argumentis probabo. I. Primum deductum est à causa efficiente Divinæ hujus certitudinis, quæ est Scriptura S. verbum DEI certum & certum reddens animum Ps. XIX. 8. Quicquid ex auditu & acceptatione verbi Divini, qua Divinum & infallibile est, pronascitur, id ipsum Divinitus certum est & infallibile. Notitia & Assensus quoad Dogmatica credenda. Ergo. Cum scriptum lego hominis simplicis & idiotæ, notitiam inde consequor & assensum eidem adhibeo qualemcunque, prout talis hominis status & conditio meretur. Si scriptum lego hominis gravis & rerum experti, majorem adhibeo fidem, certioremque. Si denique scriptum lego, ex actis publicis jussu summæ majestatis compositum, fidem eidem adhibeo, quanta inter humana summa esse potest. Quanto magis cum verbum DEI vel lego vel audio, indeque notitiam rerum in eo contentarum haurio, immo eas veras esse credo, etiamsi fiduciam meam in Christum specialem nondum ponam, Divinam, menti meæ imprimo certitudinem? Idque eo magis, quod verbum DEI in se contineat virtutem præter vim verborum significativam immensam vereque Divinam, animum, quantum in se est, convincentem. Impossibile est, verbum Divinum audiri & nonnunquam cum voluptate audiri, sæpius fidem eidem adponi, sine qualicunque, eaque vere Divina probabilitate: verbum hoc non ab homine, sed à DEO prodiisse. Quamquam hæc Divinitatis fides in irregenito, si gradus conversionem antecedentes admittat, subinde crescat, donec ad notitiam perfectam, immo perfectissimam, etiam ante completam conversionem, deveniat.

niat. Probatur II. ex natura objecti revelati, quod est supra omnem rationem positum, adeoque citra fidem Divinitatis Scripturæ homini incredile, immo stultitia est. 1. Cot. II. 14. Quicquid creditur ob solam revelantis auctoritatem, sine qua stultitia ipsi est, nec potest intelligere, id supponit certam & Divinam cum ipsius verbi, tum rerum in eo contentarum fidem. At objecta Scripturæ propria. Ergo. Quis enim tam amens & stolidus esset, ut crederet, quæ omni rationi & sensui adversantur, nisi Divina auctoritate convinceretur? Sint nonnulli tam bardi simplicesque, ut credant vel à parentibus vel à præceptoribus persuasi, innumeri sunt longe sapientiores, qui id sibi, quod rationi stultitia est, parentum, imo totius mundi auctoritate persuaderi nequaquam patientur & tamen plurimorum revelatorum certam immotamque & notitiam & assensum hebent, quo minus ad fiduciam usque prævia pœnitentia progrediantur, temporalibus rationibus fascinati. Qui vero è simplicioribus parentum auctoritate commoventur, ut credant, (quales non sunt ex irregenitis, sed & ex regenitis simplicioribus plurimi) ii præsumi debent, parentes ipsorum informationem suam ex Diviniore principio hausisse, idque credidisse Filios. Sicut Adami filii à parentibus in credendis faciendisque informabantur, quorum notitia & assensus in DEI verbum, a parentibus ipsis insinuatum, resolvebatur, quamquam illud nec audiverint unquam, nec legerint. Probatur III. ab exemplo irregeniti Agrippæ, quem Paulus disertis verbis Prophetis credere magna cum confidentia asserit: *credis, rex Agrippa, Prophetis? Scio, quod credas.* Act. XXVI. 27. Quæ verba intundere in adversariorum meorum conscientias non desistam, donec me aliter, quam Paulus informent. Id tantum rogandi sunt, ne verba Pauli aliter interpretentur, quam verborum simplicitas permittit. Ego enim credo, Paulum ita intelligi voluisse, quemadmodum locutus est. Unde argumentor: quicunque credit, non naturæ, sed Prophetis, verbum DEI supernaturale, simul eadem de re testante θεοπνεύστῳ Paulo, de Christo, de ejus persona, officio, passione, resurrectione, objectis nempe, omnes naturæ vires transcendentibus, is Divinitus certum præbet assensum dogmatibus, ad salutem necessariis. Irregenitus Agrippa. Ergo. Nec irregenitus tantum

tum fuit Agrippa, & in via ad converſionem conſtitutus, ſed impius irriſor religionis Chriſtianæ, cujus *ſapientia non erat deſuper proveniens, ſed terreſtris*, ad regnum Judæorum affixa, *animalis & dæmoniaca*, Jac. III. 15. Et tamen Paulus: ſcio, ait, certoque novi, quod vere certoque credas prophetis. Horrendum hoc eſt, Paule. Probatur IV. à natura fiduciæ, in qua fidei forma conſiſtit. Tantum abeſt, ut immota certitudo Divinitatis Scripturæ & articulorum fidei non poſſit niſi ex fide oriri, ut per rei naturam plane impoſſibile ſit & abſurdiſſimum, fidem, qua fiducia eſt, in meritum Chriſti poſita, oriri poſſe, niſi ex præcedente Divina in animo irregeniti de Divinitate verbi DEI & dogmatum omnium, ad ſalutem neceſſariorum, certitudine. Quare argumentor: quæcunque fiducia ultimo nititur certitudine & infallibilitate verbi Divini, intra animum immote concepta, eam hæc certitudo neceſſario præcedit, eaque niſi adſit, fiducia oriri non poteſt. Fiducia in promiſſionem remiſſionis peccatorum, propter meritum Chriſti nobis impertiendam. Ergo. Fiducia, quam in Servatorem meum pono, fore ut peccata mihi remittat & mihi in individuo meritum ſuum donet & applicet, Gal. II. 20. eſt fiducia immota, quæ ideo ὑπόστασις dicitur, Hebr. XI. 1. non diffitente Theologo noſtro, hoc ipſo in loco. Qui enim dum à Chriſto aliquid petit ſperatque, ea de re dubitat, *ſimilis eſt fluctui maris, a ventis agitato. Qui dubitat, ne exiſtimet, ſe accepturum quid eſſe à Domino.* Jac. I. 6. 7. Unde autem Divina hæc & immota certitudo oriri poteſt, niſi ex immoto, vereque Divino principio & fundamento, verbi Divini infallibilitate, à me apprehenſa & aſſenſu meo, antequam credam, comprobata? Poteſtne quis perduellionis reus delicti ſui veniam à Principe immota fiducia ſperare, niſi Principem ipſi fore propitium ipſius Principis manu certa certior fuerit redditus? An indubitam condonationis fiduciam ponere poteſt in quemcunque hominem extra Principem? In quodcunque teſtimonium extra Principis manum? In ipſius Principis manum, de qua non omnino, utrum Principis ſit, ſit certus? Annon ſi in quidlibet horum immotam, certam, falli neſciam fiduciam poſuerit, fluctui ſe maris committit, neque quidquam à Principe conſequitur? Homo quivis coram DEO perduellionis

nis reus est, æterno ideo igni destinatus. Potestne hujus delicti veniam & pœnæ remissionem immota ὑποστάσει & fiducia, quæ non instar fluctus maris vacillet, sperare, nisi DEI antea manum habeat, quæ illum ea de re certum & Divinitus infallibilem reddat? Nisi hanc manum in Scriptura agnoscat & immotum esse verbum Divinum sit persuasus? Præterea an Divinitus per ipsam DEI literam certus esse potest, DEUM ipsi ob Christum remissurum esse peccata, nisi eadem Divina certitudine persuasus & intra animum suum convictus sit, se esse peccatorem & peccata sua æternam pœnam promereri? DEum autem ejus misertum esse & misisse in carnem proprium Filium suum, qui agendo patiendoque pro peccato satisfecerit? Filium vero hanc suam satisfactionem donare nobis & imputare velle, dummodo eandem à nobis ipsis non repellamus? Et si qui alii sunt fidei articuli, sibi invicem ita connexi, ut unus sine altero credi non possit? Quæro jam ex te: possumne in DEum, peccata mihi ob Christum remissurum, certam & Divinitus infallibilem fiduciam (sine qua fides non est fides, sed mera humana & fallibilis persuasio,) ponere, nisi antecedentium omnium Divinam habeam & immotam certitudinem? Potestne effectus, fiducia immota, melior esse sua causa, ex quâ prognatus est, notitia rerum sacrarum, ad fidem concipiendam necessariarum? Quicquid generat fiduciam Divinitus certam, id non potest esse, nisi pariter Divinitus certum. Notitia rerum sacrarum & assensus iisdem adpositus. Ergo. Quemadmodum, qui rebellionis reus est, non potest certam in delicti condonationem fiduciam ponere, nisi antea ex manu ipsius Principis certus sit, ipsum delicti sui veniam ipsi daturum esse. Existimo, rem sole meridiano clariorem esse: Divinum & immotum assensum necessario præcedere, non comitari tantum & consequi immotam fidei fiduciam. Etiamnum exclamas Theologe: QVAM HORRENDUM HOC DOGMA! Ego verò majori jure exclamo: quam ob omnibus principiis Theologicis alienum est dogma contrarium! Probatur V. ab ipsa graduali operatione Spiritus Sancti, qua fidem & conversionem producit. Primo enim homini vel impio per inhærentem Spiritus Sancti gratiam, juxta *Musæum*, vel irregenito auditum verbi com-

mendat. Id si obtinuerit, ulterius scrutinium. Ex quo producit in animo ipsius pium quendam erga S. Literas amorem. Unde non potest non enasci assensus, modo huic, modo illi mysterio adpositus. Isque primo infirmior, mox robustior, postremo perfectus & perfectissimus. Non aliter ac fit in semine, gradatim ad perfectionem progrediente, Marc. IV. 27. 28. Ex quo fieri non potest, quin tandem omnimoda verbi Divini & credendorum certitudo proveniat, quæ immotum fidei fundamentum præbere & conversionem producere possit. Probatur VI. ab ipsis fidei justificantis partibus: notitia, assensu & fiducia. Quæ ideo à Theologis gradus fidei dicuntur, cum ab uno semper ad alterum fiat progressus & unius generatio sit generatio alterius. Non aliter ac in scala unus gradus alterum promovet, donec ad summum deveniatur. Unde & à Theologis notitia atque assensus partes fidei materiales dicuntur, quorum nomina infra expressuri sumus. Pars autem compositi materialis est compositio cum rebus aliis communis. Notitia igitur & assensus, etiam certus & Divinitus infallibilis, juxta eosdem Theologos, etiam in impiis, immo in Diabolis deprehenditur. Qua de re suo loco dicetur. Probatur VII. à praxi Ecclesiæ nostræ perpetua, vetere & hodierna. Nam apud antiquos catechumeni, & hodie ii, qui ad dignam Eucharistiæ perceptionem præparantur, imprimis vero, qui vel e Judaismo vel Gentilismo, vel Ecclesia hæretica ad nos accedunt & vel Baptismo tingi, vel fidei suæ publicam confessionem edere desiderant, ad hæc talia non admittuntur, antequam & eos notitiam eorum, quæ ad fiduciam in DEum Patrem per Christum in Spiritu S. concipiendam requiruntur & assensum ex infallibili verbo immota certitudine conceptum, habere constiterit, iique errores omnes, cum saniore verbi Divini doctrina pugnantes, candide & constanter rejecerint. Quæso te, quid hoc aliud est, quam neminem præsumi posse, vere & salutariter credere & fiduciam suam in Christum ad peccatorum suorum remissionem collocare, nisi antea immoto vereque Divino, ex frequenti S. Literarum informatione & tractatione hausto, assensu ea comprobaverit, sine quibus fiducia illa nullo pacto consistere, immo nec oriri potest?

Dicesne

Dicesne & hic Theologe: QVAM HORRENDA EST HÆC PRAXIS! Itane per immotum vereque Divinum assensum ad fidem procedere debent catechumeni, cum sine fide omnis assensus sit humanus & stramineus, immo dæmoniacus? Ego vero dico: itane per doctrinam tuam, ô Theologe, sanctissimam & canæ vetustatis & hodiernæ Ecclesiæ praxin, à nemine unquam improbatam, ab omnibus singulisque in summo pretio habitam, injustitiæ, falsitatis & erroris coargues? Vide vero & expende, quid facias! Denique IIX. & ultimo provocatur non immerito ad Theologorum celeberrimorum suffragia, qui quando internam vim, virtutem & efficaciam verbi Divini penitius considerant, non defugiunt profiteri, per eandem & impiissimorum hominum pectora, ut ejus Divinitatem agnoscant, nonnunquam convinci. Quos inter æternæ memoriæ Theologus, *D. Gerhardus*, in Harmoniæ c. CLXXIIX. p. 1476. dum considerat verba Christi: *Spiritus S. testimonium perhibebit de me*, inter alia id etiam fieri ait, *per impiorum convictionem & condemnationem. Spiritus S. enim non solum in cordibus piorum de Christo testimonium perhibet de salute per Christum acquisita eos confirmando, sed etiam in impiorum conscientiis testatur, EOS EFFICACITER CONVINCENDO de veritate Evangelii, quod oppugnant, & de majestate Christi, quem in membris suis persequuntur, ut nolentes volentes Christo cedere, ejusque Evangelio locum relinquere cogantur, sicque in conscientiis suis reddantur* ἀναπολόγητοι. *Sicut Julianus apostata dicebat: vicisti tandem, Galilæe!* Ecce juxta hunc Theologum homo impiissimus, Christi ipsius & Evangelii persecutor, nihil aliud quam sanguinem spirans & cædes, eo ipso tempore, QVOAD TALIS FVIT, & quo pertinaciter & diabolice Spiritui Sancto resistebat, (quæ resistentia juxta Theologum omnes motus Spiritus Sancti antecedentes dispergit & annihilat) testimonium in se habet Spiritus Sancti, eundem de veritate revelata EFFICACITER, adeoque Divina certitudine convincens eousque, ut in semetipso, ob subjectivam veritatis notitiam & irrefragabilem assensum, non inexcusabilis tantum reddatur, sed Christo quoque honorem tribuat, fateaturque, doctrinam ejus esse Divinam & invictam. Igiturne & hoc *Gerhardi* dogma est HORRENDVM? Huic adjungo Kilonienſium quondam celeberrimum acutis-

simumque Theologum, *D. Christophorum Franckium*, qui adversus *Phil. Limborchium* disputans, qui Spiritum S. cum interno Divino testimonio non dari nisi jam credentibus asseruerat; (ut obineret, ante conversionem & in irregenitis Spiritui S. nullum esse locum, & Scripturæ Divinitatem iis tantum per externa credibilitatis signa demonstrari posse) *Limborchio* Exerc. I. c. I. §. IX. hanc thesin opponit: *Spiritum S. ejusque gratiam nullo modo dari nisi credentibus adversatur claris Scripturæ locis.* Quorum duo producit, 2. Cor. IV. 13. & 1. Petr. I. 22. Ad loca vero, à *Limborchio* adducta, quibus probare adnititur, solis credentibus dari Spiritum Divinitatis Scripturæ convictivum, respondet, partim ea agere de donis Spiritus S. extraordinariis, partim si de donis ordinariis agant, nihil tamen contra sententiam Frankianam effici. *Ex eo enim, quod Paulus dicat, Spiritum S. datum esse Galatis credentibus, videlicet ad confirmandam fidem, ad obsignandam adoptionem & promissionem cœlestis hæreditatis, non sequitur, Paulum negare, quod Spiritus S. etiam datus sit iisdem NONDVM CREDENTIBVS, ad hoc, ut fierent credentes.* Ecce novum horrendi dogmatis socium. In eadem Academia Inauguralem Disputationem suam *de interno Spiritus Sancti testimonio*, Præside celeberrimo *D. Opitio*, Anno MDCCI. vir excellentis eruditionis, *Christian. Gottlieb Kochius*, solenniter proposuit. In cujus paragrapho LIX. quæstionem proponit: *An in via conversionis constitutis internum hoc Spiritus S. testimonium competat, quoque modo illis tribui possit?* eandemque ita resolvit: *ubi quidem nulla stringens ratio asseri poterit, quæ dissuadeat, quo minus illis hocce adscribamus testimonium. Quid? quod ipsa potius conversionis natura mandat, ut illis id constanter tribuamus. Cum enim in flectendis eorum cordibus Divina & supernaturalis requiratur gratia, qua Spiritus S. cum verbo & per verbum in hominis convertendi intellectu & voluntate operatur, illum quidem illuminando, hanc flectendo, ut semel agnitis præbeatur assensus, per se patet, ipsis in via conversionis constitutis internum hoc Spiritus Sancti testimonium non esse denegandum, ni ipsam conversionis naturam infringere velimus.* Nimis ille dilucide sententiam nostram HORRENDAM proponit. Addit quidem: *interim negandum non est, illud à conversorum testimonio NON-NIHIL differre*, cujus differentiæ & quasdam rationes ex *Quenstedtio* & *Osiandro* adducit. Quod

vero

vero admittere sine ullo sententiæ nostræ dispendio possumus. Neque vero dum ait, internum Spiritus Sancti testimonium in via conversionis constitutis adscribi, ideo illud negat, hominibus impiis & de conversione sua parum cogitantibus & sollicitis, pariter in suo gradu competere. Nam Davidem post diuturnam in peccato mortali contumaciam, non tam nova gratia, ad extra adveniens, quam illa ipsa apud *Musæum* post lapsum *INHÆRENS & actualis Spiritus Sancti gratia*, & illud apud *Dannhaverum lumen supernaturale, quod adhuc in lapsis est*, revocavit: ויך את דוד לבו, *& percussit Davidem* non aliud quam *cor suum*, inhærens adhuc pectori suo gratia, quæ adhuc perfectam immo perfectissimam in ipso flagranti peccato retinuit sacrorum omnium notitiam, adeoque per hæc præsidia eo facilius è lapsu resurgere potuit. Talem perfectam perfectissimamque sacrorum notitiam, præcisa ad praxin applicatione, eamque etiam experimentalem, Hebr. VI. 4. 5. immo nonnunquam in iis, qui ob meros respectus temporales veritatem cœlestem ore abnegant atque blasphemant, Hebr. X. 26. peccantes in Spiritu S. retinere ipsa experientia testatur.

IX. Nunc tandem fundamentis sententiæ nostræ expositis, circumspiciendum nobis est, quid adversus certam hanc & immotam in irregenitis & impiis sive Divinitatis Scripturæ, sive doctrinæ in ea contentæ, sive notitiam sive assensum, excipiat adversæ partis patronus. Is igitur hunc in modum eandem impugnat p. 86. *Cujusmodi notitiam & assensum penes impios reperiri, tam alienum est ab ipsa Scriptura S. ut ne fidelibus quidem* προσκαίροις *tribui possit immota fides, quatenus hi ad tempus credentes in tempore tentationis deficiunt, Luc. IIX. 13, Si quis instet, eos deficere quidem à fide speciali, non æque autem à generali fide; respondemus, ita deficere, ut quicquid fidei est reliquum, id nec simpliciter certum, cui falsum subesse prorsus repugnat, nec Divinum atque immotum dici queat. Hoc ipse Christus luculenter docet Joh. IIX. negans, Judæos DEum, quem suum profitebantur, novisse, non tantum ut Patrem, verum etiam ut DEUM, v. 42. 55. & Paulus 1. Cor. XV. 34. contestans, lapsos ignorantiam DEI habere. Nam Divina & immota fides designat* ὑπόστασιν, *cujus nullum principium,* ἀρχὴν *firmum tenent vel retinent, qui expertes fiduciæ sunt, aut redduntur. Hebr. III. 6.*

X. Ad pleraque jam in superioribus responsum est. Attamen I. si Judæi ignorarunt Patrem, ut DEum, pejores ipsis gentilibus fuerant, qui erant γνόντες τὸν θεὸν, Rom. I. 21. immo fuerint veri athei. Econtra vero, sicut gentiles erant *athei in mundo*, Ephes. II. 12. non quod vel ignorarent esse DEUM, vel negarent, sed quod non juxta verbum revelatum cognoscerent, ita Judæi non noverunt DEUM, vel ut Patrem vel ut DEUM, quia neutro eundem modo cognoverunt, ut sese in verbo revelaverat. De loco 1. Cor. XV. 34. supra fuse actum. II. Quam vero titubanter & ambigue iterum ex desperatione loquitur Disputator: qui fide destituantur, non firmum vel *tenere* vel *retinere* fundamentum? Ergone, qui fide destituuntur, tenent quidem fundamentum, sed non retinent? Dicatur rotunde, quid velit pars adversa Quemadmodum nec illa verba intelligo: *qui expertes fiduciæ SUNT AUT REDDUNTUR.* Non intelligo illud: *aut.* III. Quando Hebr. III. 6. dicitur, quod fideles sint domus Christi & domus ejus maneant, quousque confidentiam fidei immotam retinuerint, quomodo hoc destruere potest sententiam à me defensam: infideles habere aliquando immotam certitudinem Divinitatis S. Literarum & dogmatum omnium ad salutem necessariorum? Cum per hoc æque non reddantur domus DEI, ac Julianus Apostata. IV. Vere ludit Theologus in immoti voce. Immotum aliquid dicitur, vel absolute & ratione eventus. Quo pacto neque fideles ipsi, ad finem usque vitæ in fide perseverantes, immoti sunt, cum quotidie moveri & labi possint. Vel ratione fundamenti, quod ita comparatum est, ut immotum præstet ædificium, non contra inhabitantis malitiam, qui illud quolibet momento diruere potest, sed contra externas injurias. Fides πρόσκαιρος immota fides est, ratione fundamenti, Matth. VII. 24. 25. quia eandem non subruere possunt, invito προσκαίρῳ, *vel mors vel vita, vel angeli, vel principatus, vel potestates, vel præsentia vel futura*, Rom. IIX. 38. Non autem immota est, si ὁ πρόσκαιρος eandem voluntarie & petulanter excutere velit. Tum enim non externæ injuriæ, sed proprium peccatum à DEO, tanquam fundamento, separat, Es. LIX. 2. Ita prorsus impii & irregeniti notitia & assensus immotus est ratio-

ratione fundamenti, quod est Scriptura Sacra & exinde, non vero ex fiducia, in meritum Christi posita, Divinam & indubitatam certitudinem consequitur. Potest tamen hæc ipsa certitudo, non minus ac in προσκαίρῳ fides, per propriam malitiam & πώρωσιν vel infirmari vel prorsus deleri. Non ignoravit hæc Theologus, & tamen in simpulo fluctus excitare voluit.

XI. Deinde vero opponit p. 87. *Audiatur modo Christus Joh. IIX. 43. 44. 45, contendens, quemadmodum veritas non est in Diabolo, ita nec in Judæis quicquam veri de DEO esse, idque dignosci posse exinde, quod verbo suo obnitantur.* Quid vero inde sequitur? In Judæis & in Diabolo, quum verbo DEI obnituntur, veritas non est: ergo nec, cum verbo DEI non obnituntur? οἱ διάβολοι πιστεύουσι, ὅτι θεός ἐστι. Jac. II. 19. Ergo verum hoc non est? Profitentur, Christum esse Filium DEI, Matth. IIX. 29. Marc. I. 24. III, 11. inprimis Luc. IV. 41. & Actor. XIX. 15. Ergone nec hoc verum est? Anne cum Spiritus Sanctus dicit: ᾔδεισαν, τὸν χριστὸν αὐτὸν εἶναι; nobis dicere licebit: non noverant, vel mendaciter noverant? Quando vero Christus ad Judæos dicit: τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε; partim de notitia cum assensu loquitur, partim de sermone de Patre Filioque, mundi redemptore. Ita omnes interpretes.

XII. Porro denuo provocat ad Apologiam Augustanæ Confessionis p. 84. Ubi hæc opinio de notitia & assensu vere Divino ante plenam conversionem hypocritarum error & pars velaminis Mosis dicatur. Verba Apologiæ hæc sunt: *Paulus docet, 2. Cor. III. velamen, quo facies Moysi tecta est, non posse tolli, nisi fide in Christum, qua accipitur Spiritus Sanctus. Velamen intelligit Paulus humanam opinionem de tota lege, Decalogo & ceremoniis, videlicet quod hypocritæ putant, externa & civilia opera satisfacere legi DEI & sacrificia & cultus ex opere operato justificare coram DEO. Tunc autem detrahitur nobis hoc velamen, hoc est, eximitur hic error, quando DEUS ostendit cordibus nostris immunditiem nostram & magnitudinem peccati. Ibi primum videmus, nos longe abesse ab impletione legis. Ibi agnoscimus, quomodo caro secura atque otiosa non timeat DEUM, nec vere sta-*

ſtatuat, reſpici nos à DEO, ſed caſu naſci & occidere homines, ibi experimur, nos non credere, quod DEUS ignoſcat & exaudiat. Cum autem audito Evangelio & remiſſione peccatorum fide erigimur, concipimus Spiritum S. ut jam recte de DEO ſentire poſſimus & timere DEUM & credere ei.

XIII. Objectio tam obſcura, ut vix Argus viderit, quo tendat. I. Apologia contra juſtitiam legalem diſputat, & ſalutem non ex operibus, ſed ex ſola fide expectandam eſſe decernit. Quid, rogo te, hoc ad cauſam præſentem? An illa, quæ Spiritus Sanctus ante converſionem, ad hanc efficiendam & promovendam, operatur, notitia & aſſenſus myſteriis ſalutis noſtræ adpoſitus, ſunt legalia? Quem igitur in finem Apologia, quæ legem Evangelio opponit, ad noſtram controverſiam, quæ in mere Evangelicis verſatur, adducitur? Sunt notitia & aſſenſus, cum amore verbi Divini & pio deſiderio ſalutis, effectus, non legis, ſed Evangelicæ gratiæ Spritus Sancti, irregenitos & impios ad fidem adducturi, & quidem effectus ſubjective ab irregenitis intra ſeſe recepti, quomodo igitur ad velamen Moſis pertinere poterunt? Oſtendatur vel unico verbo, ubi Apologia dicat, notitiam & aſſenſum, per primos gratiæ Evangelicæ gradus effectos eſſe hypocritarum errorem & partem velaminis Moſis. Quod ſi II. regeras, hoc inde patere, quia Apologia, tum vere nos timere DEUM & ſtatuere nos reſpici, cum FIDE ERIGIMUR & CONCIPIMUS SPIRITUM S. diſerte profiteatur. Id autem non fieri ante completam converſionem, conſequenter quicquid hanc antecedat, ad legem & velamen Moſis pertinere. Antecedentibus autem illis annumerari quoque notitiam illam & aſſenſum. Hæc forte ſententia eſt Theologi, ſi eandem capere poſſum. Reſpondetur: Apologia non tantum dicit: tum vere nos timere DEUM, quando credimus, ſed quando AUDITO EVANGELIO credimus. Nota bene, Theologe: AUDITO EVANGELIO. Non infunditur immediate fides, ſed per Evangelium, quod audiri antea debet. Auditus autem non brutam aurium accomodatioem, ſine omni intellectu, inſinuat, ſed auditum cum diligenti ſcrutinio, Joh. V. 30. Ergo juxta Apologiam fidem antecedere debet verbi auditi accurata

rata consideratio. Sed nec hæc sufficit, ut eidem fidem, h. e. assensum adhibeas. Evangelium enim scriptum est, ut ei credatur, Joh. XX. 31. Ergo juxta Apologiam fidem antecedere debet assensus, non ex lege, sed ex AUDITO EVANGELIO conceptus. Ecce tot ac tanta requiruntur ad AUDITUM EVANGELIUM, quæ sæpe non anno, non annis efficiuntur. Quæ pars adversa ita negligenter & perfunctorie legens ad animum non revocavit. Et tamen hæc omnia, auditus, meditatio, notitia, assensus, non ex lege, neque ex velamine legis sunt, sed ex EVANGELIO, quippe juxta Apologiam: AUDITO EVANGELIO. Quid clarius est, quam fidem antecedere complures actus Evangelicos, adeoque veros & à Spiritu S. effectos, idque juxta ipsam Apologiam? Pono III. ex superabundanti, Apologiam in conversione omnia nude & simpliciter fidei adscribere, (cujus tamen contrarium hactenus evidenter probatum est) dico, aliud esse, cum loquimur generatim de conversione ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem. Tum enim terminos tantum utriusque respicimus, dicimusque, non esse aliud ad regenerationem deveniendi medium, quam fidem. Aliud, quando modum gradusque respicio, intra quos ad fidem & conversionem devenitur. Tum enim plura requiri ad regenerationem non inficiamur. Illustro simili. Ad possessionem agri alieni non devenitur nisi per solam emptionem. Hæc sola efficit veram justamque possessionem. Non occupatio aut simile quid, quæ in tentationibus, ceu velamen quoddam, non subsistunt. Hæc vere ita dicuntur, terminum ultimum possessionis cum medio ejus immediato respiciendo. Et tamen si modos gradusque intueamur, quibus ad emptionem deveniri necesse est, plura in eodem genere requiri dubitari non potest. Debet enim præcedere contractus, tum hujus in protocollum relatio, inde confectum instrumentum, denique immissio in possessionem agri. Hæc omnia vera sunt ad possessionem media. Et tamen quando generatim loquor de modo ad agri possessionem ultimo deveniendi, vulgo tantum nomino emptionem, quia illa immediate efficit possessionem. Ita & Scriptura S. & Libri Symbolici & Theologi nostri aliquando tantum in genere agunt de conversione & tum solam fidem, quod eandem tanquam im-

mediatum ejus medium producat, denominant. Aliquando agunt de modo conversionis & fidei acquirendæ, & tum adducuntur omnia media, quibus ad fidem immediate & mediate ad conversionem devenitur. Si igitur in Apologia diceretur, solam fidem efficere regenerationem, cætera omnia spuria velamina esse, tum hoc intelligeretur tantum de medio immediato & rejectione mediorum spuriorum, id est, legalium, non autem de mediis fidem efficientibus, qualis est auditus verbi & quæ eidem juxta superiora connexa sunt. Quemadmodum, qui diceret, solam emptionem verum medium esse acquirendi agri, is hoc tantum negaret, ad hanc mediorum classem non accedere raptum agri violentum, occupationem injustam & similia, nequaquam vero negaret, contractum cæteraque ad emptionem necessaria esse.

XIV. Porro Theologus: *Ad hæc talia* de velamine, *quid contradicentes? Nihil aliud, quam verum tamen esse, quod impius de DEO & Divinis credit. Hoc vero non quæstionis est. Siquidem quod diaboli credunt, etiam verum est, nec tamen propterea assensus eorum est veræ indolis.* Quid vero opus fuerat ad mirabile illud velamen, pilis quasi attractum, respondere? Quæstio mihi fuerat de aliis & opponebatur de cepis. De Evangelicis mihi sermo erat & obtrudebantur mihi legalia. Jam si verum est, quod impius credit, fides & assensus ejus verus est. Ab objecto enim, quod recipit intellectus, actus intellectus unicè denominatur. Quemadmodum à recepto calore manus calida & à recepta luce conclave lucidum vere denominatur: Ita & Diaboli assensus, cum credit, DEum esse, verissimus assensus est, non falsus & mendax, aut dubius & incertus. Quam validus est assensus, qui φρίκην seu tremorem in animo operatur? Perfectissimus igitur & plusquam perfectissimus est assensus. Neque hoc indignum aut DEO aut angelis aut hominibus est, eandem Diabolis quam his rerum in intellectu veritatem attribui. Nisi & hoc indignum sit DEO angelisque, verissimi nominis & indolis spiritum æque esse Diabolum, quam DEum angelosque. Et nisi indignum sit homine, quod Diabolus æque verissimæ indolis intellectum & voluntatem habeat ac homines. Quid veræ indolis assensui vel notitiæ deest, cum rem apprehendit, sicuti est? Dices: deest ad fructum, ad quem destinatus est assensus, applicatio.

At

At hæc non ad essentiam notitiæ, sed ad effectum ejus pertinet, qui notitiæ externus est. Notitia agri colendi in rustico verissimi nominis notitia est, etsi agrum non colat, quamquam notitia colendi agri ad culturam ejus sit destinata.

XV. Sed & reliqua, quæ Theologus in hoc quidem argumento objectat, audienda sunt. *Addunt*, ait p. 87. *experientiam testari, immotum esse multorum infidelium assensum. At vero si immota est persuasio, exinde non etiam Divina fide talis est. Legantur de superstitione Turcarum Busbecquius, aliique. An Divina fide immotum dicemus, quem Muhammedi assensum adhiberi audimus pertinacissimum? Quod apud Christianum originem sumat ex verbo DEI, non juvat errorem; siquidem ab impio verbi DEI efficaciæ resistitur, quæ licet actu primo, seu virtute ipsa, in verbo semper sit maneatque, quoad tamen actu secundo, seu exercitio, se non potest propter hominis repugnantiam exserere, non tantum Divinam fidem nullam efficit, vel si qua fuit, haud conservat, verum etiam contra per justum judicium relinquit odorem mortis ad mortem, 2. Cor. II. 16. efficaciamque erroris, ut credatur mendacio, 2. Thess. II. 11. Ita verò si quis assensum adhuc præbeat historicum Divinis veritatibus nonnullis, hiccine esse poterit assensus Divinæ fide immotus, perfectus, perfectissimus? Quam HORRENDUM hoc dogma!*

XVI. At vero quæcunque persuasio nititur infallibili verbo Divino, eam Divina fide talem esse, nonnisi, qui rationi omni bellum indixerit, negare potest. Persuasio, quæ hominis vulgaris fide nititur, & ipsa vulgaris est, quæ viri gravis testimonio, humanitus certa. Quomodo itaque fieri potest, ut quæ Divina auctoritate nititur, fidem non efficiat, principio suo conformem, id est, Divinam? Quam lepidum vero est, Muhammedanorum nobis persuasionem stupidam brutamque opponi, quæ nititur Alcorani verbo, mendaciorum fabularumque promo condo? Hominis Christiani ex fide & pietate in peccatum contra conscientiam prolapsi, assensus verbo Divino infallibili, etiam post lapsum immota adhuc persuasione adpositus, non tantum originem habet ex verbo Divino, sed eidem etiam firma sententia innititur. Ipsum neget sensum, qui hoc inficietur. Manet enim in eo actualis & inhærens Spiritus Sancti juxta *Musæum* gratia & juxta *Dannhaverum* lumen supernaturale, quale ante lapsum fuerat, quæ implicat

esse sine assensus certitudine immota & verè Divina. Neque etiam hic assensus in lapso est tantum in actu primo, (quamquam qui in actu primo inest, non minus verissimus & Divina fide nitens assensus est, quam qui in exercitio est constitutus) sed & in actu secundo. Nam juxta *Musæum* pulsat & nonnunquam ad pœnitentiam exemplo Petri adducit, & juxta *Dannhawerum* revocat ad gratiam, quod est exercitium actus primi. Falsum igitur est, quod propter hominis repugnantiam se assensus ille exerere non possit. Repugnat lapsus non assensui, neque assensus exercitio, ceu hactenus ostensum, sed ultimo assensus fini & effectui, extra assensus essentiam posito, id est, conversioni. Neque etiam vel assensus vel assensus exercitium, quæ quamdiu adsunt, Divina fide nituntur, sed malitia illa & præfractus hominis lapsi animus, quo hunc assensum & ejus exercitium non ad usque conversionis effectum, contra scientiam & conscientiam propriam, eamque certitudine Divina nitentem, deducere vult, hæc, inquam, malitia justo DEI judicio odorem Evangelio, in assensu latente, conciliat mortis ad mortem, & si in præfracto animo permanserit, efficaciam erroris immittit, ut loco veritatis, Divina certitudine animo impressæ, mendaciis credat. Denique vix oculis credi potest, cum apud Theologum legitur, horrendum esse, assensum historicum, Divinis veritatibus præbitum, assensum esse Divina fide immotum, perfectum & perfectissimum? Solus ille assensus, qui nudæ historiæ, extra orbem credendorum positæ, e. gr. quod Abraham uxorem duxerit, cujus nomen Kethura fuerit, præbetur, qua & in quantum eidem fidem adhibeo ob auctoritatem infallibilem dicentis, seu cum *Musæo* loquendo revelantis ut revelantis, assensus est Divina fide immotus & perfectus. Quanto magis, si assensus præbetur historicus veritatibus Divinis in fidei doctrina? Quicunque assensus, quocunque nomine veniat, sive sit historicus, sive Ethicus, sive Mathematicus, sive Theologicus, si principio nititur Divino & infallibili, cur non ipse sit Divinus & infallibilis? Ita præconceptæ opiniones animum nonnunquam fascinant, ut apertis oculis non videant, quod vident, qui nondum ære lavantur.

XVII. Ita absolvimus primum conclusionis adversæ membrum, quo probare intenderat Auctor, horrendum esse, hominibus

hominibus non tantum irregenitis, sed etiam impiis & in peccata mortalia prolapsis adscribi veram rerum sacrarum notitiam, verumque assensum, eundemque fide vere Divina & infallibili nixum. Et nunc consideratis & discussis iis, quæ pro horribilitate illa adduxerat, liberum cuilibet judicium relinquo, quam sententiam approbare velit. Nunc ad alterum Conclusionis membrum deveniendum est, in quo inusitato fervore, Pelagianismis mihi objectandis me propemodum enecans, contendit, Pelagianum *Augustino* esse, & ad naturalia ipsi pertinere, quicquid fidem & completam conversionem antecedat, quocunque nomine veniat. Dari vero in homine irregenito notitiam & assensum ante regenerationem immotum, PLUSQUAM PELAGIANUM esse. Qui itaque notitiam & assensum ante regenerationem gratiæ vocabulo vestiant, IN PELAGIANISMI NERVO OMNIUM MAXIME DETESTANDO VERSARI. Et nos, hujus hypotheseos defensores neque oculis, neque auribus uti voluisse, ut errorem agnoscentes deponeremus. Ita zelus domus Domini Theologum hoc in negotio consumpsit, ut ne quidem ad finem usque Disputationis ab hæretificationibus temperare sibi posset, sed tandem ita concluderet: *si quis veram DEI notitiam affirmare ausit de irregenitis, qua non pertinaciter resistentibus, constat satis, eum fovere manifestum Pelagianismi nervum, quantumvis subtiliorem: si vero de irregenitis, qua pertinaciter resistentibus, in hoc ipso Pelagianismi nervum crassissimum versari.*

XIIX. Ut ex crassissimo hoc pestilentissimæ hæreseos Pelagianæ nervo me eripiat partis adversæ Defensor, ante omnia rogandus mihi est, ut eos mihi haud gravatim nominet Theologos, quorum hac in re vestigia premat? Videtur enim mihi admodum suspectum, concredere me Theologo, in æstu disputationis constituto & cæterorum omnium vestigia deserenti. Quod & sibi suspectum esse, in fine opusculi sui ingenue ipse ex *Chemnitio* profitetur Theologus. Ego vero libenter fateor, non legisse me apud ullum alium Theologum, eum fovere manifestum Pelagianismi nervum, quamquam subtiliorem, qui docuerit, hominem irregenitum, in via ad conversionem constitutum, neque motibus gratiæ prævenientis & præparantis pertinaciter reluctantem, veram habere re-

rum sacrarum notitiam. Crassissimi autem Pelagianismi reos esse, qui in homine impio & in peccata contra conscientiam prolapso, supernaturale lumen, quod sine vera notitia esse non potest, & inhærentem atque actualem Spiritus S. gratiam, quæ multo minus sine vera notitia, veroque assensu esse potest, supersesse statuunt. Nam in *Chemnitio*, in *Hunnio*, in *Huttero*, in *Gerhardo*, in *Brochmando*, inque ipso *Musæo*, qui illius hæreseos historiam in articulo de Libero arbitrio consignarunt, nihil tale legere possum. Mihi autem verosimile non est, si potissimus & subtilissimi & crassissimi Pelagianismi nervus iis in doctrinis latuisset, futurum fuisse, ut tanti doctores eundem silentio transmisissent. Id quidem lego, non apud Theologos tantum quosdam, sed & apud ipsos scriptores Sacros, notitiam hominis impii, virtutum praxi destitutam, non tantum veram non esse notitiam, sed præterea homini exitiosam, sed cum per ἰμφάσεως figuram, non diffitente Theologo, ita loquantur, ad exaggerandam grandem impietatem, qua homines impii verissima quamlibet notitia ad scelera sua abutuntur, clarissime patet, detracta figura, manere non tantum notitiam sacrorum veram, sed eo veriorum, quo majori magisque detestando abusui obnoxiam.

XIX. Secundo scire velim à Theologo, an igitur existimet, extra controversiam positum esse, *Augustini* adversus Pelagium scripta normam esse cognoscendi Pelagianorum dogmata? Jamdiu Theologi edixerunt, Pelagianorum doctrinam primo & maxime ex conciliis cognosci, quæ contra eos instituta fuerunt & per varios canones veriori doctrinæ robur addiderunt & anathematismis Pelagianorum errores confixerunt. In his vero conciliis Pelagianorum erroribus nunquam accensentur illi, quos tanto ardore hic perstringit Theologus. Quos tamen omnium principalissimos & tanto cum periculo conjunctos esse judicat, ut nisi omni vi cohibeantur reprimanturque, de Ecclesia nostra actum esse edicat. Edic igitur, Theologe, cur tam grandes & trabales errores in nullo horum conciliorum, quorum tamen non unis *Augustinus* ipse interfuit, anathemate fuerunt percussi? An non hoc grande indicium est, eo tempore à catholica Ecclesia pro erroribus agnitos non fuisse, sed privatis *Augustini* sen-

ten-

tentiis accensitos? Inprimis cum tam varius, tam inconstans in recensenda Pelagianorum doctrina fuerit, ut quid in ea perstringere, quid calculo suo approbare vellet, ne lector quidem oculatissimus perspicere posset. Adnotarunt hoc Theologi nostri passim. Ne quid dicam de eo, quod æstu persequendi Pelagianos in alterum Prædestinatianismi extremum non sine casu lapsus esse videretur. Qua vero de re postea dicendum erit.

XX. Jam tertio quæcunque Theologus p. 88. & sqq. pro inseparabilitate veræ notitiæ à fide loca ex *Augustino* adducit, ea hoc in ore nequaquam gerunt. Omnia enim eo tendunt, ut contra Pelagium ostendant, ad gratiam non sufficere revelationem, notitiam & assensum, merum nudumque, sed innexam ei gratiæ Divinæ efficacitatem, præterea requiri, qua homo ad cognitorum fidem, spem, amorem, Divina & supernaturali virtute deducatur & adeo non suadeatur tantum, quod dixerat Pelagius, sed &, quantum in se est, persuadeatur. Quod ex illo Christi probat: *nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et paulo post: *dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.* Manifestum hinc est, *Augustinum* id tantum in Pelagio desiderare, quod Scripturæ promissionibus meram vim & persuasionem moralem, Divina supernaturali virtute destitutam, adscripserit. Quod merito improbat & insectatur *Augustinus.* Econtra cum concurrere debere ad hominis conversionem quendam supernaturalem DEI PATRIS tractum profitetur, non intelligere potuit vim quandam violentam & irresistibilem, qua in momento & instanti, nullo præcedente ordine, fidem & conversionem producat, sed per certos potius gradus, à Divina ipsius sapientia constitutos. Quod adeò verum est, ut id ipse Theologus agnoscat, dum superioribus *Augustini* verbis hæc sua subjicit: *quibus verbis gravissimus Pater Hipponensis non negat, doctrinam Evangelicam, in se spectatam, gratiam esse: nec negat, NOTITIAM EJVS GRATIÆ DONUM esse; sed negat, quamvis notitiam, quemvis assensum, gratiæ effectum esse ejusmodi, qui vere gratiæ conveniat, seu Divinæ fidei nomen mereatur, nedum ut immotus habeatur assensus ante regenerationem, quod plus-*

quam

quam Pelagianum eſt. Ex quibus verbis argumentamur: quicquid eſt donum gratiæ ex doctrina Evangelica in convertendo promanans, id qua tale non eſt donum naturæ Pelagianum. Atqui notitia rerum ſacrarum in irregenito convertendo. Ergo. Quid enim, rogo te, eſt donum gratiæ, quam effectus gratiæ? An quod tibi donatur à Rege, non eſt effectus gratiæ Regiæ? Jam amplius: quicquid eſt effectus & donum gratiæ, id vere gratiæ convenit. Notitia & aſſenſus. Ergo. Eſt enim contradictio in adjecto, effectum aliquid eſſe gratiæ & tamen gratiæ vere non convenire. An poteſt aliquid eſſe effectus laboris, & tamen labori vere non convenire? An poteſt aratio effectus eſſe agricolæ & tamen agricolæ vere non convenire? Vide, quam abſurde dicatur: gratiæ effectum eſſe notitiam hominis irregeniti & tamen notitiam gratiæ vere non convenire. Longe magis abſurda eſt collectio: quicquid Divinæ fidei nomen non meretur, id non vere eſt gratiæ. Nam nullum donum, nullus effectus gratiæ prævenientis & præparantis fidei Divinæ nomen meretur, tendit enim demum ad fidem Divinam. Et tamen eo ipſo omnis effectus gratiæ prævenientis & præparantis eſt vere gratiæ, quia eſt gratiæ, non naturæ. Quicquid eſt effectus gratiæ, non naturæ, id vere eſt gratiæ. Quicquid eſt effectus gratiæ prævenientis & præparantis, id eſt effectus gratiæ, non naturæ. Ergo. Denique: Ex quocunque naſcitur fiducia in meritum Chriſti immota, in qua forma & eſſentia fidei conſiſtit, id ipſum debet eſſe Divina fide immotum. Immotum enim & Divinitus certum ex cauſa dubia & incerta provenire non poteſt. Matth. VII. 24. 25. Immotum ædificium immoto debet fundamento niti. Atqui ex notitia & aſſenſu. Ergo. Videt igitur Theologus, omni conatu ſtudioque ſuo ipſum non probaſſe, juxta *Auguſtinum* ante fidem & regenerationem non dari veram ſacrorum notitiam, immotumque aſſenſum, ſed contrarium potius ex verbis *Auguſtini* à Theologo adductis & expoſitis ſole clarius apparere.

XXI. Videamus nunc quarto plures Theologi rationes, quibus probare contendit, *Auguſtino* omnem notitiam & aſſenſum, fidem & converſionem antecedentem, nomine veræ notitiæ verique aſſenſus indignam eſſe. Quare verba *Auguſtini*

ſtini hæc allegat: *Qua gratia agitur, non ſolum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec ſolum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.* Quibus hanc ſuam notulam ſubjicit: *niſi ergo iſthæc indoles ſe exerit, nondum vera eſt illuminatio, ſeu cognitio, ſed Pelagiana.* Reſpondetur: Præceptoris opera id agitur, ut non tantum eloquentiæ ſtudio Titius incumbat, ſed & orationes conſcribat & cauſas agat in foro. Titius cauſarum agendarum tædio ductus, in eloquentiæ tamen ſtudio excellit. Ergo niſi hæc indoles, cauſas agendi, in Titio ſeſe exſerat, non eſt vera eloquentiæ in eo notitia, ſed Pelagiana. Argumentatio eſt prorſus ſimilis. Nempe aliud eſt agere, ut hoc fiat, aliud agere, eousque donec factum fuerit, ſive reſiſtatur, ſive non reſiſtatur. Quoties omnibus viribus agitur & laboratur, ut hoc fiat, & tamen propter obſtaculum incaſſum?

XXII. Alius producitur à Theologo ex Auguſtino locus: *Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altius & interius eam DEus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolum per eos, qui plantant & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſe ipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita ut non oſtendat tantum veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* Ex quo concludit: *Quamdiu ergo reſiſtitur Spiritui Sancto, quo minus per notitiam atque aſſenſum eò eniti poſſit: effectus gratiæ nondum eſt verus dicendus, nedum immotus, Divina fide, ſed perſuaſio Pelagiana.* Cur vero non eadem conſequentia addit: immo non impertiat tantum juxta *Auguſtinum* charitatem, ſed charitatem etiam usque ad finem vitæ conſervet, neque adeo ullus amplius renatus ex fide excidere poſſit? Eſt enim idem prorſus nexus inter impertire charitatem & eandem conſervare, qui eſt inter oſtendere veritatem & impertire charitatem. Is enim qui promiſit charitatem mediante veritate, is & promiſit conſtantiam mediante veritate & charitate. 2. Tim. I. 12. 14. Anne & perſuaſio Pelagiana fuit in Paulo, quod DEUS φύλαξει, conſervaturus ſit ipſi depoſitum, ſi illud amiſiſſet? Sicut amittere illud poterat & reprobus fieri. 1. Cor. IX. 27. Notitia & aſſenſus eſt effectus gratiæ verus, quamquam nondum completus. Sicut regeneratio & ſanctificatio effectus eſt gratiæ verus, quamquam ſine perſeverantia nondum com-

pletus. Quando donat Princeps nobili mediante diplomate prædium, effectus est gratiæ Principalis verus, quamquam ante immissionem in possessionem prædii nondum completus.

XXIII. Plura nunc Theologus coacervat *Augustini* effata, quibus indivulsam veræ notitiæ cum fide & regeneratione connexionem asserere videtur. Quale est illud: *qui novit quidem, quid fieri debeat & non facit, nondum à DEO didicit secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum Spiritum, sed secundum literam.* Item: *Prorsus non recte dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet DEUS. Si enim, sicut veritas loquitur, omnis, qui didicit, venit, QVISQVIS NON VENIT, profecto nec didicit.* Rursus: *Ac per hoc, quando DEUS docet, non per legis literam, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo exprimat, agendoque perficiat.* Denuo: *Non dixit Christus, qui audivit à Patre & didicit, potest venire ad me, sed qui audivit & didicit, venit ad me. Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi voluerit atque fecerit. Sed omnis, qui didicit à Patre, non solum potest venire,* actu primo, *sed venit,* actu secundo, *ubi jam & possibilitatis profectus & voluntatis affectus & actionis effectus est.* Ex quibus similibusque concludit Theologus: *Cur vero non didicit, nec cognitio illa est Divina? Rationem ponit contra Pelagium, in nexu intellectus & voluntatis inseparabili, ut qui voluntate resistat, nec intellectu vere illuminetur, cujus contrarium Hypotheseos defensores cum Pelagio venditant.*

XXIV. Non diffiteor, hic unicus est locus, ex *Augustino* productus, qui causæ adversæ magna cum specie patrocinari videtur. Velim igitur audiri & probe atque citra omnem affectum expendi responsiones meas. I. Si juxta *Augustinum, qui, quid fieri debeat, novit & non facit, non didicit secundum gratiam & secundum Spiritum, sed secundum literam & secundum legem,* cur ipse igitur *Augustinus* gradus gratiæ tam sollicite distinxit, adeo ut juxta ipsum, recensente fusè *Chemnitio* in Locis de Lib. Arbit. p. 193. seq. duo gradus, non naturæ, non legis, non literæ, sed gratiæ & Spiritus, Spiritus nempe Sancti, in officio sanctificandi & hominem per hos gradus convertendi constituti, præcedant, antequam in tertio & quarto,

(qui-

(quibus tamen etiam resisti potest, ut non resistatur prioribus) *quod didicit, facit*, si, qui non facit, non per gratiam, sed per legem tantum & literam didicit? An gradus gratiæ sunt lex & litera? Argumentor: quicunque gratiam in prioribus gradibus in homine operari docet, ut convertatur, in tertio tantum quartoque gradu, quæ didicit, facit, is gratiæ, non legis aut naturæ esse docet, discere & non facere. Atqui *Augustinus*. Ergo. Dicit autem *Chemnitius* p. 194. juxta *Augustinum* primi gradus, qui est gratia præveniens, gratiam consistere *in sancta cogitatione, bono proposito & cupiditate seu desiderio boni*. Allegat eam in rem loca sole clariora, quæ fateantur, desiderare auxilium gratiæ esse initium gratiæ. Secundi verò gradus gratiæ, quæ sit præparans, operationes juxta *Augustinum* ait esse p. 197. *præparationem mentis & voluntatis, ne repugnent Spiritui S. sed assentiantur & obsequantur*, exemplo Lydiæ, quæ ATTENDIT sermonibus Pauli. Denique tertii quartique gradus gratiam ait juxta *Augustinum* consistere *in illuminatione mentis & intellectus & in renovatione voluntatis, ut probemus, quæ DEO sint complacentia & in facultate ex animo obediendi DEO*. Credat itaque Theologus uni *Augustini* loco, in quo, quæcunque antecedunt τὸ facere, à natura, à lege, à litera esse profitetur, ego credam pluribus ejus à *Chemnitio* productis locis, in quibus sanctam cogitationem, bonum propositum, desiderium boni, assensum & attentionem, virtutes seu actus hominis, subjectivè in ipso existentes & quidem ante regenerationem, ante τὸ facere dicit esse, non à natura, non à litera, non à lege, sed à præveniente & præparante gratia. II. *Chemnitium* ita *Augustinum* intellexisse probatur ex conclusione, quam facit p. 198. ubi propriam simul sententiam suam proponit; ubi inter alia: *quando discimus, NON EX RATIONIS SPECULATIONIBUS oriri sanctas cogitationes, pium desiderium & consimiles salutares motus, ne de nostris viribus gloriemur, sed agnoscamus esse GRATUITUM DONUM OPERANTIS SPIRITUS SANCTI*. Iterumque: *quando vel effundimus talia dona, vel in terram defodimus, cogitemus, non naturæ nos nostræ injuriam facere, sed ipsius Spiritus Sancti manibus operantibus in nobis repugnare*. Quid hoc aliud est, quam primos gratiæ gradus non esse à lege, à natura, à litera, sed à gratia Spiritus Sancti su-

pernaturali? III. Jam ſancta *Auguſtini* cogitatio, bonum propoſitum & deſiderium boni, an ſine notitia & aſſenſu earum rerum, quas cogitamus, proponimus, deſideramus, eſſe aut provenire poſſunt? Magica hæc vis foret, non virtus Spiritui Sancto conveniens. Ut igitur juxta *Auguſtinum* cogitatio, propoſitum, deſiderium non eſt à natura, ſed à gratia: ita juxta *Auguſtinum* notitia & aſſenſus, piam cogitationem, propoſitum plura diſcendi & deſiderium ſalutis procreantes, non à natura ſunt, ſed à gratia. IV. Ignorare non poteſt Theologus, ob illas ipſas id genus locutiones, quales heic ex *Auguſtino* produxit, accuſatum eſſe â noſtræmet fidei profeſſoribus *Auguſtinum*, ac ſi cum Calvinianis gratiam DEI irreſiſtibilem, particularem & inamiſſibilem, immò prædeſtinationem more Supralapſariorum abſolutam docuerit. Loca jam olim ſignavit Libro VI. Hiſtoriæ Pelagianæ *Gerh. Jo. Voſſius*. In Academia vero Julia, ſub Præſidio *D. Calixti*, (illius ipſius, ad quem in hoc ipſo de gratiæ indole argumento mox provocabit, tanquam ad indubitatæ veritatis doctorem, ipſe Theologus nobis adverſus) idem ſenſiſſe *Jo. Latermannum*, in publicum notum eſt. Fuſius paulo poſt in eo comprobando verſati ſunt, Syncretiſmo inde ſuo patrocinium quæſituri, in Epiſtola Apologetica, Theologi Rintelenſes. Quamquam vero ab hac dica immunem pronunciaverint Auguſtinum noſtræ partis Theologi, quos inter hac in parte cumprimis deſudarunt *D. Abr. Calovius* in Harmonia, Theologi Wittebergenſes in Epiſtola Antapologetica, *D. Seb. Schmidius* in Examine ſolido, vernaculo ſermone anno MDCCIII. edito, aliique complures; ego tamen diſſentienti Theologo unum tantum alterumque ex *Auguſtino* offeram locum, quos ab illis *Auguſtini* hyperaſpiſtis ſano ſenſui reſtitutos & à Prædeſtinatianiſmo liberatos eſſe non inveni, petamque, ut me, an illi & quousque à Prædeſtinatorum doctrina abeant, pro eruditione ſua informet. Itaque *Auguſtinus* libro tertio contra Pelagianos: *Cur hoc illi operetur DEus, illi non operetur, me tuentem me & trementem judicia ejus inſcrutabilia, nolo interroges: quia quod lego, credo & vereor, non autem diſcutio. Quis enim eſt homo, ut reſpondeat DEO? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quare me*

ſic

sic finxisti? Habet enim potestatem figulus luti ex eadem massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud in contumeliam. Sed interroga eum, qui dixit: nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit illum. Item: vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, cæteris non est datum. Itane Lutherani an Calviniani ad propositam quæstionem responderent? Ita Scripturarum dicta illi an hi exponerent? Sed conferatur cum hoc locus ille, qui legitur capite quarto & decimo libri de Conceptione & Gratia: *id quod scriptum est, quod vult omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiunt multis quidem modis intelligi potest. Sed hic unum dicam. Ita dictum est, omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati, quia omne genus hominum in iis est. Sicut dictum est Pharisæis: decimatis omne olus. Ubi non intelligendum, nisi omne, quod habebant. Neque enim omne olus, quod erat in toto terrarum orbe, decimabant. Sicut &: ego omnibus per omnia placeo. Numquid enim, qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominum, quod Christi congrebabat Ecclesiæ, sive ja intmus positis, sive introducendis in eam.* Quid tibi videtur, pars adversa, de tali voluntatis salvandi universalitate? Et annon Particularismus fulcrum est Prædestinatianismi? Sed producamus locum alium ex capite octavo libri secundi de Bono Perseverantiæ: *Ex duobus parvulis, originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia DEI. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia DEI. Illud autem fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex Prædestinatis, illum non esse. Num si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Quid tibi videtur, Theologe, possetne Prædestinatus aliter loqui? Vide vero simul hac occasione, an ovum ovo similius esse possit, quam hæc collectio *Augustini*: si lapsus fuisset ex nobis, mansisset utique nobiscum, ex 1. Joh. II. 19. Ergo quia non mansit nobiscum, nunquam fuit ex nobis, id est, nunquam fuit conversus: cum illa *Augustini* altera, de qua nunc nobis quæstio est: *omnis qui didicit, venit* ex Joh. VI. 45. Si didicisset, utique venisset. Quia itaque non venit,

itaque nec didicit, id est, notitiam veram non habuit. Annon sole clarius est, si hæc consequentia vera sit, veram esse necessario & illam priorem, adeoque neminem semel conversum in peccata contra conscientiam prolabi, consequenter damnari posse? Et annon hinc æque pronascatur suspicio Prædestinatorum erroribus *Augustinum* fuisse imbutum, quippe qui cum hodiernis hujus erroris propugnatoribus, Calvinianis, ut irresistibilem & particularem, ita & inamissibilem esse regenerationis gratiam doceat? Ad hæc velim solide mihi responderi. Sed nondum tamen dimitto Theologum, me informaturum. Produco itaque locum *Augustini* alium ex libro ad Simplicianum primo, quæstione secunda depromptum, quem mihi sexto Historiæ Pelagianæ libro, thesique decima suggessit *Vossius*. Is vero ita habet: *Non potest effectus misericordiæ DEI esse in hominis potestate, ut frustra illi misereatur, si homo nolit. Quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut moverentur, & intelligerent & sequerentur. Verum est ergo: multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est: non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI; quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocare aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit: igitur non miserentis DEI, sed volentis atque currentis est hominis, quia nullius DEUS frustra misereatur; cujus autem misereatur, sic eum vocat, quomodo scit, ei congruere, ut vocantem non respuat.* Et post aliqua: *Cum autem alius, sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere, defuisse DEO modum vocandi, quo minus etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?* Et mox: *Cum enim DEUS deserit, non sic vocando, quomodo ad fidem moveri potest, quis etiam dicat modum, quo ei persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuisse?* Denique: *Tenacissime firmissimeque credatur, quod DEUS, cujus vult, misereatur, & quem vult, indurat, hoc est, cujus vult, misereatur, & cujus non vult, non misereatur, esse aliquid occulte atque ab humano modu-*

lo

lo investigabilis æquitatis. Non accuso *Augustinum* Absolutismi, neque ignoro, quo pacto graviſſimi Theologi, ut alia *Auguſtini* loca ad ſaniorem mentem reducant, adlaborent, ſed cum his à me productis, quæ tamen ſingulas Prædeſtinatianismi hypotheſes includere in ſe videntur, medelam adhibitam eſſe nondum legerim, neceſſe eſt, ut priusquam Theologo credam, loca ex *Auguſtino* ab ipſo producta Pelagianam hæreſin coarguere, prius devolvat ab *Auguſtino* Prædeſtinatianismi ſuſpicionem, Pelagianismo oppoſitam. Id enim niſi fiat, perpetua obvertitur exceptio, quod *Auguſtinus* in Pelagianis caſtigaverit, quæ caſtiganda non fuerant, adeo ut inde etiam in contrariæ hæreſeos ſuſpcionem inciderit. Atque hoc denique V. non negant etiam ii Theologi, qui *Auguſtinum* ab Abſolutismo abſolvunt, ardore eundem Pelagianis ſeſe opponendi ſæpe vel loquendi formulas uſurpaſſe, vel ſententiis quibusdam adhæſiſſe, quæ periculum orthodoxiæ non leve creare videantur, vel in Pelagianis, quæ reprehendenda non fuerant, reprehendiſſe. Qua de re *Varenius* noſter in Breviario pag. 203. *Auguſtinus*, ait, *in quæſtionibus quibusdam incidentibus, dum Pelagianas, pro gratia vehementer diſputans, procellas horreſcit, oppoſitum premendo litus iniquum, in modificatione illius gratiæ, velut IRRESISTIBILIS & ABSOLUTE PARTICULARIS, illa reliquit, quæ pro Calvinismo militare videri poterant, niſi & ex reſpectu ad principalem ſcopum & ex locis aliis longe plurimis excuſandus ſive vindicandus foret.* Ceu & hoc extra controverſiam poſitum eſt, de Pelagianorum erroribus non ex *Auguſtino*, ſed ex conciliis, in quibus eorum errores nominati & rejecti fuerunt, judicium indubitatum ferendum eſſe. Poſtremo omnem Theologi conatum, quo vel ex ipſa Scriptura vel ex Auguſtino comprobare inſtituit, nihil eſſe vere ſpirituale, quod in nuda notitia conſiſtat, nec cum voluntatis obſequio ſit conjunctum, eo quod dicatur: *omnis qui audit à Patre & diſcit, venit ad me*, ergo, qui non venit, vere non didicit vel cognovit, notorie irritum reddi per ſimilem loquendi rationem: *ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent apud nos*, ergo qui in fide ſemel accepta non manent, fideles vere nunquam fuerunt. Hunc nodum, qui *Auguſtinum* in interpretationem loci Prædeſtinatia-

tianam seduxit, ita solvat Theologus, ne alterius loci interpretatio aut ipsummet in Calvinismum præcipitet, aut totum unicumque doctrinæ suæ robur, quo indivulsam notitiæ intellectus cum obsequio voluntatis conjunctionem evincere intendit, in fumum abeat & aërem.

XXV. Repetit Theologus frequenter, *Augustinum* perpetuo docuisse, ad veri nominis gratiam non sufficere, posse esse a DEO, sed præterea requiri, ut τὸ posse cum velle sit conjunctum. Verum ego, adductis in superiore paragrapho amplissimis solidissimisque rationibus, *Augustini* auctoritatem & testimonium in causa Pelagiana non assumo, donec mihi idem vel ex conciliis contra Pelagianos habitis, vel ex ejus ævi doctoribus, vel etiam ex hodiernæ Ecclesiæ consensu idem fuerit comprobatum, immo & satisfactum dubiis, in superiori discursu propositis. Nunc ad eo efficacius convincendum penitusque confundendum adversarium, summam ipsi hypotheseos suæ absurditatem ob oculos ponam, qua docet, quicquid conversionem antecedit & viam ad conversionem parat, non esse ex gratia, sed id tantum veræ notitiæ, à Spiritu Sancto provenientis, nomen mereri, quod indissolubili vinculo cum regeneratione connexum est: seu verbis *Augustini* loquendo, quando velle actu ipso non sequitur, τὸ posse etiam non esse à DEO. Pono itaque exemplum. Homo pauper emere domum non potest, qua tamen indiget, quamque ut rem bonam & utilem desiderat. Dives donat ipsi pecuniam, præbet omnem emendi occasionem, hortatur, rogat, impellit ad eam emendam, quantum in se est, tantum ut non cogat. Si emit, & potentia emendi & voluntas est à divite, si non emit, potentia emendi in paupere manet, sed velle ex propria malitia reprimitur. Irregenitus regenerationem ad vitam beatam desiderat, ut rem bonam & sibi utilem. Sed ex proprio ære & viribus, quas non habet, obtinere non potest. DEUS, qui dives est misericordia, donat ipsi per gratiam, notitiam, assensum & quicquid ad regenerationem, ut sciat, quid ipsi agendum sit, ut regeneretur, opus est, omnibus modis etiam voluntatem ipsius movet, excitat, impellit, (tantum ut non cogat) ut velit accipere fidem, ipsi oblatam, quâ rege-

regeneretur. Irregenitus reliqua omnia accipit, ubi ad fidem deventum est, ex propria malitia renuit. Quid aliud sequitur, quam, si irregenitus fidem acceptet, & potentiam acceptandi & voluntatem â DEO esse? Quippe qui voluntatem, quantum in se juxta ordinem à se constitutum fuit, excitavit, tantum ut non cogeret. Si vero fidem non acceptat, potentiam & media credendi vel plane non perire, (sicut pauper potest donatam pecuniam, etiamsi domum non emat, retinere) vel pedetentim per malitiam, negligentiam, oblivionem perire. (sicut pedetentim potest pauper ille pecuniam deglutire) Adhuc clarius. DEus irregenito suggerit occasionem audiendi verbi Divini. Irregenitus potest audire verbum per hanc gratiam oblatum. Potest tamen denegare auditum per naturalem malitiam. Et si denegat auditum, absurdum esset dicere, ideo non fuisse per gratiam oblatum, aut oblationem ipsum non percepisse. Si audit irregenitus, DEus per gratiam in verbo latentem ipsi repræsentat ingentes thesauros sapientiæ & scientiæ Divinæ & salutis propriæ. Irregenitus per gratiam potest attendere huic repræsentationi & eandem ad animum revocare. Potest tamen per naturalem malitiam parum curare, quæ dicuntur & hos thesauros, antequam solidam eorum notitiam habeat, flocci pendere. Et si parum attendit, absurdum esset dicere, thesauros non fuisse per gratiam recluſos & ipsum irregenitum subjective repræsentationem non intellexisse. Si ad animum revocat irregenitus, DEUS per gratiam verbi Divini verum sensum magis magisque per majorem notitiam ei patefacere & amorem verbi majorem in illo accendere adlaborat. Irregenitus potest per gratiam admittere hoc scrutinium & notitiam & amorem erga verbum majorem concipere. Potest tamen etiam respuere per naturalem depravationem. Si respuit scrutinium, absurdum esset dicere, admissionem ad animum vere non revocasse. Si admittit majus scrutinium verbi, majoremque amorem, tum assensum mysteriis ad salutem necessariis, omnibus & singulis præbendum, partim per argumenta in Scriptura comprehensa, partim per virtutem ineffabilem, in verbo latentem & petras, nedum corda, commovere valentem, non tamen irresistibiliter ad assensum cogentem, in irregenito, quantum in se salvo ordine suo fieri potest, efficit. Irregenitus potest per gratiam assentiri & per

naturalem malitiam mysteria pro stultitia habere. Et si pro stultitia habet mysteria, absurdum esset dicere, ideo per gratiam notitiam eorum accuratiorem non acquisivisse. Si assentitur mysteriis, assensum DEus per gratiam contra omnes insultus & objectiones, ut & fiducia, huic assensui innixa, firma & immota esse possit, idoneis præsidiis, quantum in se servato ordine est, tamen non cogendo, aut irresistibiliter, roborat. Quousque enim assensus, tanquam fiduciæ fundamentum, non est immotum, fiducia non potest consequi immota. Hebr. XI. 1. Irregenitus assensum in omnibus fidei mysteriis firmum & immotum admittere per gratiam potest. Nisi enim hoc posset, fidem firmam & indubitatam concipere non posset. Negata enim causa negatur effectus. Potest vero per naturalem corruptionem immotam mysteriorum notitiam negligere. Et si hoc negligit, absurdum esset dicere, nullum plane eum assensum mysteriis præbuisse. Si irregenitus immotum præbet omnibus mysteriis assensum, fiduciam quoque immotam in meritum Christi, sufficienter in omnium articulorum fundamentalium connexione cognitum, una cum vitæ innocentia, itemque fidei in Christum, ad testandam veram fidem, imperterritam professionem, DEus offert, & quantum in se est, servato ordine suo procurat. Irregenitus per gratiam fiduciam acceptare & vitæ sanctitatem cum imperterrita fidei confessione testari, adeoque regenerari & converti plenarie potest. Potest vero per naturalem corruptionem, ob respectus quoscunque temporales, fidem neque concipere, neque coram hominibus profiteri. Et si hoc fecerit, absurdum esset dicere, immotum mysteriis assensum ipsum non præbuisse. Habes hic totum conversionis nostræ ordinem, tam clare, ut sol ipse clarior esse non possit, descriptum. Quid in hoc ordine Pelagianum est, ubi gratiæ in conversionis negotio omnia, naturæ nihil prorsus tribuitur?

XXVI. Regreditur Theologus ad institutum suum pristinum & ostendit, longe Pelagianius esse, immotam notitiam & assensum homini impio & in peccata mortalia prolapso adscribi. *Quando autem*, inquit p. 92. *non dubitant, de ipsis etiam impiis & lapsis, qui pertinaciter resistunt*, (vetus hæc est Lyra & ipso oculari sensu falsa, impios & lapsos pertinaciter resistere veræ notitiæ & immoto assensui. Resistunt fidei seu fiduciæ, cum con-

consequentibus, quæ ex notitia & assensu oriri debebant. Et ne hoc quidem semper pertinaciter; alioquin per elegantem Novatianismum nullus lapsus redire ad gratiam posset. Notitiam autem & assensum, etiam immotum, plurimi lapsi, testibus *Dannhawero & Musæo*, retinent, quippe qui per illam ipsam notitiam & assensum, tanquam campanam quandam, in ipsis post lapsum relictam, cui gratia Spiritus Sancti supernaturalis perpetuo annexa est, revocantur, non actu tantum primo sed eo ipso, quia actu secundo per eam sollicitantur & revocantur, actu secundo) *eandem notitiam & assensum profiteri, qui adhuc Divinæ fidei immotusque sit, licet gratiam sic descriptam velint, certe naturam meram gratiæ vocabulo inique vestiunt, more Pelagii. Qui sane Pelagianismi nervus* (certe stramineus & aranearum telis fragilior!) *est omnium maxime detestandus, propterea quod animi incauti hoc dolo sub gratiæ nomine in natura corrupta obfirmantur. Sed hypotheseos defensores neque oculis neque auribus uti voluere,* (ô miseros & malitiosos homines, talpa magis cœcos & lapide magis surdos!) *ut errorem agnoscentes* (tam siculneis argumentis demonstratum) *deponerent.* Respondetur: Quæcunque notitia & quicunque assensus hunc ipsum in finem à Spiritu S. supernaturali virtute (cum mysteria, omni rationi adversa, per rationem & naturam non possint probabilia, nedum certa intellectui reddi) irregenito per verbum inditus & in impio lapso relictus est, ut tanquam Divinum, à DEO, juxta ordinem suum procedente, conversioni destinatum medium, eundem convertere, seu fiduciam ei implantare debeat, illa notitia & ille assensus non gratiæ se vocabulo inique vestit more Pelagii, multo minus nervus est Pelagianismi detestandus, omnium minime animos incautos hoc dolo sub gratiæ nomine in natura corrupta obfirmat. Atqui notitia immota sine fiducia. Ergo. Major ex terminis nota est. Minor superiore §. ex natura ordinis, in conversione à DEO observati, probata est. Econtra: Quicunque naturæ, legi & literæ adscribunt, quod veræ gratiæ est & ab impio non minus ac ab irregenito, non ex naturalibus viribus, quibus ratio potius resistit, sed ex viribus Divinitus datis acquiritur, ii sunt Pelagiani gratiæ contemptores & incautos in detestabilem piis mentibus errorem inducunt. Atqui pars adversa. Ergo.

XXVII. Ostensum porro ex *Musæo* à se esse ait: *repugnare omnino, rationem assentiendi inevidentem esse verbi DEI efficaciam, & assensum ipsum haud esse aut manere conjunctum cum habitu piæ affectionis supernaturali.* Nec etiam hoc nos negamus. Est & in irregenito, inprimis quando ad assensum mysteriis adpositum deventum est, habitus piæ affectionis supernaturalis. Quando eo perductus est irregenitus, ut tantum verbum DEI libenter audiat & scrutetur, tum jam in ipso virtute Spiritus Sancti exoritur pia affectio erga Scripturam Sacram. Hanc enim nisi haberet, non eandem promptè libenterque scrutaretur. Quando eo perductus est, ut noverit, DEUM adeo mundum dilexisse, ut Filium suum eidem mitteret, etiamsi nondum in Filium credat, nascitur in ipso virtute Spiritus Sancti, qui notitiam illam & assensum effecit, pia erga DEum affectio, qui tantam gratiam mundo exhibuit. Et illa affectio est supernaturalis, quia natura nunquam crederet, DEum habere Filium, quem nostri causa in mundum miserit; & est Spiritualis, quia à Spiritu S. destinata est, ut sit medium, ulteriorem amorem & tandem ipsam fiduciam efficiendi, quod res naturalis nulla efficere potest. Quid igitur amplius à *Musæo* ad piam affectionem requiretur? Ais: affectio pia ex fide proveniens, ob remissa peccata & donatam Christi justitiam. Quæ sola vera affectio est, quippe fundamento nitens amplissimo, ineffabili DEI bonitate. Respondetur: omnino hæc affectio pia in eminenti gradu & affectio est & pia est. Sed exinde non sequitur: ergo cæteræ affectiones non sunt vere piæ. Filius inobediens amisit gratiam Parentis, ex quo in extremam miseriam præcipitatus est. Promittit ei Titius, se velle ipsi medium ostendere, quo Patri reconciliari possit. Cognitum enim sibi esse Parentis animum, ad misericordiam pronum. Concipit ergo illico piam erga ipsum affectionem. Medium illud est, ut compellet Sempronium, ut propitium sibi reddat Parentem, cui Parens ob summam ejus æstimationem nihil denegare possit. Filius, hac spe erectus, magis pia intensaque affectione fertur erga iratum parentem. Pater à Sempronio conciliatur Filio, qui Filium in priorem gratiam, remissis ei omnibus delictis, recipit. Filius omnium eminentissimam piam affectionem erga parentem concipit. Non tamen ideo

cæteræ

cæteræ antecedentes piæ affectiones non fuerunt vere piæ affectiones, quia illa ex ſumma fiducia in Parentis ſibi reconciliati miſericordiam profluxit. Cæteræ enim tanquam media ad hanc ultimam impetrandam erant deſtinatæ, atque ob hanc cauſam etiam vere piæ.

XXIIX. Subjicit autem Theologus illico ſequentia verba: *ſimulatque enim & quamdiu voluntas reſiſtit Spiritui S. pertinaciter, impedit hujus efficacitatem quoque in intellectu, cui aſſenſum debebat imperare.* Reſiſtentiam voluntatis in poſteriori gradu nunquam lædere aut tollere efficacitatem intellectus in prioribus gradibus, de quo unice quæſtio eſt, clariſſime demonſtratum eſt paulo ante §. XXV. De cætero poteſt equidem voluntas contra intellectus judicium frequenter agere, quod ipſa experientia in omnibus peccatis contra conſcientiam quotidie teſtatur; poteſt etiam repræſentatione vel voluptatis vel utilitatis intellectum inclinare, ut vel verum vel bonum eſſe, ſive credat, ſive credere ſe ſimulet, quod verum & bonum reapſe non eſt. Sed voluntatem poſſe intellectui aſſenſum imperare in iis, quæ intellectus, vera aut falſa bona aut mala eſſe ignorat, id quidem Scholaſticorum quorundam inventum eſt, ſed quo mihi abſonum magis nullum unquam viſum fuit. Non credo, in ullo animali ratione prædito tantum eſſe ſtuporem, ut velit imperare, quod non intelligit. At ſi intelligit, unde ejus rei haurire ſcientiam niſi ab intellectu, res ipſas extra ſeſe cum conceptibus ſuis componente, potuit? Stupidum & beſtiale eſt imperium, quod imperat, quæ non intelligit. Poteſtne voluntas imperare auribus, ut videant & oculis, ut audiant & pedibus, ut loquantur? Quis voluntati manifeſtavit, fidem in Chriſtum eſſe rem bonam, adeoque intellectui imperandum eſſe, id ut credat & aſſenſum præbeat? Anne credi poteſt, DEum, ſapientiſſimum rerum omnium conditorem, naturæ ordinem invertere, & quod officium intellectus ex ipſa creatione eſſe voluit, ut imperet nempe voluntati, id inverſo rerum ordine in voluntatem transferre? Verum eſt, res ſacræ & myſteria ſunt ſupra omnem rationem poſita & inevidentia, neque intelligi ex ſe & voluntati repræſentari poſſunt. Sed anne ideo à DEO voluntas in intellectum converti, id eſt, voluntas primo illuminari debet, ut dein & intellectum illuminet, immo etiam, quid ſentire, quid credere debeat, eidem imperet?

ret? Anne myſteria fidei intellectui non ſunt evidentia, evidentia autem ſunt voluntati? Anne qui movere voluntatem ſupernaturaliter poteſt, ut præter naturæ ordinem, ſine dependentia ab intellectu illuminetnr & ſciat, quid verum ſit, quid falſum & ex hac illuminatione intellectui revelet & imperet, quid credere, quid non credere debeat, non poteſt ſervato rerum & creationis ordine, intellectui ipſi id revelare, eundemque ad conſenſum commovere, ut ab officio ſuo ordinario, ex ipſa creatione ſibi debito, non dejiciatur, nec concreatus rerum ordo intervertatur? Inprimis cum Scriptura, quæ intellectum informat, non tantum virtute Divina & efficaciſſima inſtructa ſit, ad intellectum convincendum, ſed præterea varii generis magnarumque virium in ſe argumenta complectatur, quæ intellectum perſuadere valida ſunt, ut rationem captivet & in obſequium Spiritus adducat. Evaneſcat igitur hoc σιδηρόξυλον, confictum à Scholaſticis voluntatis imperium, cui tamen totum ſententiæ adverſæ fundamentum innititur, donec immotis id argumentis fuerit comprobatum.

XXIX. Poſtremo in hoc argumento conqueritur: *Neque auribus voluere uti ad audienda teſtimonia ipſius verbi DEI, quæ ad invidiam declinandam ex Iſagoge Carpzoviana in Libros Symbolicos p. 1212, cumulatiſſime commendavimus, docentia, notitiam irregenitorum ex verbo non ad nucleum tranſire, ſed hærere in corticibus, neque, adeo Divina fide immotam eſſe. Quid illi ad talia? Nihil reſpondent, perinde ac ſi ea non legiſſent. Nihilominus oleum & operam perdunt tot diſputationibus, quibus pervertunt cætera, quæ una ſcripſimus; ut fucum faciant lectoribus atque auditoribus ſuis, ne hi vel Carpzovianæ auctoritatis ductu audiant, ponderentque Divina teſtimonia.* Hæc Theologi iracundia ordine mihi ſedanda eſt. Itaque I. Non voluit Antagoniſta auribus uti ad audienda teſtimonia ipſius verbi DEI, quæ in Diſputatione mea de Conſectariis doctrinæ commendavi. Quid ille ad hanc? Ut cum ipſo loquar: nihil reſpondet, perinde ac ſi eam non legiſſet. Ut nempe ille mea uno momento, unoque labore refellere non potuit: ita nec ego ſua. Dices forte, diſputationem de Conſectariis à Reſpondente eſſe compoſitam, non à me ipſo adeoque à Doctore non debuiſſe refelli. Sed parum hoc efficiet apud eum, qui in mentem ſibi revocaverit, & Theologi

logi Disputationem, quæ me primum in arenam provocavit, auctorem non tantum præferre Respondentem, sed id præterea ipsummet Præsidem distertis verbis testari. Quam tamen nunc pro sua ubique agnoscit. Quod & ego ex obscuro & difficili sermone illico animadverti ipse. Solent Præsides respondentibus, nondum satis exercitatis, σκιαγραφίαν quandam argumenti, pro captu ipsorum vel copiosiorem, vel restrictiorem submINistrare, in qua polienda & elaboranda vires suas experiantur. Unde in ejusmodi exercitiis & manus subinde Præsidis & ingenium Respondentis, quæ à sapiente discerni facile possunt, comparent, ut tamen interea à Præside universa comprobentur. Quare non erat, ut Theologus laborem examinis sui à Disputatione illa averteret. II. Cur vero me in materia ipsa de irregenitorum notitia ad *Carpzovium*, vel *Olearium*, potius, ablegat, è quo discam: *notitiam irregenitorum ex verbis non ad nucleum transire, sed hærere in corticibus:* cum hoc utraque manu largiar & concedam? Nam promissio, scripto sigilloque firmata, qua mihi promittitur, fore, ut intra mensis spatium debitum solvatur, si desit intra terminum solutio, exverbo non ad nucleum transit, sed hæret in corticibus, & tamen verissima est promissio. Notitia exquisitissimi artificis, à doctore suo hausta, si ignavia torpescere incipiat, neque artis suæ ultimum finem effectumque procuret, in cortice hæret, neque ad nucleum progreditur, & tamen verissima notitia est. Quando vero à Theologo additur: *neque adeo Divina fide illam notitiam immotam esse;* id vero tam non sequi assero, ac non sequitur: artificis illius notitiam non esse veram, certam & immotam. Potest enim ad miraculum vera & exactissima esse & animo artificis immobiliter inhærere & tamen nucleo effectus carere. III. Prolixa illa *Olearii* in Appendice Isagoges Carpzovianæ probatio, quod homo irregenitus nullam habeat veram rerum sacrarum & spiritualium notitiam, in ne una quidem recula mihi contradicit. Nam partim fatetur expressis verbis p. 1213. concipere quidem hypocritas & non renatos ex verbo notitiam historicam naturalem, (quod & nos concessimus, Disp. de Pelag. Aphor. IV. §. 3.) sed tamen *si de salvifica notitia aliquid illi acceperunt*, (NB. de SALVIFICA inquit, adeoque vera) *id non ex suis viribus, sed vi ac vir-*

virtute verbi habuerunt & ex gratia præveniente, quam HYPOCRITÆ, REPROBI, HÆRETICI accipiunt. Vide, antagonista, Hypocritæ, Reprobi, Hæretici, quales homines! accipiunt, (ut adeò quod acceperunt, subjective in ipsis resideat) & quidem per GRATIAM PRÆVENIENTEM, eam ipsam, quam nos in ordine salutis tantopere urgemus, SALVIFICAM notitiam. Annon hæc salvifica notitia irregeniti, immo hypocritæ, reprobi, hæretici, è quibus plurimi sunt impiissimi, est aculeus in animo partis adversæ? Bone DEUS! SALVIFICA notitia! Anne notitia aliqua potest salvifica esse, quæ non à gratia Spiritus Sancti supernaturali promanet? Quæ non sit vera & Spiritualis? Anne notitia aliqua naturalis potest hominem SALVUM FACERE? Anne notitia falsa, dubia, incerta, quaque fundamento fidei, Christo, non immote adhæreat? Ita Divino dirigente consilio fieri solet, ut qui falsas sententias defendunt & auctoritates allegant, telum contra se in adversariorum manus intrudant. Maneat itaque immotum, notitiam hypocritarum, reproborum & hæreticorum & ex gratia esse & esse SALVIFICAM. Partim vero *Olearius*, cum ex dictis Scripturæ probat, hominem irregenitum non habere veram rerum sacrarum notitiam, perpetuo illud limitat vocibus: EX SE, EX NATURALIBUS VIRIBUS, & aliis id genus. Statim p. 1211. in formando ipso controversiæ statu: *ex propriis viribus.* Porro in argumentis, ex Scripturarum dictis depromptis, ad quæ potissimum provocat Antagonista, & ad quæ animum me advertere nolle, quasi non legissem, conqueritur p. 1214. EX VIRIBUS NATURALIBUS, bis, p. 1216. bis, p. 1217. bis, p. 1218. bis, p. 1219. semel, p. 1220. semel, p. 1221. bis, p. 1222. ter, p. 1224. bis, p. 1227. bis. Ecce cum *Olearius* negat, irregenitos non tam veram, quam aliquam habere rerum sacrarum notitiam, id viceſies limitat ad notitiam, ex viribus naturalibus hauſtam; è contra in paulo ante allegatis verbis expresse confitetur, SALVIFICAM NOTITIAM, ex virtute verbi & per supernaturalem (supra vires naturales concessam) Spiritus Sancti PRÆVENIENTEM GRATIAM, habere hypocritas, reprobos & hæreticos, id est, irregenitos & impios. Et quamquam nonnunquam etiam generaliter loquatur: notitiam irregenitorum & impiorum non esse veram, id tamen ex viginti his interpretationibus

non

non potest nisi intra illam limitationem intelligi. Cui fini enim alias, rogo te, hanc limitationem ad tot Scripturarum loca addidisset? Quæ cum ita se habeant, ipsimet Theologo considerandum relinquo: annon lucum facere lectoribus atque auditoribus suis (ut verba ipsius modestiæ plena repetam) voluerit, ut non investigantes Carpzovianam Isagogen, illico persuaderentur, Divina oracula pro ipso adeo clare & aperte facere, ut in ruborem pudoremque conjiciatur Disputator Rostochiensis, cum tamen nec hilum quidem contineant, ab ipsius doctrina alienum.

XXX. Nunc tandem ad ultimum controversiæ momentum à Theologo descenditur, ex pacto Evangelico & legali desumptum, ex quo immote consequi existimat, ante plenam conversionem dari non posse notitiam rerum sacrarum veram, ex Evangelio promanantem. Verba Theologi p. 93. sunt: *Alter Pelagianismi nervus in eo versatur, quod œconomiam pacti Evangelici, intra legis & Evangelii terminos, adimunt ac tollunt penitus cum Pelagio, veramque cognitionem statuunt ante actum & statum gratiæ, ubi maturum & verum quidquam esse nondum potest, confunduntque ita legem & gratiam. Audiamus ea de re Augustinum: qui autem novit quidem, quid fieri debeat & non facit, nondum à DEO didicit secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum Spiritum, sed secundum literam. Atque iterum: Quando DEUS docet, non secundum legis literam, sed per Spiritus gratiam, per hoc ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Ex quo post plurima alia, in medium allata, concludit: *Nihil veri, nihil vivi, nihil nisi mera legalis immaturitas in homine invenitur ante, quam Spiritus vivificandi locum inveniat, afferens tum demum libertatem, veritatis agnitionem & vitam, si non resistatur amplius, sed planum fidei obsequium ineatur. Joh. IIX. 31. 32. 2. Cor. III. 16. 17.*

XXXI. Respondetur I. *Augustini* auctoritatem hac in re eousque non admittimus, quousque ab illo Prædestinatianismi illos quatuor nervos, absolutam electionem, gratiæ irresistibilitatem, particularitatem & inamissibilitatem, ad convictionem usque pars adversa devolverit. Si loca illa à me supra §. XXIV. adducta, ad sanam mentem, id est, doctrinam

Lutheranam reduxerit, innumera alia loca ex *Augustino*, cujus nuper libros omnes adversus Pelagianos studiose relegi, producam, in quibus loca S. Scripturarum, quæ videntur speciem vel particularis vel irresistibilis vel inamissibilis gratiæ in se complecti, eodem prorsus modo, quo hodie Prædestinatiani, interpretatur. Et quando alibi vel universale Christi meritum, vel alia Prædestinatis adversa loqui videtur, id observo, quod mihi suggerit *Lütkemannus* noster, consentientibus Theologis Gryphiswaldensibus, in Disputatione supra allegata, §. XXI. ubi quæstionem format: *utrum Spiritus S. conversionem in omnibus hominibus operari velit & porro si velit, cur non efficiat, siquidem conversio in solidum sit Spiritus Sancti?* Respondet vero: *Hæc illa difficultas est, in qua SUCCUBUIT exercitatissimum Augustini ingenium, dum in certamine Pelagiano urgebatur tali objectione: si specialis DEI gratia, hominem ad conversionem determinans, ad conversionem requiritur, homines, qui non convertuntur, non sua, sed DEI culpa in peccatis manent, destituti gratia convertente. Hic cœpit concedere, quod DEUS nonnullos tantum de debita perditione liberare velit secundum beneplacitum voluntatis suæ. Quia autem id clementiæ laudem DEO detrahere videtur, libro de Bono perseverantiæ c. IIX. ab injustitia DEUM his verbis vindicare amat: non simus ingrati, quod secundum beneplacitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, tam multos liberat misericors DEUS de debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur, debitum agnoscat. Sed cur non solum in parvulorum, sed etiam geminorum una atque eadem causa tam diversum judicium? Nonne similis quæstio est, cur in diversa causa idem judicium? Recolamus igitur illos operarios in vinea, qui tota die laboraverunt & eos, qui hora una; nempe causa diversa est impensi laboris & tamen idem judicium in redditione mercedis. Nunquid & hic audierunt murmurantes â patrefamilias, nisi: hoc volo? Hæc Augustinus. Quia autem clara obstant Scripturæ dicta, quibus DEUM omnium salutem velle asseritur, hoc modo se expedit in Enchiridio ad Laur. c. CIII. Cum audimus & in S. Literis legimus, quod velit omnes homines salvos fieri, id certe sic dictum est: qui omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri*

fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse pœnitentiam, si fecisset; sed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus, per quascunque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles. Quod explicat Augustinus dicto Luc. XI. 42. ubi per omne olus omne olerum genus intelligitur. Discamus hic, quod modeste ipse Augustinus docet, Ep. CXI. Non quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare. aut respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, Divino adjutorio ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. Hactenus *D. Lütkemannus.* Habet Antagonista denuo loca, quæ & hunc doctorem commoverunt, ut suspectus ipsi de Prædestinatianismo esset *Augustinus*, ex capite præcipuè Particularismi, cui cum Irresistibilismus, ut ita loquar, intime connexus sit, non potuit non ex his principiis fluere inseparabilis connexio illuminationis & regenerationis, prorsus ut hodie & à Calvinianis hæc universa indivulso vinculo combinantur. Non igitur ægre ferre Antagonista poterit, si ad *Augustinum* mihi oppositum, quousque Prædestinatianismi, eique connexorum, ex quibus notiæ & obsequii connexio essentialis, mihi opposita, unice profluit, quaque in re SUCCUBUISSE in certamine cum Pelagianis *Augustinum* nemine contradicente ait *Lütkemannus*, suspicionem removerit. Qua tamen in re non suffecerit, alia, in quibus saniorem doctrinam profiteatur, loca ex eodem adduci. Hac enim opera nihil aliud ageretur, quam ut demonstraretur, in argumento de Prædestinatianismo, tum nondum satis exculto, cespitasse *Augustinum*, neque sibi omnimodo ipsi constitisse, adeoque ejus auctoritate neutram hodie partem niti posse. Respondetur II. Quicquid fidem & adeo completam hominis regenerationem antecedit, meræ legis & naturæ esse, verè horribile auditu est. Itane Spiritus S. ante fidem est meræ legis doctor? Itane per legem solam ad conversionem hominis contendit? Si nihil aliud opera sua Evangelica omni, eaque sibi & officio suo propria, per multos sæpe annos ex verbo informando, movendo, excitando,

efficere in homine irregenito potest, quam ut oriantur meri effectus legales, mortem juxta Apostolum operantes, cur tam inanem susçipit laborem? Ergone notitia mysteriorum Divinorum & assensus iisdem adpositus, fides item Divinitatis Scripturarum, sine qua notitia & assensus mera essent persuasio humana, ex qua absurdissimum esset, fidem justificantem, quæ ὑπόστασις est, oriri, quæ vero omnia antecedunt fidem, legalia sunt, non Evangelica? Rogo te, Antagonista, quid per longum paragraphum dicas, doceasque, expende. Igiturne omnes illi gradus gratiæ, adeoque Evangelii, (nam lex non est gratia) qui à Theologis omnibus conceduntur & fidem præcedunt, utpote præveniens, excitans, præparans, movens, pulsans, operans, instans, laborans, urgens, impellens, impedimenta removens, media fidem promovendi offerens, trahens, ducens, rogans, admonens, flectens, invitans, vocans, suadens, cogens, Luc. XIV. 23. nullum alium effectum in homine irregenito, quoadusque irregenitus est, producere apti sunt, quam legalem, quam literæ? Quam heteroclita hæc est gratiæ operatio?

XXXII. Ut vero curatius hoc totum argumentum repræsentetur & judicium de eo ferri possit, quod tantis tenebris involvit pars adversa, ut juraverim, ne millesimum quidem, quid velit, penetraturum esse, itaque quantum ego quidem capio, tota laboris moles eo tendit, Spiritum quidem Sanctum in prioribus gratiæ Evangelicæ gradibus eo tendere, ut hominem per certos gradus eundo illuminet, doceatque, adeoque veram ei rerum sacrarum notitiam & assensum inspiret, sed quia ob voluntatis in irregenito obluctationem ad maturitatem illuminationis pervenire non possit, DEUSque impediatur in docendo, ideo notitiam cum assensu esse legis tantum & literæ, non gratiæ & Spiritus, neque ideo notitiam illam vere Divinam, aut veræ illuminationis effectum esse posse. Nec enim gratiam esse, nisi ubi ei eousque relinquatur locus, quo illa proprie tendat & compleatur. Quo complemento deficiente mera remaneat legis agnitio & literæ, non Spiritus, neque idcirco vera & genuina, quam Christus intendat. *Quocirca Paulus Augustino tantopere est præsidio, ut iste 1. Cor. IIX. 2. 3. neget diserte, cognitionem veram esse, antequam*

tequam per Spiritum S. in corde charitas diffundatur. Et sane propterea inflat notitia, quia non est vera, sicut decet cognoscere ex genuina indole pacti Evangelici; & per quam occiditur, qui restitit, quomodo sit eo in statu penes ipsum viva. Nihil enim veri, nihil vivi, nihil nisi legalis immaturitas in homine invenitur, antequam Spiritus vivificandi locum inveniat.

XXXIII. De loco 1. Cor. IIX. 2. recte *Grotius: si quis putet se nosse, si hoc uno sibi placeat, quod ingeniosus, quod eruditus sit, quod dialecticas disputationes norit, nondum scit, sicut oportet. Hoc quod præcipuum est, ignorat, cognitionem per se* (esse quidem veram, sed) *non esse salutiferam, nisi quatenus ad dilectionem ducit. Scire, ut oportet, est scientia recte uti, ad suam & aliorum salutem.* Sicut prodigus veram habet divitiarum scientiam, sed quibus recte uti nescit. Rotundius *Schomerus* noster, ad contextum & scopum Apostoli respiciens: *qui novit, quid de idolothytis statuendum sit, quod sint nihil in oculis DEI & veræ abominationes, atque ideo præ aliis sapere sibi videtur, nondum tamen novit officium suum, qua ratione hac intelligentia oporteat uti. Spernit alios neque tolerare novit infirmos.* Usus autem & officium non ad veritatem notitiæ & essentiam, sed ad effectum ejus qui veritati est externus, pertinet. Scientiam vero ideo inflare, quia non sit vera, adeo à veritate alienum est, ut quo verior, perfectior & eminentior est scientia, eo magis inflare deprehendatur. Nec scientia, qua vera est, inflat, sed qua ad veritatem abusus accedit. Quam vane itaque & frustranee duo illa Apostoli loca ad suffulciendam malam causam sint allata, ex dictis sufficienter constat. Jam quod ad ipsam doctrinæ adversæ propositionem attinet, poterit ea me judice hoc syllogismo includi: Quamcunque notitiam & quemcunque assensum ipsa natura & indoles pacti Evangelici requirit, ea sola est vera notitia, verusque assensus. Atqui notitiam maturam & ad fidem usque & regenerationem completam indoles illa requirit. Ergo. Item: quæcunque notitia non est viva & per Spiritum vivificata, ea non habet veram notitiæ & assensus indolem, quia non habet indolem pacti Evangelici, quod Spiritum & vitam promittit & confert. Atqui notitia, quæcunque antecedit fidem. Ergo. Unde enim vita, nisi à Spiritu per fidem inhabitante

& nos vivificante ? Iterum : quicunque resistit Spiritui Sancto, fidem ipsi implantaturo, ejus notitia non est viva, sed legali immaturitate commaculata. Notitia in homine irregenito, quamdiu irregenitus est. Ergo. Quamdiu enim resistitur, nihil est veri, nihil vivi. Denuo : Quodcunque pactum fidem omnium confessione includit, id ante fidem nullius est valoris, sed mero pacto legali locus est. Atqui pactum Evangelicum. Ergo. Minor probatur ex Tractatu *D. Calixti* de Pactis, ad quem nos ipsi in Disputatione nostra provocavimus. Est autem ea indoles quorumcunque pactorum, ut vim & robur non obtineant, nisi omnes pacti conditiones sint impletæ. Nisi omnino fallor, in his nervis omnis Theologi Anti-Pelagianismus consistit. Quare si his diluendis dederimus operam, ut omnibus singulisque ipsius verbis responsionem opponamus, haud erit necesse.

XXXIV. Primum itaque argumentum hoc est: Quamcunque notitiam & assensum ipsa natura & indoles pacti Evangelici requirit, ea sola vera est notitia & assensus. At notitiam maturam & ad fidem usque completam. Ergo. Ergo vero eundem prorsus in modum argumentor: Quamcunque notitiam & quemcunque assensum ipsa natura & indoles pacti legalis requirit, ea sola vera est notitia & assensus. At notitiam cum opere ipso conjunctam. Ergo. Nec enim vel lex naturæ, vel lex forensis quælibet contenta est, præcipere, ut sciatur, quid bonum sit, sed ejus indoles & natura requirit, ut id, quod bonum est, in usum & praxin deducatur. Quemadmodum igitur in pacto Evangelico non notitia tantum Servatoris Christi, Joh. XVII. 3. sed fiducia quoque in eundem ponenda, Joh. III. 15. involvitur, idque ex instituto, voluntate & mandato DEI: ita & in pacto legali quocunque, sive divino, sive humano, ex ipso naturali ejus instituto & indole & notitia involvitur & praxis. Hoc enim pactum cum patribus quondam nostris pepigit DEUS, ut scirent legem, Deut. VI. 6. f. & ut facerent, v. 17. Id si sciverint & fecerint, fore, ut DEUS omni benedictione eosdem cumulet. Deut. XXX. 19. 20. Talia pacta sunt, quæ quilibet magistratus forensis cum civibus subditisque suis & quilibet pater materquefamilias cum servis suis atque ancillis

lis init. Igiturne & hic dices: ergo nec ancilla, nec servus, nec subditus vere novit, quid faciendum sibi sit, nisi actu ipso id faciat? Omne pactum, qualecunque illud sit, obligationem in se habet & sciendi conditiones pacti, & easdem opere ipso explendi. At in omni simul pacto solenne est, deficiente conditionum impletione non annihilari, sed remanere veram conditionum scientiam. Neque ullam hic esse inter pacta sacra & profana, Spiritualia & naturalia differentiam, evicimus supra c. III. §. XV.

XXXV. Secundum argumentum hoc est: quæcunque notitia non est viva & per Spiritum vivificata, ea non habet veram notitiæ & assensus indolem. At notitia, quæcunque antecedit fidem. Ergo. Ego vero dico, vel me non monente adversæ partis Defensorem illico animadversurum esse, instantiam, hoc argumentum pati ab eodem pacto legali quocunque. Nam nec ibi notitia necessario est viva, vita praxeos, in effectum deductæ. Et tamen notitia vera ideo esse non desinit. Præterea vitæ vox vel virtutem agendi, quæ activitas dicitur, significat, vel actum ipsum & effectum illius virtutis, ut vivum hominem dico, vel qui vitam animamque in se habet, quo pacto vivus est, qui dormit, nec quicquam rerum agit, vel qui vivendo sese movet & actiones edit vitales. Ad notitiam vivam æque non requiritur, ut actiones edat fidei & operum, ex fide provenientium, ac ad hominem vivum quidem, sed dormientem non requiritur, ut ambulet & loquatur. Omnes illa notitia & assensus, qui in irregenitis est, vivus est, quia vires in se habet, fidem efficiendi, quod sine vita & activitate fieri non potest, quamquam non semper vires illas exerat. Et quando vires exerit, non semper ad ultimum usque fidei punctum exerit. Auditus verbi exerit vires suas, quando notitiam producit, notitia, quando amorem, amor, quando ulterius scrutinium, scrutinium, quando assensum, assensus, quando indubitatam & Divinam certitudinem. Ecce quanta vita, quantæ vitales actiones in irregenito! Embryo in utero materno non ideo destituitur vita, quia nondum edit & bibit & clamat & ambulat. Neque ideo etiam destituitur vitalibus actionibus, quia lacertos non movet, nec caput de loco in locum

cum flectit, quia nihilominus alimentum attrahit & motum in utero excitat. Hanc vitam omnem habet irregenitus à gratia Spiritus S. in ipso effecta & ideo sibi subjective in existente. Cui quamquam & ipse Spiritus sit conjunctus, non tamen ideo irregenitum inhabitat, quippe quod phrasi scripturæ gratiosam unionem cum homine, DEO per fidem penitus conciliato, designat. His recte consideratis quid opus fuerat, in vocibus vitæ & vitalitatis ludere & nescio quam larvam veræ irregenitorum notitiæ objicere?

XXXVI. Tertium argumentum ita habet: quicunque resistit Spiritui Sancto, fidem ipsi implantaturo, illius notitia non est viva, sed legali immaturitate maculata. Homo irregenitus. Ergo. Ego vero denuo similem in modum dico: quicunque legi, obsequium ei erga DEUM implantaturæ, resistit, illius notitia non est viva & vera. Item: quicunque resistit hero suo, sibi quidpiam præcipienti, ejus notitia quoad rem præceptam non est vera. Ergo servus ille piger & nequam nescivit, quid cum talento suo faciendum sibi esset, quia præceptum non est executus, sed eidem restitit. Illud terriculamentum, quod resistentia ultima omnes admissiones antecedentes annihilet, in exilium jamdiu actum est. Esto denique notitiam hominis irregeniti legali impuritate esse contaminatam, id veritati notitiæ æque non detrahit, ac non detrahit fidei Paulinæ, quod illa fuerit legali impuritate commaculata.

XXXVII. Argumentum quartum: quodcunque pactum fidem omnium confessione includit, illud pactum deficiente fide nullius est valoris, sed ibi mero pacto legali locus est. Atqui pactum Evangelicum. Ergo. Revoco Theologo, quod jam supra feci, in memoriam Thesin *D. Calovii*, in Synopsi controversiarum, de discrimine legis & Evangelii, §. IX. quæ hunc in modum concepta est: *Non omnes promissiones Evangelicæ sub hypothesi fidei factæ sunt, sed nonnullæ fidem ipsam, gratiam illuminationis, regenerationis, & conversionis promittunt.* Eandem opponit Calvinianis, promissionem omnem Evangelii fidem includere asserentibus, utpote DEUM velle omnes salvos, si credant. Cum plurimæ includant conditionem auditus & quæ

quæ auditum consequuntur. 1. Petr. I. 23. Rom. X. 17. Gal. III. 2. Joh. III. 5. Jac. I. 21. Et ne quis cum Antagonista excipiat, verbi effectum in auditore deprehendi tantum in actu primo, ita infert: *tribuitur non tantum verbo efficacia, quoad actum primum, sed & effectus ipse quoad actum secundum, non sub hypothesi fidei, sed ut fides excitetur.* Subjicitque hoc memorabile argumentum, quasi studio Antagonistæ nostro oppositum: *quicquid per verbi operationem tanquam effectus ejus in nobis excitatur, id non est conditio salutaris operationis, sed effectus. Atqui fides. Ergo.* Ecce fides non involvitur in essentia salutaris & Evangelicæ operationis, neque ideo operatio Spiritus Sancti est legalis, quia fide destituitur. Quo tamen tota Disputatio Theologi nobis adversi in Conclusione sua contendit. Hinc argumentum: quicquid est effectus operationis Spiritus Sancti per auditum & inde natam in irregenito notitiam & assensum productus, id non pertinet ad essentiam auditus & inde effectæ notitiæ & assensus, consequenter notitia & assensus non sunt inseparabiliter connexa cum fide. Atqui fides. Ergo. Quando vero Theologi nostri consensu quodam docent, promissiones Evangelicas requirere fidem, id intelligunt de iis Evangelicis promissionibus, quæ promittunt remissionem peccatorum, justitiam coram DEO & salutem. Quæ sine fide non obtingunt. Sed non minus Evangelica promissio est, DEum velle nobis dare fidem. Act. XVII. 31. quæ non potest, dicente eodem *Calovio*, sine absurditate intelligi fieri sub conditione fidei. Rex promittit militibus, quisquis vel hostem in prælio vicerit, vel occupaverit castellum, ei præmium fore nobile prædium. Est hæc promissio vere Regia. Ut possit quilibet vires peritiamque belli gerendi, prælio vincendi & munimentum occupandi acquirere, promittit informationem, exercitationem, officia militaria, per quæ ad vincendum hostem, per gradus eundo, deduci possit. Est & hæc promissio vere Regia. Cum artem militandi addiscit, cum sese quotidie exercet, cum præliis & occupationibus interest, verissima hæc sunt media, verissimæ causæ vel hostem vincendi, vel castellum occupandi, eæque ex gratia promissionis Regiæ provenientes. Et tamen promissio Regia de donando prædio sola nititur obtenta ab hoste victoria & castelli expugnatione. Hæc indoles pacti

Regii est, ut ad hæc præmia nonnisi per occupationem & victoriam deveniatur. Si verò hæc occupatio & victoria per malitiam occupaturi & victuri, utpote per spem majoris præmii, ab hoste clam ipsi factam, intercipiatur, quis tam extreme absurdus foret, ut diceret, omnes actiones antecedentes in bello, conflictum cum hostibus, explorationem & ut summatim dicam, notitiam bellicam universam, non fuisse veram & Regis intentioni prorsus convenientem?

XXXVIII. Complexus hactenus sum præcipua capita, quibus Theologus novo suo invento, ex pacto Evangelico desumpto, colorem inducere & comprobare instituit, non posse esse veram notitiam, quæ non inseparabiliter sociata sit cum ipsa fide & conversione. Quæ cum immotis rationibus dissecerim, poteram in his acquiescere, cum quæ in prolixo discursu à Theologo præterea adferuntur, ex solis his observatis vim suam & speciem omnem amittant. Ne vero conqueratur, præcipua me studio prætermisisse, quæcunque qualecunque in se momentum complecti videbuntur, sub simile cum antecedentibus examen revocare non defugiam, eaque majoris roboris causa perpetuis plerumque syllogismis includam.

XXXIX. Itaque p. 95. ita argumentatur: *Per quamcunque notitiam occiditur, qui resistit, quomodo sit eo in statu penes ipsum viva? Nihil veri, nihil vivi, nihil nisi mera legalis immaturitas in homine invenitur ante, quam Spiritus vivificandi locum inveniat, afferens tum demum libertatem, si non resistatur amplius. Joh. IIX. 31. 32. 2. Cor. III. 16. 17.* Econtra: quicquid non est vivum & verum ante ipsam regenerationem, (in qua non amplius resistitur) id regenerationem producere neque potest, neque debet. Res enim mortua neque potest neque debet rem vivam producere. Sicut generatio embryonis in utero extincti nunquam vivum hominem producet. At notitia & assensus debent & possunt fidem progenerare. Ergo ante regenerationem necessario sunt viva. Porro: Quicquid est medium activum ex parte hominis producendi fiduciam, id est vivum & verum ante productionem fiduciæ. Quia causa semper est prior suo effectu. Notitia & Assensus. Ergo. Minor probatur: verbum Divinum aut immediate, sine notitia & assensu, vero sensui verbi adposito, regenerationem efficit, aut MEDIANTE assen-

sû

su & fiducia. Si sine notitia & assensu, Fanaticismus est. Si per medium notitiæ & assensus, notitia & assensus sunt viva & vera, antequam regeneratio producatur. Major probatur, quia τὸ vivum & activum non differunt nisi metaphoricum & proprium. Iterum: quicquid est medium à Sp. S. ad regenerationem per verbum promovendam excitatum, id qua tale, etiamsi effectum ob resistentiam non producat, non occidit, sed est vivum & verum. Atqui notitia & assensus. Ergo. Rursus: Quicquid non resistit notitiæ & assensui, id quamquam resistat regenerationi, per hanc posteriorem resistentiam non potest per se mortuum & falsum fieri. Homo irregenitus. Ergo. Denique. Quæcunque notitia & assensus ex accidenti tantum, quia ad id se non applicavit, ad quod se applicare debebat, occidit, id in se mortuum non est, sed vivum & verum. Sicut ideo gladius vivum & verum justitiæ exequendæ instrumentum esse non desinit, quia aliquando non ad occidendum improbum, sed probum & innocentem adhibitus est. Atqui notitia & assensus ante regenerationem ex accidenti tantum. Ergo. Quod ad loca contra nos adducta spectat, si prior, Joh. HX. 31. 32. probat, Spiritum vivificantem & libertatem adferentem tum demum invenire locum, si non resistatur amplius, idem probabit, libertati non esse locum, nisi quis μείνῃ ἐν τῷ λόγῳ, non receperit tantum veritatem, sed & in ea permanserit. Quo pacto οἱ πεπιστευκότες etiam tum, cum credunt, non erunt in libertatem à jugo legis asserti. In altero loco, 2. Cor. III. 16. 17. dicitur, si conversi fuerint Judæi ad Christum, tolli velamen Mosis ab eorum oculis. Sed quemadmodum conversio non fit in instanti, sed successive, ita ultro intelligitur, velamen quoque non in instanti regenerationis, sed per actus antecedentes, à Spiritu S. non minus, quam ipsa fides est, effectos paulatim amoveri, donec adveniente fide plenissime tollatur.

XL. Sed audiamus Theologum sua amplius comprobantem. Ait igitur, *Calixtum* pactum legale extendere usque ad fidem regenerantem. Et recte; nam sub lege esse homines, quamdiu Spiritu non agantur, Gal. V. 18. At tales esse solos regenitos. Qui autem sub lege sint, iis peccatum dominari. Rom. VI. 14. Hunc vero esse statum tenebrarum, non

lucis. Vitam verbi esse lucem hominum. Nisi itaque vita recipiatur, neque lucem veram illuminationem præstare. Joh. I. 45. Quæ est summa prolixius à Theologo dictorum. Econtra: pactum legale V. T. extendit se ad perfectam omnibus numeris obedientiam. Deut. XXVII. 26. Ergone quisquis hoc fastigium non attigit, nulla in re legis opera fecit? Amplius: Quicunque à Sp. S. per gratiæ gradus informantur, excitantur, moventur, & hos motus pro ratione illorum graduum veros & intentioni Spiritus Sancti in illis gradibus conformes, subjective in se recipiunt, illi ab eo aguntur. Informare enim, excitare, movere, sunt verba activa. Ergo quicunque informantur, excitantur, moventur, ii necessario aguntur. Atqui irregeniti in primis gradibus. Ergo. Iterum: Quicunque à Spiritu S. ita aguntur, ut audiant verbum, ut intelligant mysteria, supra omnem rationem posita, ut iisdem assensum præbeant, juxta illum, de quo dixit Paulus, postquam eundem Divina Spiritus Sancti virtute convicisset, vera esse & vere in Christum competere, quæ prophetæ de eo prædixerint: SCIO, QVOD CREDAS, ille Spiritu DEI agitur & in eo peccatum quoad hæc omnia non dominatur, ceu hujus propositionis veritas ex nudis terminis apprehenditur. Atqui irregenitus. Ergo. Denuo: Quicunque reapse intra se habent & subjective possident lucem verbi Divini, subjective cognoscunt mysteria eo sensu, quem proprietas literæ & intentio Spiritus Sancti in illa exhibet, assentiuntur & credunt illis immota fide, quippe intra conscientiam suam exemplo Agrippæ, à Paulo convicti, illi quoad hæc omnia non sunt in statu tenebrarum, sed lucis. Atqui quidam irregeniti. Ergo. Et: quicunque recipit in omnibus prædictis lucem seu notitiam verbi, is recipit in hoc vitam verbi. Est enim verbum vividissimum, immo ipsa vita, quomodo igitur fieri potest, ut quis verbum recipiat, non recipiat autem vitam? At irregenitus Agrippa. Ergo. Et quicunque recipit lucem à Spiritu S. effectam, is in hoc ipso veram, quamquam nondum perfectam & consummatam, lucem accipit. Irregenitus Agrippa. Ergo.

XLI. Post plura alia, de quibus ex superioribus judicari debet, ita infit p. 97. *Gratia præveniens ac præparans lucem quidem offert, quæ etiam nunc magis nunc minus in tenebras illas incidit, sed*

sed vera illuminatio non efficitur prius, quam lux conferri queat. Nescit pars adversa, quid & quomodo loqui velit, ut speciem conciliet sententiæ ubique hianti, ante regenerationem non dari ullam veram notitiam vel illuminationem, & tamen simul non penitus neget, homini per gratiam concedi aliquam illuminationem supernaturalem; quia absurdum est, Spiritum S. per varios gradus, motus, pulsus, notitiam, amorem, desiderium, operari & laborare in irregenito, omnibus viribus suis, ut ille in vinea, sæpe per plurimos annos, & tamen ne miculam quidem veri effectus post se relinquere. Unde in adeo manifestas incidit contradictiones, ut cum primum leguntur, animadvertantur. Ecce enim I. lux à Spiritu S. non efficitur in homine irregenito convertendo & tamen incidit in hominem irregenitum convertendum, in unum magis in alterum minus. Nempe aqua incidit in agrum madefaciendum, in unum magis in alterum minus, & tamen ager non efficitur vere madidus. Solis radii incidunt in conclave, in unum magis in alterum minus, & tamen conclave non vere illuminatur. Quid magis contradictorium? II. Lux offertur irregenito & simul incidit in irregenitum, seu irregenitorum intellectum, & tamen non confertur irregenito. Divitiæ mihi offeruntur & nunc magis nunc minus nummorum in cistam meam seu possessionem incidit, & tamen vere non conferuntur. Quid magis contradictorium? Tota igitur ambiguitas, qua perpetuo luditur, in voce VERE consistit, quæ semper pro completo ab adversa parte sumitur, cum verum totius mundi usu dicatur, quicquid conceptui extra intellectum correspondet, qua & quatenus correspondet, sive adæquate rem repræsentet, sive inadæquate. Sic vere domum ædificat, qua & quatenus & quamdiu ædificat, quamquam non absolvat. Vere arat, qui vel maxime arationem agri non complet. Vere coquit, qui coctionem nondum ad finem deduxit. Τὸ *verum* proprie loquendo falso, ficto, simulato, fucato opponitur. Quando vero integro opponitur, figurata est locutio, quam *Quintilianus* ὑπόφασιν vocat, quæ plus dicit, quam verum. Ad quam differentiam insinuandam τῷ *vero* frequenter addunt scriptores vocem perfectionem denotantem. Ut apud Ciceronem: *de vera & perfecta amicitia loquor.*

quor. Item: *vera atque integra Gracia.* Iterum: *solida veraque gloria.* Econtra quando in propria sua significatione relinquitur, in quacunque rei parte aliquid verum est, id verum vocatur. Utpote cum *Cicero* ait: *vere accusari in amicitia*, sive in omnibus amicitiæ partibus accuseris, sive in una tantum alteraque, *grave est.* Figuratis vero locutionibus in re seria, quando cum serio adversario nobis res est, uti insolens & absurdum est, è contra vero in morali atque oratorio argumento non consuetum tantum, sed & elegans, quippe quo affectus magis ciere atque animos occupare possumus.

XLII. Dices: si juxta nos irregenitus est vere illuminatus, & tamen, quando ante completam conversionem per mortem decedit, damnatur, quid clarius est, irregenitum in ipso illo statu esse sub lege, eundem condemnante, non sub Evangelio. Quasi vero aliquis non simul sub lege & simul sub Evangelio esse possit, pro diverso respectu, suique consideratione! De duplici lege in sese habitante conqueritur Paulus, lege peccati & lege mentis. Quidni & in irregenito utraque pariter esse possit? Producit verò Theologus in aciem hic contra nos hujus Academiæ Theologum, meumque in officio antecessorem, magnis equidem meritis in eandem illustrem, *August. Varenium*, in Esai. VI. 9. 10. ita scribentem: *Tribus imperativis* (*impingua, aggrava, obline*) *respondent tria distincta objecta, cor, aures, oculi. A corde ut illuminationis salutaris, ita & excœcationis & indurationis principium; hoc sive ex cœcitate clauso, sive ex illuminatione aperto, prout hoc loco aperiuntur, simul salutariter oculi & aures clauduntur quoque, vel cordis incrassationem sequitur illa aurium aggravatio & oculorum conniventia vel obscuratio; quicquid sit de externa sive visione sive audientia, à qua plane alia est illa, quæ nunc additur, si quis ita scilicet auribus suis audiat, ut corde suo intelligat & convertatur, atque hac ratione PLENE CONVERTATUR & ita sanetur.* In quibus vero verbis *Varenius* aperte loquitur de ILLUMINATIONE SALUTARI, in effectu scilicet, quod bis repetitur, & de tali INTELLIGENTIA, qua homo simul convertatur, quam vocat PLENARIAM CONVERSIONEM; quæ omnia in suum equidem damnum majusculis literis Antagonista expressit. Itaque Esaiæ auditores, quæ DEI nomine prædicabantur non ita intelli-

telligere pronunciat, ut prædicatio salutem iis adferat, seu ut PLENE convertantur. Quod vero nemo negat. Cur alias *Varenius* opus habuisset plenæ conversionis mentionem facere, si in minus plena, id est, in conversionis initiis & progressu Prophetam ipsius auditores non intellexissent? Nota est Glassiana regula: verba notitiæ & sensuum affectum sæpe & effectum connotant. Quo pacto DEUS videre homines dicit, quorum curam gerit, Gen. XXII. 14. & nosse, quos amat, 2. Tim. II. 19. Eadem ratione *Varenio* hoc loco intelligere est intelligere cum affectu obsequendi & effectu, seu cum obsequio ipso, id est, intelligere, ut convertatur. Quam intelligentiam internam sive cordis cum Propheta vocat, quia quæ ita intelliguntur, ad animum seu ad cor revocantur, cum proposito nempe, ea exequendi; cum è contra, quæ vere intelligimus quidem, sed in effectum non deducimus, das lassen wir zu dem einen Ohr ein, zu dem andern wieder ausgehen, ut Germanorum proverbium non ineptum exprimit. Inepta vero consequentia esset, si quis, abstrahendo à locutione figurata & emphatica, colligere vellet, ideo vere non audita aut intellecta esse, quæ in effectum non deducimus. Veriſſime Esaiæ auditores Prophetam audiverant & veriſſime intellexerant; & nisi veriſſime audiviſſent & intellexiſſent, frustra & injuste tanta ipsis pœna dictata fuisset, ut terra ipsorum desolari deberet. Hæc vero pœna eosdem manebat, non quia Prophetam non intellexerant, sed quia cum probe intellexiſſent, non converterentur. Atque hoc est, quod *Varenius* dicit, citra ullum sententiæ nostræ dispendium. Ad eundem prorsus scopum tendunt *Augustini* verba, ab Antagonista superioribus adjecta, ut vel cœcus videat, locutiones non proprias esse, sed figuratas.

XLIII. Succedit apud Theologum §. IX p. 99. sqq. discursus, cujus examen majoris lucis gratia interlinearibus observationibus instituemus. Ait igitur: *Non parum quoque illustratur hæc causa observatione illa Theologica, cujus mentio quædam Sect. V. §. 1. facta est: gratiam DEI illuminantem non operari statim per modum habitus permanentis, sed per modum actus transeuntis, inprimis ante justificationem in conversionis negotio.* (Immo non parum illustratur. Nam gratia DEI illuminans, quamquam non semper, sæpissime tamen, utpote in Doctoribus & studiosis, aliisque irregeni-

genitis, operatur per modum habitus in notitia & assensu permanentis usque ad finem vitæ, כל־היום, *omnibus diebus*, Esai. LXV. 2. in ipsa etiam morte, Ezech. XIIX. 32. aliquando vero per actum statim transeuntem, utpote in Felice. Act. XXIV. 25.) *Et quidem eò magis, quo tenacius caligo de pacto legali per repugnantiam sustentatur.* (Sicut in Felice sustentata est; quitamen hoc non obstante, Paulo de Messia disserente, ex notitia inde hausta, adeoque vera, quod effectus testatur, compunctus est; sensit subjective virtutem prædicati verbi) *Quando enim malitiose ex parte voluntatis resistitur*, (post primam admissionem, in qua non resistebatur) *imminens pacti legalis maledictio auget tenebras justo ex judicio, ut illuminationis actus non possit non transire, nec manere, aut perfici.* (Prorsus ut maledictio legalis, cum non tantum velit DEUS, ut audiatur ipse per ministros suos prædicans & obsequium ei in notitia & compunctione seu ad animum revocatione præbeatur, quod fecit & recte quidem per gratiam Spiritus Sancti fecit Felix, sed ut in auditione & obsequio quoque permaneatur, Deuter. XXVII. 26. quod non fecit Felix, & ideo quia hoc non fecit, (non quia prius fecit, in quo recte fecit, neque à lege maledictus fuit) maledictio legalis auxit illius tenebras, ut non tantum non accerseret Paulum, sed etiam pecuniam inde captare vellet, quæ sunt magnæ tenebræ. Et tum in hoc Felice transiit illuminationis actus, non ut non fuerit, (vere enim quoad compunctionem & præviam necessariam ad compunctionem notitiam illuminatus erat) sed quod non manserit in illuminatione, aut hæc perfecta non fuerit, ut ipse loquitur Antagonista, atque per hoc ipsum sese ex verissimo statu Evangelii præcipitaverit in statum legis maledicentis) *Huc etiam pertinet tota doctrina de impedimentis liberi arbitrii, quam sollicite ad Aug. Conf. art. XIIX. tractat ejusdem Apologia & secundum hujus ductum egregie Brochmandus. Nam eadem obstacula, quæ arbitrium naturale impediunt, infestare & reprimere gratiam prævenientem & præparantem vel inde constat, quoniam adeo vera est hæc assertio, ut ipsi etiam renati, ab affectibus & carne victi, subinde faciant id, quod improbant & damnant; quæ ipsa Brochmandi verba sunt.* (Et quidem longe verissima. Sicut igitur juxta optimum & orthodoxissimum *Brochmandum* renati non

non ideo, quia quoad carnem sub lege sunt, Evangelio non credunt: ita quoque irregeniti non ideo, quia quoad resistentiam ulteriorum gratiæ graduum sub legis maledictione sunt, quoad obsequium prioribus graduum gratiæ Evangelicæ speciebus, in notitia, assensu, desiderio, amore præstitum, sub Evangelio non fuerunt) *Quod si ergo naturali in statu per πάθος seu furentium affectuum contumaciam eripitur menti particularis notitia, utut generatim sciat, quod id, quod designatur, vitiosum sit, Rom. I. 21. quæ ejusdem est interpretatio, multo magis I. per affectuum morosam repugnantiam verbi DEI notitia, quo minus fiat Spiritualis, impeditur, aut si talis jam fuit, evertitur.* (Nescit iterum, quid præ desperatione dicere vel velit vel possit. Si notitia ante resistentiam posteriorem jam fuit Spiritualis, quid igitur disputatur? quid evertitur? Hoc enim unicum est, quod nos propugnamus, quodque Antagonista alias perpetuo impugnat; dari aliquando notitiam spiritualem in homine irregenito ante plenariam conversionem. Quando autem dicit: si Spiritualis notitia fuit, per repugnantiam evertitur; aut intelligitur hoc ita, ut ita evertatur notitia illa, ut non fuerit spiritualis; & tum hoc adeo absonum est, ut ne quidem DEus per absolutam omnipotentiam suam efficere possit, ut quod semel fuit, non fuerit, seu ut præterita aliquando non extiterint præsentia; aut intelligitur ita, ut per repugnantiam evertatur fructus, id est, ulterioris conversionis progressus, & tum hoc non negatur. Nec enim inter nos controversum est. Plane eodem modo, quando in antecedentibus dixit: per affectuum morosam repugnantiam verbi DEI notitiam impediri, quo minus fiat Spiritualis, tum hoc aut ita intelligitur, morosam repugnantiam posteriorem impedire, quo minus prior non repugnantia, seu notitia per non repugnantiam acquisita, fuerit Spiritualis; & hoc absurdum est, quia in simili non repugnantia seu obsequium parentis mandato priori præstitum non impeditur per posteriorem repugnantiam, Parentis mandato oppositam, quo minus fuerit obsequium vere filiale. Aut ita intelligitur, posteriorem repugnantiam impedire, quo minus prior complete & in effectu fuerit Spiritualis, seu Spiritualem conversionis fructum obtinuerit; & sic vera est.

Neque per hoc destruitur sententia nostra altera, priorem notitiam fuisse veram. Vera enim est notitia, quando mihi cognitum est unum vel duo præcepta Decalogi, non autem est completa notitia, quando mihi non sunt cognita omnia decem præcepta) *Namque inextricabilis est argumentatio, Hebr. II. 2. 3. si per Angelos dictus sermo factus est firmus & omnis transgressio & inobedientia consecuta est justam mercedis retributionem; addo ex Ep. ad Rom. I. si & notitiæ naturalis abusu modo jam dicto cor gentilium insipiens obscuratum est amplius, ut eos non probantes, DEUM habere in agnitione, traderet DEUS in mentem reprobam, v. 21. 22. 28. quanto graviore judicio obscuratur mens illorum, qui Evangelio obnituntur? Quo major enim gratia offertur, eo majori maledictionis vinculo obstringuntur, qui resistunt?* (Hanc inextricabilem argumentationem totam sine omni damno nostro admittimus. Ea enim concessa verissimum manet, notitiam, hanc mentis obscurationem antecedentem, veram & Spiritualem fuisse. Immo nisi vera & Spiritualis fuisset, tantam pœnam, nempe obscurationem mentis, post se non traxisset. Quo major enim gratia non offertur tantum, sed accipitur, eo majori maledictionis vinculo obstringuntur, qui hujus gratiæ oblatæ & acceptæ ulterioribus motibus obsistunt. Major autem est gratia notitiæ veræ & Spiritualis, quam naturalis & dæmoniacæ. Ergo juste sequitur tanta mentis obscuratio, ut ulteriorem notitiam non tantum non consequantur, sed Romanorum adinstar in Cimmerias tenebras vitiorum plusquam bestialium prolabantur. Adeo nempe falsum est, priorem lucem non fuisse veram lucem, ut potius, quia vera lux fuit, & irregenitus ea fœde abusus est, tantam post se traxerit mentis caliginem) *Accedunt II. objecta externa, quæ quantum possint ad seducendum ac tenebris obstruendum hominem, per ea, quæ in mundo sunt, cupiditatem carnis & libidinem oculorum & vitæ superbiam, exemplo primorum parentum, non sentientium gratiam prævenientem & præparantem, sed plena & perfecta fruentium, nimis manifestum est. Genes. III.* (Rectissime. Si ipsi sanctissimi primi parentes non obstante, quod Spiritualissimam habuerunt rerum Divinarum notitiam, tamen objectorum jucunditate decepti, potuerunt in tenebras errorum exitialium labi: quanto magis hodie irregeniti?) *III.*

Ex

Ex his impedimentis potentiam suam mirifice auget Diabolus, qui novit sensus variis modis irritare, mentem excœcare, affectus concitare, voluntatem in malum inclinare, ut etiam Brochmandus observat, commonefaciens simul è Scripturis, Saulem à Spiritu malo perturbatum esse, 1. Sam. XVI. 14. Diabolum in Judam intrasse, Luc. XXII. 3. tanquam DEum impiorum mentes excœcare, ut NON SPLENDEAT ILLIS ILLUMINATIO Evangelii gloriæ Christi. 2. Cor. IV. 4. Diabolum efficacem esse in filiis ἀπειθείας, Eph. II. 2. & ipsos captivos tenere ad suam voluntatem, 2. Tim. II. 2. Quum igitur gratia illuminans per modum actus transeuntis operetur, & rei adhuc sint convertendi ipsius lapsus, omnique contumacia occœcationem attrahant, ecquis non videt, pertinaciter resistentes nihil cognitionis Spiritualis habere vel RETINERE? Reliquos autem non resistentes admittere quidem aliquid, sed tamen nondum aliam quam noctis lucem recipere, non diei, seu vere dictam cognitionem, donec evadant juste sobrii, seu expergiscantur & surgant ex mortuis, ut illucescat iis Christus per regenerationem. 1. Cor. XV. 34. Eph. V. 14. (Si ideo, quia Diabolus est efficax in filiis infidelitatis, si mentem excœcat, voluntatem in malum inclinat, & quia irregeniti sunt rei ipsius lapsus, ideo occœcationem omni contumacia attrahunt, si, inquam, ideo irregeniti nihil veræ & Spiritualis cognitionis ante regenerationem habent, tum ne quidem à Sp. S. incipere habent, neque habent sanctam cogitationem, pium propositum, cupiditatem veri & desiderium boni; quæ tamen esse effectus gratiæ prævenientis concedit Antagonista. Nec enim hæc quatuor vel minus objecta sunt Satanæ insidiis, vel magis consistere possunt cum efficaci excœcatione illius & subjectione ad ejus arbitrium, quam vera sacrorum notitia. Et si sancta cogitatio, à Sp. S. per verbum inspirata, & desiderium boni potest consistere cum servitute & captivitate Satanæ, nulla potest excogitari ratio, cur cum eadem non possit consistere vera DEI notitia. Videt hoc Antagonista, & nescit, quo sese convertere debeat. Ait igitur I. non splendere in illis illuminationem Evangelii gloriæ Christi. Resp. Non sequitur: non splendet in illis summa illuminatio, ergo nulla illuminatio. In vulgari Ecclesiæ ministro non splendet illuminatio doctrinæ ad gloriam usque doctoris sui, à quo illuminationem hausit, ergo nullam

veram ab illo doctrinam hauſit. Ait II. vel nihil notitiæ habere vel non retinere. Reſp. Ecce conſcientia Antagoniſtam iterum convincit, ut non omnino negare poſſit, irregenitum habere veram notitiam, ad minimum hoc negandum eſſe dicit, ſi habuerit, non retinere. At nobis partim ſufficit, irregenitum habere aliquando veram notitiam, quo pacto omnia argumenta, contra hanc veritatem producta, ipſius Antagoniſtæ confeſſione nullius momenti & roboris erunt; partim negatur, non retinere aliquando ad extremum usque vitæ ſuæ. Nam doctor irregenitus, in impœnitentia decedens, retinet notitiam, per gradum gratiæ prævenientis & præparantis ipſi conceſſum ad extremum usque halitum. Ait III. irregenitum aliquid gratiæ admittere. Reſp. ita aliquid, ut ſit admodum multum, ut ex doctore irregenito & Agrippæ exemplo patet. Ait IV. admittit non aliam, niſi noctis lucem, non diei, adeoque non veram. Reſp. admittit eam, quam Spiritus S. ei in primo illo ſecundoque & tertio gradu eſt admenſus. Nec enim voluit Spiritus Sanctus omnem uno momento in illum lucem effundere. Qui autem admittit tantam lucis portionem, quantam Spiritus S. in primo cæterisque gradibus vult effundere & admitti, ſive noctis ea abſurde & contradictorie dicatur, ſive diei, vera lux eſt pro illo gradu. Sicut qui primum in ſcala gradum aſcendit, verè aſcendit, quamquam aſcenſione nondum abſolverit gradum omnem. Ait V. nondum exortam eſſe irregenito veram lucem, Chriſtum. Reſp. veram tamen lucem ei exortam, Chriſtum in ſuo ordine adferentem. Sicut lux exoritur ante exorientem ſolem, eaque maxima & lucidiſſima, quamquam ea lux nondum ſit ſol. Alia voce dicitur phosphorus, ſolem præcedens. 2. Petr. I. 19.) *Obſignamus hæc verbis Apologiæ p. 219. Illa Spiritualia non tribuimus libero arbitrio, ſcilicet vere timere DEum, vere credere DEO, vere ſtatuere ac ſentire, quod DEus nos reſpiciat, ignoſcat nobis &c.* (Neque nos hæc tribuimus libero arbitrio, id eſt, ut poſtea exprimitur, naturalibus hominis viribus, ſed unicè gratiæ Divinæ) *Hæc ſunt vera opera primæ tabulæ, quæ non poteſt humanum cor efficere ſine Spiritu Sancto. Sicut ait Paulus: animalis homo, h. e. homo tantum naturalibus viribus utens, non percipit*

cipit ea, quæ DEI sunt. Et hoc judicari potest, si considerent homines, quomodo corda, de voluntate DEI sentiant, utrum verè statuant, se respici & exaudiri à DEO. Hanc fidem difficile est & sanctis retinere, tantum abest, ut sit in IMPIIS. (Quæso Te, Antagonista, cui fini hæc adducuntur? Estne quisquam, qui vel literam horum omnium neget? Qui ex naturalibus viribus vere statuat, se à DEO exaudiri? Qui dicat, fidem salvificam esse in impiis?) *Sed de convertendis pœnitentibus quid censendum? An & hi forte jam tum credunt vere? Necdum isti, ut tales sub lege. Apologia respondet: concipitur hæc fides, ut supra diximus, cum corda perterrefacta Evangelium audiunt & consolationem concipiunt, hoc est, quando conversio vere completur.* (Vix cogitatione quis assequi possit, quorsum hæc faciant? Quid per convertendos pœnitentes intelligat? An pœnitentes, pœnitentiæ voce utramque partem an solam contritionem significante? An quis nostrum dicat, contritos, quamdiu non credunt, vere credere? Utrum contritos, quamdiu non credunt, sub lege esse affirmet Antagonista, an neget, nemo ex tam obscuris tenebris intellexerit. Itaque primo loquendum est, ut percipi possit, antequam possit responderi. Si vero contritos, quamdiu conversio non completur, sub lege esse velit, (ut hoc quidem unicum velle videtur, ut obtineat, omnem statum ante conversionem completam esse legalem) consequenter vera notitia Evangelica ante plenam conversionem existere non possit, tum quæro ex ipso: an itaque fides immediate à DEO infundatur, an vero efficiatur per certa media atque instrumenta? Et si hoc raptum Enthusiasticum declinaturus concesserit, an media & instrumenta sint legalia an Evangelica? Et si Evangelica, utrum hæc sine notitia esse possint? An vero verbum magica vi sine notitia & assensu fidem operetur? An hæc notitia fidem efficere, tanquam medium ejus possit, si non sit vera? Si non sit Supernaturalis? Si non sit Spiritualis? An illa notitia fiduciam in Christum, tanquam DEum & hominem, & sine connotitia SS. Trinitatis, satisfactionis Christi, veræ & Evangelicæ pœnitentiæ & plurimorum aliorum efficere possit, nisi immotus præcedat assensus, omnibus his aliisque fidei articulis fundamentalibus adpositus? Annon si hæc non præcedunt, homo

fiduciam ponat in merum hominem & ideo idololatriam committat? Si vero præcedant, an quia conversio nondum completa est, notitia illa sit legalis an Evangelica? Denique Apologia non dicit, fidem non effici nisi per completam conversionem, (hoc enim esset immediate effici & in momento) sed *cum corda perterrefacta Evangelium audiunt.* Evangelium autem audire non est aurem ei tantum externam præbere, sed meditari, scrutari, ruminare, ad animum revocare, cognoscendo & assentiendo modo his modo illis, donec fundamenta omnia jacta sunt, fidem producere. At hæc universa non minus ac ipse ab A. C. insinuatus Evangelii auditus, Evangelica sunt, non legalia. Et tamen præcedunt longo sæpe tempore & diuturna consideratione fidem & completam conversionem. Ecce, Antagonista, quid tibi prodest locus ex Apologia adductus? Et annon tandem agnoscis, eundem à te contra te adductum esse?

XLIV. Atque hæc hactenus ea sunt argumenta, quibus comprobare ex novo invento suo, Pacto legali & Evangelico, adnisus est Antagonista, non posse dari in homine irregenito ante completam regenerationem veram rerum sacrarum vereque Evangelicam notitiam. Qua vi, quoque robore fundamenta illa polleant, ex hactenus dictis sufficienter constabit. Unicum adhuc discutiendum restat. Produxeram ego sub finem Disputationis meæ nonnulla argumenta, quibus convinci vel maxime posse Antagonistam existimabam: veram dari rerum sacrarum notitiam cum assensu, ante completam regenerationem. Ad ea cum nonnulla ille excipiat, quid virtutis in se vel argumenta mea, vel illius exceptiones contineant, priusquam finem tractationi imponamus, dispiciendum nobis est.

XLV. Provocabam ad exemplum Pharisæorum, qui ipsa Scriptura testante peccatum commiserant in Spiritum Sanctum. Supposui ex communi Theologorum, in hoc quasi conspirantium, doctrina, supponere peccatum illud non solidam tantum & perfectam rerum sacrarum, inprimis doctrinæ de Christo, totius Scripturæ nucleo, notitiam, sed internam & in animo immotam de veritate illius convictionem. Quæ duo ita manifesta fuerint in Pharisæis, non irregenitis tan-

tantum, sed impiis & perpetuis Christi persecutoribus, ut nec cum specie aliqua possint in dubium vocari. Ad hæc vero excipit p. 103. *Pharisæi peccatum in Spiritum S. committentes, gratiæ operanti restiterunt. Ast quid inde? Si intrassent ostium, vere cognovissent. Dum autem introduci se non patiebantur, ipsimet se se in Divinis vere agnoscendi potestate privabant.* Quæ verba pro more suo obscura ita intelligo: si Pharisæi non restitissent ultimo conversionis suæ puncto, tum notitia illa, quam ante ultimum illud conversionis suæ punctum actu ipso habuerunt, fuisset vera. Quando vero restiterunt ultimo puncto, tum ea ipsa numero notitia, quo minus fuerit vera, quasi fuit mortificata & veritas ex illa abolita. Est id nempe admirabilis illa & humanis viribus inconceptibilis metamorphosis, qua cognitio, quæ omnia habet essentialia cognitionis, qua cognitio est, requisita, ne una micula excepta, ob externum cognitionis fructum & effectum, quo sub finem destituitur, non obstante, quod in ipsa cognitione, qua cognitio est, sepositio ejus usu, nihil omnino mutetur, subito veritatem omnem amittit & in notitiam toto genere diversam transformatur Credat hoc mysterium, qui volet. Propono interea Theologo hæc argumenta. Quæcunque notitia hausta fuit ex ipso infallibili veritatis fonte, Christo & assensum in Pharisæis expressit, ob animi convictionem indubitatum, quamquam id externis verbis non fuerint confessi, ea est notitia vera. Pharisæorum. Ergo. Porro: quicunque peccatum in Sp. S. commiserunt, ii plenam perfectamque habuerunt veritatis cœlestis agnitionem. Pharisæi. Ergo. Iterum: Quicunque contra propriæ voluntatis & intellectus inclinationem, argumentis ex Scriptura deductis commoti & quasi coacti, veritati intra animum suum accesserunt, eorum notitia & assensus vere fuit supernaturaliter effectus, adeoque opus naturæ non fuit. Pharisæi. Ergo. Denuo: Quicunque intra conscientiam suam ex immoto & infallibili DEI verbo de veritate fuerunt persuasi, ii Divinam & immotam habuerunt de veritate persuasionem. Pharisæi. Ergo. Et quid plura dicemus, cum confitentem habeamus reum? Ita ille in Institutionibus Theologicis: *Peccatum in Spiritum S. supponit scientiam, & quidem ita efficacem, ut incredulitatem excutiat.* (Talis autem est vera scien-

scientia) *Tametsi enim Pharisæi & scribæ fideles non facti sint, procul dubio tamen Spiritus S. apud eos sic per ministerium verbi testificans, 1. Joh. V, 9. operatus est, ut efficaciam Divinam potenter experti, nihil desiderare ad obsequium præbendum amplius potuerint,* (quicunque vero Spiritus S. de veritate testimonium non receperunt tantum, sed efficaciam ejus eousque experti sunt, ut nihil defuerit nisi obsequium & effectus fidei, illi notitiam & assensum verissimum habuerunt) *sed ex pertinacia mere malitiosa posuerint obicem & quidem in verba ipsa contra Spiritus sanctissimi testimonium, secundum virtutem satis agnitum, destinato consilio eruperint.* Ecce quantum testimonium contra seipsum!

XLVI. Deinde dixeram, manus DEI non esse coarctatas, quo minus irregenitum quoad notitiam sacrorum ad ipsum conversionis ostium & introitum ducere possint. Respondet Antagonista, DEUM non agere juxta absolutam potentiæ suæ virtutem, sed ordinate. Recte equidem, nam hanc ordinatam potentiam intellexi & ipse. Juxta hunc enim ipsum ordinem potest DEUS hominem irregenitum adducere in primo gradu ad auditum verbi, in secundo ad amorem verbi, in tertio ad scrutinium verbi, in quarto ad verum sensum verbi, in quinto ad assensum verbi, in sexto ad immotam certitudinem verbi, seu omnium credendorum, quæ requiruntur ad id, ut fiduciam in Christum veram & immotam concipere possit. In hoc ordine non est abbreviata manus Divina, quo minus hominem irregenitum ad ipsum quasi conversionis suæ ostium adducere possit. Est enim in ipso conversionis suæ ostio, ut introire possit, constitutus, quando gradum illum, quem vocavi sextum, intra ipsum ordinem consecutus est. Quid igitur vis amplius? Excipit ulterius, aliter hunc ordinem delineari in Articulo A. C. quinto, ubi *fides à Spiritu S. effici dicatur in iis, qui audiunt Evangelium, scilicet quod DEUS non propter nostra merita, sed propter Christum justificet hos, qui CREDUNT: se propter Christum in gratiam recipi.* Pene ridiculum est, vocem: QUI CREDUNT, majusculis literis exprimi. Cur non majoribus adhuc literis repræsentavit voces: QUI AUDIUNT EVANGELIUM, cæteraque, usque ad: QUI CREDUNT? Potestne credere irregenitus, se propter Christum in gratiam recipi, nisi antea sciverit, quis

sit

sit Christus, propter quem in gratiam recipiatur? Nisi sciverit, quid sit in gratiam recipi? Quomodo ex gratia lapsi fuerimus? Quid per lapsum promeruerimus? Quo Divino consilio ex eodem eluctari queamus? Quid fecerit Christus, ut nos patri reconciliaret? Ut à maledictione legis nos liberaret? Potestne ille irregenitus credere in Christum, nisi prius audiat EVANGELIUM? Nisi legat, relegatque? Nisi notitiam omnium credendorum sibi contrahat? Nisi sciat, quid sit justificari? Quid propter Christum justificari? Quid non propter merita nostra justificari? Ecce hæc omnia singulaque quasi in ipsa articuli V. A. C. litera continentur, quæ vero universa transilit Antagonista & oculos in solum τὸ CREDUNT reflectit. Jam audiamus, quorsum hæc omnia singulaque referat? *Quamquam*, inquit, *Spiritus S. potest tantam in homine irregenito sacrorum notitiam producere, quanta præscripto ordini, ante conversionis maturitatem SUB LEGE congruit, tamen non tantam, quanta est in homine regenito*; (At Agrippa credidit Prophetis, nec plura credere seu assensu suo comprobare regenitus potest) *quia hic credidit, se propter Christum in gratiam recipi, atque eo ipso pacti Evangelici factus est compos, indeptusque notitiam hujus pacti propriam, quæ ceu donum gratiæ nec talis nec tanta erat, nec esse poterat, quamnondum eo adductus esset.* Contra: Quæcunque notitia regenerationem antecedens cognoscit DEUM in personis trinum, & Filium DEI ut redemptorem & à maledicto legis liberatorem, ducitque nos virtute vere Divina & corda nostra suaviter commovente, quantum in se salvo ordine est, ad salutem per Christum impetrandam, ea non ex lege timoris est, sed ex Spiritu potentiæ, per hos ipsos gradus, non legales, qui mortem adferunt, sed Evangelicos, quia gratiæ sunt, ad regenerationem nos causaliter promoventis. Atqui notitia ante regenerationem. Ergo. Porro: Quæcunque notitia, ad producendam regenerationem à Spiritu S. ordinata, eum gradum in subjecto irregenito attingit, quem & non alium Spiritus S. in hoc quidem gradu intendit, ea veram notitiam, quippe ad mentem Spiritus S. prorsus conformatam, eaque veram, non legalem, sed Evangelicam & spiritualem notitiam à Spiritu S. consequitur. At irregeniti notitia. Ergo. Denique: quicquid ad fidem efficiendam unicè

tendit, id perabsurde dicitur, veritatem suam à fide tanquam effectu suo indipisci. Atqui notitia. Ergo. Itane veritatem essentiæ suæ pater à filio, ceu effectu suo, consequitur? An viæ veritas à termino suo, ad quem unice tendit, dependet? Ex effectu rei ipsius veritas non acquiritur, sed antecessisse demonstratur. Quamquam & intercepto effectu, non ideo causa vera non antecessit. Quemadmodum non ideo mercenarius vere non laboravit, quia mercedem nullam accepit. Nec ideo DEUS ad gratiam & salutem omnes homines non vocavit, quia maxima pars ad gratiam & salutem non pervenit.

XLVII. Dixi porro: impossibile esse, ut quidquam à Spiritu S. ceu Spiritu omnis veritatis, proveniat, quin & ipsum sit verum. Qualis enim sit causa, talem & esse effectum. Provenire autem à Spiritu S. auditum verbi, scrutinium, amorem, notitiam, assensum. Nec enim alios effectus gratiæ prævenientis & præparantis nominari posse. Instat Theologus: meminisse Paulum duplicis Spiritus, *timoris & potentiæ*, 2. Tim. I. 7. Illum ad legem pertinere, hunc ad Evangelium. Illum irregenitis pœnitentibus, hunc renatis convenire. Ipse Theologus diffidit Spiritui illi timoris & legis, cujus tamen tota operatio est GRATIÆ prævenientis & præparantis. Spiritusne gratiæ est Spiritus timoris & legis maledicentis? Quare ad illud effugium sese recipit. *Posito autem, inde non diversam utrobique speciem constitui, supereſſet nihilominus, quod in quæstione est, non posse concludi aut sequi ex hoc medio termino, quod quæ minoris sunt gradus, ideo vera sint, quia sint à Spiritu S. effecta; siquidem fieri solet multis modis, ut Spiritus S. operationes, quæ ab eo vere proficiscuntur, impediantur ita, ut originis suæ puritatem & veritatem subjectis, ex ipsorum culpa, vel nondum, vel nunquam impertire queant.* Quæ si vera sunt, nihil uspiam verum erit in omni rerum natura. Nam & ipsius DEI operationes, sive in regno naturæ sive gratiæ, quæ ab eo proficiscuntur, impediuntur frequentissime, ut originis suæ puritatem & veritatem subjectis, ex ipsorum culpa vel nondum vel nunquam impertire queant. Ergo nullum monstrum vere erit à DEO. Ergo nec ulla in moralibus honestas & justitia & in Spiritualibus fides ipsa & pietas vera erit, quia DEI operationes in iisdem producendis ita plerumque impediuntur, ut originis

suæ

ſuæ puritatem nequaquam referant. Ita nullus in artificialibus effectus verus erit, quia plerumque iis quidpiam adhæret, quo artis origo, veritas & puritas contaminatur. Ita nec ipſa Theologi adverſus me diſputatio vera erit, quam variis laborare defectibus, craſſis inprimis hæretificationibus, vel ipſe amplius non diffitebitur. Ut igitur in rebus aliis omnibus, ſecretis ab iisdem vitiis, res ipſæ veræ ſunt manentque, ita & in gratiæ effectibus rem ita ſeſe habere à ſapiente quolibet non judicari non poteſt. Præterea cum iis rebus, quæ ſucceſſive & pedetentim exurgunt, ita comparatum eſſe omnes norunt, ut neceſſario & ex ipſo efficientis cauſæ inſtituto defectibus laborent, quibus ſi carerent, non intra ordinem gradusque, ſed in inſtanti producerentur. Quis dixerit, naturæ in generando operationes, quæ ab ea vere proficiſcuntur, ab embryone impediri, quo minus operationis ſuæ puritatem & veritatem, quæ hominem integrum producere velit, impetrare queat, cum quousque natura embryonem produxit, hominem omnibus partibus ſuis abſolutum ne quidem producere voluerit? Ne intendit quidem Spiritus S. in primo ſecundoque aut tertio gratiæ gradu notitiam una cum fide producere, ſed contentus eſt, ſi in primo gradu verbi auditum, in ſecundo ſcrutinium, in tertio amorem, in quarto notitiam, in quinto notitiæ incrementum, in ſexto aſſenſum impetret. Qui igitur ab irregenito requiri poteſt, ut in his gradibus fidem concipiat, quam ne quidem operari in iisdem Spiritus S. intendit, ſine cujus tamen ſubminiſtratis viribus homo agere nihil poteſt? Maneat itaque firmum fixumque, in primis gradibus id agere hominem irregenitum poſſe, quod intentioni cauſæ in eo operantis principis usquequaque conveniens eſt, adeoque & effectum ab eo productum neceſſario verum eſſe.

XLIIX. Adduxeram denique axioma illud commune: magis & minus non variare ſpeciem, ergo nec minorem, quæ in irregenito nonunquam ſit, notitiam per majorem, quæ in regenito eſſe poſſit, in aliam ſpeciem commutari. Ad hæc regerit pars adverſa: axioma illud intelligendum eſſe de gradibus ejusdem qualitatis ſeu potentiæ, naturalis vel ſupernaturalis. At hic eſſe diverſas ſpecies. Notitiam enim regeniti

esse supernaturalem, irregeniti naturalem. Ut aliud sit timor servilis, aliud filialis, ita & notitiam. Notitiam irregeniti ne fores quidem penetrare ejus notitiæ, quæ sit in regenito. Notitiam historicam sæpe majorem esse in irregenito, sed hanc esse naturalem & abusive dici notitiam. Hæc ille hactenus. Respondetur I. Si ne mica quidem notitiæ, quâ notitia est, nominari potest in notitia regeniti, quæ non sit in irregenito, tum frustra distinguitur inter diversas notitiæ species. Species enim semper per specificam aliquam rationem distinguuntur, quemadmodum homo & bestia distinguntur per rationalitatem & irrationalitatem. At tale quid inter notitiam regeniti & irregeniti nominari non potest. Quicquid enim nominatur, id non pertinet ad notitiam, quâ notitia in essentialibus suis considerata est, sed qua vel in causâ efficiente, quoad originem, vel in finali, quoad usum & effectum, aliqua differentia deprehenditur. Nam II. Si Adam & Abel, vinum in nuptiis Cananæis & vinum in Judæa quodcunque aliud, aqua ex petra excussa & aqua fontana quælibet alia, specie non differebant ideo, quod Adam supernaturali, Abel naturali, & sic quoque de vino & aqua loquendo, virtute fuerit productus, tum nec notitia rerum sacrarum, quæ à DEO juxta Antagonistam supernaturali virtute infunditur, ab ea, quæ nativa virtute verbi Divini, quando illud naturalibus viribus legitur & consideratur, infunditur, specie differt. Atqui verum est prius. Ergo & posterius. Et ratio est, quia causa efficiens est causa essentiæ externa, sicut & finalis, quibus quomodocunque se habentibus, essentia, in causis internis, materia & forma consistens, integra manet. Jam III. quæcunque notitia est cum assensu, rebus supra omnem rationem humanam positis præbito conjunctus, is non est naturalis, sed supernaturalis. Notitia in irregenito. Ergo. Probo minorem: quæcunque notitia sola ex parte hominis progenerare debet supernaturalem irregeniti in Christum, tanquam DEUM & hominem & totius mundi redemptorem fiduciam, ea notitia non potest esse nisi supra omnem naturam posita, immota & Spiritualis. Atqui notitia hominis irregeniti, eaque cum assensu vere Divino & immoto conjuncta, sola ex parte hominis. Ergo. Rogo enim te per viscera misericordiæ Divinæ, quid aliud in me hanc fiduciam excitare potest, quod DEUS propter

pter Christi passionem & mortem peccata mihi mea remittere & me in filium suum, ex inimico & æternæ damnationis reo, adoptare velit, nisi sola illa notitia & assensus, (qui ipse nisi immotus sit, nihil à DEO, adeoque nec regenerationem impetrat, Jac. I. 7.) quo certo & Divinitus scio & credo, DEUM habere Filium, qui pro totius mundi peccatis, adeoque & pro meis satisfecerit & ego quoque ejus satisfactionis possim particeps fieri, dummodo fiduciam meam in eum ponam? An ego possum fiduciam meam in aliquem ponere, quem non antea vere, verius verissime novi? An ego fiduciam meam in aliquem, supernaturale aliquid in me operaturum, ponere possum, nisi supernaturalis ejus rei notitia mihi fuerit infusa? An ego fiduciam meam in aliquem ponere possum, fore ut me DEO reconciliet, si non antea sciam tantum, sed & antea assentiar, quod & possit & velit fiduciam in eum ponentibus DEUM reconciliare? Et tamen his omnibus positis possum ob respectus temporales, utpote ob voluptates mihi oblatas, ob periculum mihi imminens, ob dubia mihi à Sociniano, Pontificio aut atheo objecta, ab actuali illa fiducia, non obstante illa certa & immota notitia & assensu, fiduciam meam in Christum non ponere, neque illam vel professione publica, vel vitæ emendatione publice testari; adeoque possum notitiam & assensum verum & Divinitus atque supernaturaliter in me accensum habere & tamen non converti, id est, irregenitus manere. Ecce annon hæc sunt conscientiam vestram convincentia argumenta, quod in homine irregenito detur vera, supernaturalis & Spiritualis, eaque cum assensu immoto conjuncta notitia, quodque adeo falsum sit, notitiam regeniti & irregeniti differre in specie naturalitatis & supernaturalitatis? In solo fructu & effectu differunt, in aliis non item. Cumque Antagonista supra in hanc sententiam, quod homo irregenitus firmum & immotum mysteriis præbere assensum possit, non aliter invectus fuerit, ac si nulla profanior doctrina excogitari unquam potuerit, ecce ad eundem emolliendum produco suffragium ejus doctoris, cujus auctoritati in hac conclusione sua quasi unice innixus fuit. Is est *D. Georg. Calixtus*, qui in Compendio Theologico, ubi de fide agit, p. m. 119. hæc habet. *Porro fides accipitur pro notitia in intellectu &*

pro adsensu, quo verum esse credimus, quod proponitur, propter auctoritatem proponentis. Atque inde etiam Theologis fides habitus quidem intellectus est, quo, quæ à DEO revelata sunt, cognoscimus & vera esse FIRMITER ET SINE ULLA FORMIDINE credimus. Verum hæc fides communis quoque est dæmonibus, Jac. II. 19. pluribus PEREUNTIBUS IMPIIS, adeoque omnibus, QVI PECCANT IN SPIRITUM SANCTUM, agnitamque veritatem CONTRA CONSCIENTIAM abjiciunt & pertinaciter impugnant, quique licet articulos fidei cognoscant, desperant tamen & pereunt. Annon hæc animos contradicentium velut tonitru quoddam percellunt? Impii, inquit, immo peccantes in Spiritum S. (ô horrendum!) quæ à DEO revelata sunt, FIRMITER ET SINE ULLA FORMIDINE CREDUNT. Immo dæmones ipsi, qua in re & quod & ipsi immotum mysteriis præbeant assensum, plures è Theologis sibi consentientes habet. Atque hæc ipsa impiissimorum notitia assensum tam firmum ET SINE ULLA FORMIDINE revelatis præbet, non ex naturali virtute, sed ut *Calixtus* ait, PROPTER AUCTORITATEM PROPONENTIS, seu ut *Musæus* locutus est, *propter veritatem revelantis ut revelantis;* ut adeo sit notitia & assensus supernaturalis. Quid requirere amplius potest Antagonista? Ne tamen objiciat, esse hanc singularem *Calixti* sententiam, ecce adjungo ipsi perpetuum de cætero ipsius adversarium, *D. Abr. Calovium*, qui in Syst. Theol. Tom. X. p. 303. *Gradus fidei secundus*, ait, *συγκατάθεσις seu assensus est, qui tamen communis est fidelibus & infidelibus, immo etiam ipsis Diabolis, Jac. II. 19. Ob hanc partem fidei nominatur ab Apostolo Hebr. XI. 1.* ἔλεγχος μὴ βλεπομένων, *argumentum, CERTA PERSVASIO de rebus nondum apparentibus.* Quicunque itaque habet notitiam firmam & sine formidine oppositi talem & certam persasionem, eidemque innititur propter auctoritatem revelantis, seu propter veritatem revelantem ut revelantem, ille habet notitiam & assensum (ipso Antagonista concedente) vere Divinum & supernaturalem. Atqui etiam impiissimi, in ipsa impietate & flagrante in Sp. S. peccato constituti, habent & retinent (alias contra conscientiam suam veritatem non abjicerent, aut eandem blasphemarent) notitiam & assensum firmum. Ergo. Videt itaque Antagonista, non mihi tantum, sed & *Calixto* atque *Calovio* objectari, quod in fine hujus §. temere ebuccinat:

certum

certum omnino est, nimis Pelagianam gratiæ injuriam inferri, cum ejusmodi contumacis impii notitia æstimatur supernaturalis. Cur vero non sit supernaturalis, cum sit ex convictione Spiritus Sancti per verbum, sine quo nulla natura assensum firmum & sine formidine oppositi talem efficere valuisset; id autem est supernaturale, quod naturæ vires excedit? Quando vero additur: *redditur notitia illa* apostatarum *naturalis;* dico, absonum hoc & ridiculum inventum, supernaturalia in momento mutandi in naturalia, nemini unquam hominum in mentem veniisse, nisi una hypothesis absurda (hominem irregenitum nihil supernaturale habere posse) alterum absurdum expressisset, nempe supernaturalia per metamorphosin quandam Ovidianam in ipso puncto mutati hominis status transsubstantiari in naturalia.

XLIX. Concludit tandem Theologus: *si quis affirmare ausit de irregenitis, qua non pertinaciter resistentibus,* (at hi, quamdiu sunt irregeniti, sunt sub lege & natura, qui itaque, quamdiu tales sunt, non possunt non Evangelio pertinaciter resistere?) *eum fovere manifestum Pelagianismi nervum, quantumvis subtiliorem.* (Gratiæ sunt agendæ novo *Philastrio,* quod in subtiliorum tantum hæreticorum caveam compingere nos voluerit) *Si vero de irregenitis, qua pertinaciter resistentibus,* (quales sunt impii & peccantes in Spiritum Sanctum) *in hoc ipso Pelagianismi nervum crassissimum versari.* Væ itaque vobis, *Calixte,* qui antea tam gratus & acceptus fuisti, & *Calovi!* De scandalo vero, quod præbere me Pelagiana defendendo, ex zelo non secundum scientiam causatur Theologus, DEus & Ecclesia judicabunt.

L. Poteram in his acquiescere. Sed cum Theologus, ad eo fortius persuadendam suam sententiam, in compendio nervum omnium antea dictorum repetat, non ingratum aut molestum erit lectori, si & ego nervum responsorum, Syllogisticis vinculis adstrictum, adjecero. Itaque: *Negamus,* inquit p. 106. *impios DEum & Divina vere cognoscere. Nam I. efficaciam actualem ad vere cognoscendum, verbo DEI oblatam, impii* (& irregeniti; est enim utrorumque, quoad repulsam efficaciæ actualis, in fide consistentis, una prorsus eademque ratio) *pertinaciter resistendo, ab intellectu æque ac voluntate excludunt penitus, quia*

lex

lex peccati & mortis unum est vinculum, à cujus tenebris & laqueis non datur liberatio, nisi per legem Spiritus vitæ in Christo JEsu. Rom. VIII. 2. 1. Cor. VIII. 2.

LI. Argumentor: Quicunque verbum DEI audiunt & scrutantur, perque hoc scrutinium vel majorem vel minorem rerum in verbo DEI contentarum notitiam sibi acquirunt, adeoque hoc ipso voluntati DEI, hoc Evangelice præcipienti, Joh. V. 23. satisfaciunt, ii quamquam ea, quæ in verbo DEI præcepta sunt, ut credamus & faciamus, Joh. VI. 29. neque credant, neque faciant, in omnibus antecedentibus pertinaciter non resistunt. Irregeniti. Ergo. Ut enim non tantum præceptum est, ut credamus, sed etiam, ut, quo credere possimus, audiamus, Joh. V. 24. Rom. X. 17. ita quando auditui & quæ auditui connexa sunt, non resistitur, perinde voluntati DEI Evangelicæ obsequium verum præstatur, ac cum fidei non resistitur. Unde porro: quicunque notitiam, per verbum DEI sibi oblatam admittit, inque hoc Spiritui S. obsequitur, is veram notitiam ex intellectu suo non excludit, quamquam excludat completam & in effectu suo perfectam. Irregenitus. Ergo. Sicut discipulus, philosophiam à Præceptore discere jussus, cum Logicam sibi notitiam acquisivit, cæteris vero disciplinis comprehendendis pertinaciter obnititur, veram tamen sibi notitiam, quamquam non completam & perfectam, acquisivit. Iterum: si à lege peccati & mortis tenebris non datur liberatio, nisi per legem Spiritus vitæ, in regeneratione nempe acceptæ, tum consequitur, nullam ante regenerationem dari notitiam mysteriorum, sanctam cogitationem, desiderium boni, pium propositum, nullosque plane effectus gratiæ prævenientis & præparantis, sed meros legis effectus, eosque mortiferos, consequenter à Spiritu gratiæ inspirari effectus mortem adferentes. Atqui. Ergo. Nempe qua & quatenus & quousque irregenitus verbum DEI audivit, ad animum revocavit, mysteria cognovit, iisdemque assensus est, in tantum efficaciæ actuali ad vere hæc cognoscenda non restitit, multo minus in his pertinaciter restitit, sed motus Spiritus Sancti supernaturales admisit, neque ideo legi peccati & morti fuit objectus quod impium esset dictu & in Spiritum S. propemodum blasphemum, sed Evangelio potius Spiritus locum

dedit

dedit. Sed quod cum his ipsis Spiritus adminiculis ad ulteriora pergere & ipsam fidem concipere, Christianisque virtutibus fidem testari deberet, huic ulteriori motui Spiritus S. restitit, in hoc, non in illis prioribus, è statu Evangelii in statum legis prolapsus est & legi peccati & mortis obnoxius factus. A quibus tenebris nonnisi per legem Spiritus in Christo JEsu dari liberationem ultro largimur. Argumentor denuo: quicunque à congenita ignorantia omnium mysteriorum Divinorum & contumaci resistentia, omnibus motibus Spiritus Sancti opposita, à Spiritus S. gratia supernaturali, quippe præveniente & præparante, liberati, verbum DEI scrutantur, notitiam ex eo veram & sensui quorumlibet locorum convenientem, assensum item, sanctam cogitationem, piumque propositum conceperunt, illi hactenus & in his non restiterunt legi Spiritus vitæ, illos vivificare incipientis, sed in his liberati sunt à lege peccati, quæ in his eis non amplius dominatur, & mortis, quæ ob hæc non amplius eos sibi obnoxios facit, quamquam & lex & mors dominium in eos ideo exercere possit, quia spretis illis Spiritus Sancti donis non ulterius progressi, sed è contra in priores errores relapsi sunt. Atqui irregeniti. Ergo. Denique: Si lex peccati & mortis, lex item Spiritus vitæ Christi in uno homine regenito, pro diversa prædicatorum ratione, simul consistere possunt, quanto magis in uno homine irregenito? Atqui verum est prius juxta Rom. VII. 23. 24. Ubi pariter duplex illa lex, peccati & Spiritus Christi, in uno regenito quoad diversos actus comparent. Major probatur, quia in Paulo Spiritus Christi legi peccati fortius resistere poterat, quippe qui Spiritum Christi non assistentem tantum, sed inhabitantem, pleneque eundem illuminantem, habebat. Et tamen poterat in ipso regenito aliquando per resistentiam novam expugnari, ut tamen notitia antecedens non ideo vera non fuerit. Ecce quæ quantave primo principali argumento Antagonistæ grandem in se nervum continente, possint opponi!

LII. Progreditur Antagonista: *Quicquid graduum sub præveniente & præparante gratia videntur irregeniti attingere, id transit & aufertur, simulac recrudescit obnitendi malitia, quæ secum fert judicium gravius ad occæcandum. Qui enim ante conversionem integram*

gram reſiſtunt, ad vere cognoſcendum non emergunt, quia legis velamine adhuc premuntur.

LIII. Ego prorſus eundem in modum colligo: quicquid graduum ſub præveniente, præparante & perficiente gratia, usque ad fidem incluſive, videntur irregeniti attingere, id tranſit & aufertur. ſimulac Davidis exemplo per adulterium & homicidium recrudeſcit obnitendi malitia, quæ ſecum fert judicium gravius ad occœcandum. Ergo nullus regenitus in peccata mortalia prolapſus, ante lapſum veram habuit rerum ſacrarum notitiam, ſed quicquid notitiæ habuiſſe videbatur, id tranſiit & ablatum eſt per novam renitendi malitiam. Dices: procedere argumentationem de irregenito ante converſionem, quippe qui ſit ſub lege, non poſt converſionem, ubi ſit ſub Evangelio. Reſpondetur: irregenitus ante converſionem, quousque gratiam in ſe operantem pro modulo gradus admittit, non eſt ſub lege, ſed ſub Evangelio. Eſt enim contradictio in adjecto, gratiam admittere & tamen ſub lege eſſe. Quamprimum renititur ulteriori gratiæ, ſub legem compingitur. Regenitus, quamdiu juſtificantem gratiam admittit & retinet, ſub Evangelio eſt, quando eandem repellit, ſub lege. Quid igitur quæſo differentiæ eſt inter utrumque?

LIV. Sequitur tertia Theologi concluſio: *Quum multo plurima per gratiam Evangelicam vere cognoſcenda ſint, quicunque haud convertuntur, neceſſe eſt, careant myſteriorum, regni DEI illorum omnium vera cognitione; quamquam iſti nec, quæ legis ſunt, plene aſſequantur. 1. Tim. I. ſ. 6. 2. Tim. III. ſ. 7. His poſitionibus profecto non fallimur, nec fallimus quemquam.*

LV. Nihil hoc eſt aliud, quam repetitio inſipidæ illius doctrinæ, quod, quæcunque notitia myſteriorum, quantumlibet maxima ampliſſimaque, in nondum converſis vel irregenitis reperiatur, non ſit vera, ſed tum demum vera per ſubitam & momentaneam metamorphoſin reddatur, quando homo credit; quemadmodum idem homo credens, in ipſo puncto mathematico, quando credere deſinit, eandem notitiam, quæ per fidem hactenus vera fuit, per eandem metamorphoſin in notitiam falſam denuo commutet. Eſt hæc ſententia vere ridicula. Quo pacto verba Pauli ad Agrippam:

cre-

credisne Agrippa? Scio, quod credas; ita fuerint interpretanda: credisne Agrippa, ut præ te fers? Nihil minus quam vere credis. Scio enim, quod falso & terrene & dæmoniace credas. Si autem vere credit, qui per gratiam Evangelicam credit, quis magis unquam vere credidit, quam Agrippa, qui per meram gratiam Evangelicam, in Prophetis & à Paulo ipsi oblatam credidit? Sed ea de re ad nauseam usque in superioribus dictum est.

LVI. Pergit concludere Theologus: *Quæ eum prolixe sint explicata & demonstrata, abunde satisfactum erit postulato illi dissentientium, quo tanquam invicto argumento, negantes quidquam esse in notitia regenitorum, quod non æque sit in notitia hominis irregeniti, ne unica MICULA excepta, præter nudam solamque applicationem, ejusque immediatos & necessarios effectus, requirunt atque urgent monstrandum, quid ergo præterea sit, quod notitia irregenitorum non habeat. Satis enim responsum est, non miculam modo aliquam, sed TOTUM LUMEN SPIRITUS, seu efficaciam illuminantem, quam verbo suo offert etiam impiis quibuscunque, abesse cognitioni ipsorum, qui eam pertinaci repugnantia repellunt, neque admittunt, seu recipiunt.*

LVII. Hic tandem ex toto pectore gaudeo, MICULAM illam nominatam esse, quam toties nominari exoptavi. Quamquam vero ex tota hactenus instituta tractatione abunde constet, hanc miculam etiam in irregenitorum notitia reperiri, excepta luminis ad effectum applicatione, tamen, ut res clarior fiat, syllogismis adversarium constringemus. I. Quicunque concedit, irregenitos habere aliquando veram notitiam, sed eam accedente resistentia non RETINERE, is concedit, irregenitos aliquando habere lumen Spiritus. Lumen enim Spiritus & notitia à Spiritu excitata sunt unum prorsus idemque Atqui Antagonista. Ergo. Neque excipi potest, se quando concedat, notitiam aliquam in irregenito esse, sed non retineri, intelligere notitiam naturalem, non veram; nam hæc accedente resistentia notorie non amittitur, sed retinetur. Ergo manifeste concedit, in irregenito esse lumen. Nec etiam excipi potest, ceu alibi facit, lumen hoc esse lumen noctis, non diei. Nam præter ea, quæ in superio-

ribus responsa sunt, lumen noctis est merum σιδηρόξυλον, quemadmodum pleraque inventa ex desperatione μορμολύκεια alia. Et si juxta Antagonistæ ultimam hanc declarationem TOTUM LUMEN Spiritus ab irregenitis abest, etiam lumen noctis, qua à Spiritu S. juxta ipsummet est, abest. Atque adeo controversia eo tantum redibit, annon regeniti majus lumen, quam irregeniti habeant? Contra quod vero II. argumentor: quicunque omnem omnino notitiam omnium singulorumque credendorum, excepta sola ad conversionem, tanquam notitiæ finem, illorum applicatione, per verbum, assistente verbo perpetua efficacissimaque Spiritus S. gratia, acquirere potest, ille totum lumen Spiritus, ne unica quidem MICULA excepta, præter solam conversionem, tanquam luminis applicationem, finem & effectum, sibi acquirere potest. Irregenitus. Ergo. Major probatur, quia conversio ipsa non est lumen, sed luminis effectus. Absurdum autem esset, si id, ad quod efficiendum tendit lumen, lumen diceretur ejus quod ad se efficiendum tendit. Lumen illuminat hypocaustum, ut operationes in eo possint peragi, quæ in tenebris peragi nequeunt. Quam absurdum autem esset, si quis dicere vellet, peractionem negotiorum lumen demum verum præbere lumini, hypocaustum illuminanti? Ita quoque fides in regeneratione pariter est effectus prioris luminis, id est, notitiæ & assensus antecedentis, non autem lumen notitiæ & assensui accendit. Hæc duo enim, ut recte observat *Calovius*, lumen accipiunt à verbo, recte audito & ruminato atque apprehenso, non à fide, quæ est *Calovio* dicente finis & effectus notitiæ. Non negatur interea, fidem alia ratione lumen esse, non notitiæ & assensus, sed effectuum aliorum plurimorum, utpote apprehensionis justitiæ Christi, complacentiæ in bonitate Divina, pacis conscientiæ, patientiæ in tribulationibus, bonorum quorumlibet operum, ipsiusque viæ ad salutem æternam ostendendæ, summatim omnium eorum bonorum, quæ fidem insequuntur. Et quidem hæc omnia adeo vera, adeo clara, adeo manifesta sunt, ut Antagonista, nec si vellet, negare possit. Impossibile enim est, irregenitum posse fiduciam in Christum concipere, nisi antea veram & Spiritualem notitiam omnium credendorum habuerit. An enim fides cœca

erit,

erit, ut credat, quod non antea verum esse apprehenderit? Denique III. Quicunque ante ultimum gratiæ gradum, nempe regenerationem, omnem omnino notitiam & assensum, ad regenerationem necessarium, tanquam ex parte hominis unicum medium & causam, fiduciam in Christum producentem, admittit, ille ante regenerationem eandem non repellit, sed recipit. Irregenitus. Ergo. Qua igitur quæso confidentia dici potest, lumen illud ab irregenito repelli? Nunc tandem denuo peto rogoque, ut unica mihi notitiæ & luminis MICULA (dico: notitiæ, non effectus, aut finis notitiæ) ostendatur, quæ sit in irregenito, non autem pariter reperiri possit in irregenito?

LIIX. Instat Theologus; se diversitatem notitiæ in regenito & irregenito, non ex effectibus, sed *ex principiis effectivis ante omnem applicationem* comprobasse. Sed vero hoc ipsum est, quo & se & alios misere decepit. Ostendi hoc ad oculum in Disputatione de Consectariis, in qua singula viri argumenta, pro essentiali utriusque notitiæ differentia allata, quam vim habeant, ita comprobavi, ut quid reponeret, non inveniret, nisi ut iram in me suam effunderet. Nunc vero ex suamet hypothesi argumentor: quæcunque tantum principiis effectivis ante omnem applicationem differunt, ea essentialiter inter se non differunt. Ratio est, quia principia EFFECTIVA sunt extra essentiam subjecti. Quomodo igitur essentialem differentiam constituere possunt? Quo itaque argumento assertionem suam corroborare voluit, eo eandem directe destruxit.

LIX. Denique: *quando vero non negamus, semper inesse verbo DEI vim Spiritus Sancti actu primo, hæc autem ut se exerat actu secundo apud impios sufficienter, ab his resistentibus impediri; qui idcirco indolem notitiæ, effectam à Spiritu S. veram non capiant, gratia & Spiritu veritatis illuminatam, verum careant efficaci hoc cognoscendi actu & habitu, nec Spiritus Sancti mentem capiant in mere Spiritualibus. Quid clarius efferri potest?* Immo nihil obscurius. Argumentor tamen, quantum intelligo. I. Quæcunque notitia se actu secundo in impiis exerit, usque ad ultimum illum regenerationis effectum, exemplo Agrippæ, ea integre sese exerit. Atque irregenitorum notitia. Ergo. II. Quæcunque notitia pro illo gradu, in quo constituta est, prorsus ad mentem & intentionem Spiritus Sancti sese exerit, ea eo ipso vera & spiritualis

notitia est & integre pro illo gradu sese exerit. Notitia irregeniti in quibuscunque gradibus. Ergo. Et: quæcunque notitia in illo gradu admittitur & exercetur, ea à resistentibus non impeditur. Atqui. Ergo. III. Quicunque in effectu id norunt, quod cujusque gradus ratio & natura ex intentione Spiritus Sancti, hunc gradum cum hac indole constituentis, requirit, ii indolem ejus gradus integre capiunt, in quo constituti sunt. Irregeniti. Ergo. IV. Quicunque gradus notitiæ in scala gratiæ ad mentem Spiritus Sancti, illam scalam & gradus præcipientis & vires scandendi dantis, neque plus in illo gradu requirentis, actu ipso sunt, ut ita loquar, adscensi, illi gradus sunt gratia & spiritu veritatis illuminati. Tantum enim Spiritus lumen acceperunt, quantum in illo gradu, & non majus, ille requisivit. V. Quicunque in primo gratiæ, ipsum præveniendo excitantis, gradu verbum DEI hunc ipsum in finem, ut Spiritui Sancto ipsum excitanti obsequatur, adeoque bono animo audit; in secundo gradu notitiam à Spiritu Sancto ipsi cum verbo & per verbum instillatam apprehendit; in tertio gradu per virtutem Spiritus Sancti, in verbo & per verbum notitiæ insitam, mysteriis assentitur, differt tamen ob certas causas completam conversionem, is Spiritus Sancti mentem, in his actibus & habitibus pro modulo & intentione cujusque gradus verè capit, & quidem in meris spiritualibus. Irregenitus. Ergo. Quid clarius efferri potest?

LX. Sequitur postremo Theologi Epilogus, qui nec ipse sine interposito verbis ipsius judicio transmittendus est. *Communicamus*, inquit, *verba, ut signa rerum recepta & evidentia.* (Videat Theologus, si suamet verba intelligit, ne semetipsum ex sui amore decipiat. Credat potius toti mundo & suismet discipulis, qui de proponendi, qua utitur, obscuritate perpetuo conqueruntur) *Evidentiam verum, ex verbis percipiendam, petere à DEO debent, nec contrario voluntatis affectu sibi deesse. An poterunt aliquando conqueri, non clare id docuisse Scripturam Sacram?* (Utique clare docuit Scriptura, notitiam rerum sacrarum cum praxi fidei & operum debere esse conjunctam. Sed eadem simul conquesta est, multos servos nequam vere noviisse voluntatem heri sui, nec tamen eandem facere. Sicut eadem Scriptura docuit, cum omnibus consiliis laboribusque nostris

ſtris conjunctam eſſe debere mentem ad DEum directam & in preces effuſam. An poterunt aliquando conqueri homines, non clare id docuiſſe Scripturam ſacram? Et tamen eadem Scriptura docuit, plurimos homines in conſiliis actionibusque ſuis maledicere potius DEO, immo dicere in corde ſuo: non eſt DEUS. An poterunt & hi aliquando conqueri, non clare id docuiſſe Scripturam Sacram?) *Hæc teſtatur expreſſe, impios non habere Spiritum, licet verbum DEI habeant. Ep. Jud. v. 19.* (Teſtatur utique, impios non habere Spiritum, ipſos gratioſe inhabitantem, cujus motibus, ad fidem & pietatem eosdem ſollicitantibus, ut debebant, obſequantur. Sed eadem Scriptura teſtatur, impios habere Spiritum, proxime ad fores ipſorum cordium ſtantem & per verbum ejusque notitiam & aſſenſum illa pulſantem. Ap. III. 20. Quo enim alio id pacto fieri poteſt, ut pulſet, niſi velis, eundem vi magica aut immediate pulſare? Ecce igitur, impii, non obſtante, quod juxta Scripturam non habeant Spiritum, tamen juxta eandem Scripturam habent nihilominus Spiritum!) *ſemper diſcere, nec poſſe ad veritatis agnitionem venire. 2. Tim. III. 7.* (Ut mulierculæ illæ ordini Spiritus Sancti prorſus convenienter fecerunt, quod ſemper fuerunt μανθάνουσαι, id eſt, verbum Divinum audiverunt, notitiam inde ſibi aliquam acquiſiverunt & in verum illius ſenſum, ſive quoad doctrinalia, ſive quoad moralia, inquiſiverunt, in eo vero à Spiritus Sancti ordine aberrarunt, quod vel curioſitate intempeſtiva, vel ex aliorum ſeductione, ſenſum mentemque Spiritus Sancti non ſunt aſſecutæ, adeoque ad agnitionem veritatis non venerunt: ita & irregeniti, quando in primo ordinis Divini gradu vere audiverunt verbum DEI, in ſecundo gradu vere ſenſum ejus ſcrutati ſunt, in tertio tamen curioſitate & deceptione ſeducti fieri poteſt, ut ad verum ejus ſenſum non perveniant. Quid hic contra nos?) *Cur non poſſint, prolixe eſt declaratum.* (cur vero poſſint, non declaratum tantum, ſed & ad oculum demonſtratum) *Si contradicentes porro, quod Scripturarum ductu eſt veriſſimum, nolunt intelligere, legant & intelligant alii.* (Ego vero certus ſum, ſi vel mille alii legerint, vix centeſimam lectorum partem intellecturos eſſe. Quanti enim mihi conſtiterit, ut partim ob dictionis obſcuritatem, partim ob hypotheſes nunquam antea

à me

à me vel lectas vel auditas, quas μορμολύκεια ideo jure meritoque nominavi, ad qualemcunque eorum intellectum penetraverim, ipse mihi indubitatus sum testis) *Sintque testes, quod & quomodo animas nostras liberaverimus.* (Misera est animæ liberatio, quæ dum aliorum animas periculo hæreseos exolvere omni labore nititur, propriam erroribus neque unis neque exiguis implicat) *Qui vero impiorum cognitioni veram indolem haud derogant, quid aliud efficiunt, quam ut etiam pietati auferant orationem? De quo Pelagianismi effectu maxime conqueritur Augustinus.* (Etiam sub finem adhuc volitant Pelagianismi nervi. E quibus hunc capiant, qui feliciori me sunt ingenio. De cætero *Augustinus* tam idoneus est nervorum Pelagianismi testis, quam idoneus est testis nervorum Prædestinatianismi, quoad gratiæ Divinæ universalitatem, irresistibilitatem & inamissibilitatem.) *Ut de reliquis hypotheseos fructibus malis plura reponere supersedeamus;* (Quos nempe in sua doctrina abunde inveniet, si hanc ei tractationem legere fuerit integrum) *nec videamur inutilibus aliorum distorquendi conatibus denuo ansam exhibere.* (Cur igitur hac ipsa Disputatione sua ansam illam mihi exhibuit? Quicunque sciens volensque juxta propriam confessionem distorquendi veriora ansam præbet, is peccatum voluntarium & proæreticum committit) *Denique cum D. Chemnitio testamur & fatemur, nos ab illis dissentire, qui fingunt opiniones, quæ nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesia, & ne talibus adstipulentur, vel iis patiantur sibi imponi, Ecclesiæ studiosos monemus, sentimusque, nullum dogma in Ecclesia novum & cum antiquitate pugnans recipiendum. Quale omnino quidem est, impios DEum & Divina vere cognoscere.* Quod si serio ita cum *Chemnitio* sentit Theologus, edoceri ab ipso cupio, quænam testimonia ullius temporis in Ecclesia, vel antiqua, vel recentiore habeant sequentia ipsius dogmata, in Nervis ipsius utramque paginam facientia. Eos duntaxat testes merito excipio, qui jure meritoque vel toti Ecclesiæ nostræ, vel saniori ejus parti sunt suspecti. Sunt autem dogmata illa, quæ sequuntur:

I. Posse & debere voluntatem intellectui assensum imperare in iis, quæ intellectus vera aut falsa, bona aut mala esse ignorat.

II. No-

II. Notitiam irregenitorum veram quidem esse veritate qualitatis, non veritate actus seu operationis completæ.

III. Spiritum S. in alieno versari officio, quando primos notitiæ & assensus motus in homine irregenito producit.

IV. Resistentiam posterioribus Spiritus S. motibus oppositam veritatem motuum anteriorum perimere & annihilare.

V. Hominis regeniti notitiam, quando in peccata mortalia prolabitur, in momento lapsus ex supernaturali transmutari in naturalem.

VI. Hominem in peccata mortalia prolapsum omnem de rebus sacris notitiam, eamque veram, illico amittere.

VII. Horrendum esse, hominem impium tantam habere posse rerum sacrarum notitiam, quantam habet pius & regenitus.

IIX. Notitias de DEO naturales, notitiarum praxi destitutas, non esse veras.

IX. Pelagianismi nervum esse, dari in homine irregenito notitias veras & supernaturales, ante completam conversionem, quantumlibet illæ à Spiritus Sancti gratia præveniente & præparante sint excitatæ.

X. Quicquid notitiæ & assensus in homine irregenito per gratiam Spiritus S. prævenientem & præparantem producatur, ad pactum Legale, non ad Evangelicum pertinere.

LXI. Quæ si idoneis testibus comprobaverit Theologus, tum demum *Chemnitii* monito satisfeciisse ipsum libenter profitebor. Ita defuncti examine Disputationis nobis oppositæ, virorum bonorum & extra partes positorum judicio, dummodo hæc nostra cum studio legerint, singula libentissime subjicimus. Sub finem DEUM seriis precibus venerantes, ut eorum oculos, qui à veritatis luce aberrant, per gratiam Spiritus S., de cujus gratioso & Evangelico opere unice inter nos agitur, aperire, inque viam nos veritatis deducere velit, ut idem inter nos sentire omnes, omnesque sensus nostros ad nominis ipsius gloriam & animarum nostrarum salutem dirigere queamus. Faxit id DEUS Pater per Filium suum, Redemptorem nostrum, in Spiritu Sancto!

Amen.

INDEX I.
Capitum.

Numerus Romanus Præfationem & adjectam ei de Pelagianiſmo Diſputationem, Barbarus vero Tractationem ipſam deſignat.

Præfatio Auctoris ad Lectorem: in qua de momento controverſiæ & de D. Speneri libro Theoſophia dicto, agitur. I - XXXIIX.
Diſputatio de Pelagianiſmo â Lutheranis depulſo. XL - LXXX.
Proœmium de occaſione ſcripti. 1 - 7
Cap. I. Quod de ſtatu controverſiæ disquirit. 8 - 20
II. Quid ſit Pelagianiſmus, oſtendit. 20 - 24.
III. In quo de Illuminatione, ejusque gradibus disquiritur. 24 - 47
IV. In quo de ſpecialibus converſionis gradibus agitur. 47 - 51
V. In quo de ſupernaturalitate horum graduum agitur. 51 - 55
VI. In quo de Reſiſtibilitate graduum gratiæ agitur. 55 - 62
VII. In quo de ſpiritualitate graduum gratiæ agitur. 62 - 84
IIX. In quo de Theologorum conſenſu & auctoritate disquiritur. 84 - 115
IX. In quo an & in quantum D. Jo. Muſæus nobiſcum conſentiat, disquiritur. 115 - 126
X. In quo de gradibus illuminationis denuo agitur. 126 - 144
XI. Quod concluſionem dictorum in ſe continet. 144 - 153
XII. De Concluſione â Theologo adjecta. 153 - *fin.*

INDEX

INDEX II.

Dictorum Sacræ Scripturæ.

Gen. XLIX. 5. Latrocinantia. - - 125
I. Sam. XXIV. 10. Pulsavit cor suum. - 140
Esai. V. 1. f. vineam colit. - - 58. 59
2. 3. - - - - XVI.
4. - - - - - LI.
Matth. VI. 7. 8. Petra. - - LXVI.
XIII. 13. videntes non vident. - 27
Marc. IV. 26. f. Semen germinans. - 25. 59
Luc. IV. 41. noverant. - - 167
IIX. 18. Intenta. - - XLVI.
XII. 47. Sciens voluntatem. - 40. 134. 135
XIX. 26. Qui non habet. - - 50. 51
Joh. I. 9. Illuminans omnem. - 27. f. 141. 142.
IIX. 31. 32. Libertas. - - 203
37. Non potestis audire. - - 67. 68
42. 55. Ignorant. - - 165
43. 44. 45. Libertas. Veritas. - 167
44. A Diabolo. - - 69
XII. 40. Excœcavit oculos. - - 27
XIII. 17. Si sciveritis. - - 41
Act. VII. 51. Semper resistitis. - - 12 f.
XVI. 14. Cor aperuit. - - LXV.
XXIV. 25. ἔμφοβος ἐγένετο. - - 14. 208
XXVI. 18. Ad aperiendum oculos - 25. 26
27. Credis. - - 159
28. Parum abest. - LII. 59. 107. 108.
Rom. II. 15. Conscientia. Lex scripta. - XXXIIX. 37
VI. 14. Dominatur. - - 203. 204

1. Cor. II. 14. 15. Animalis. - LXII. f. 84. 90. 91
IIX. 2. Sicut oportet. - 27. 197
XII. 8. Scientia. - - LXXIII. f.
XV. 34. Ignorantia DEI. - - 52
2. Cor. II. 16. Odor mortis. - - 171. 172
III. 16. 17. Velamen. - - 203
IV. 6. Converſi. - - XLVI.
VI. 1. Gratiam accipere fruſtra. - LII. 57
Gal. IV. 19. Multa cum anguſtia. - - 81
V. 18. Aguntur. - - 203. f.
VI. 1. Occupatus lapſu. - - 136
Eph. I. 7. 10. Divitiæ. - - XLVII
2. Theſſ. II. 11. Credant mendacio. - 171. 172
Tit. I. 1. Cognitio veritatis. - - LXXIII.
Hebr. III. 6. Domus Chriſti. - - 165
VI. 4. 5. Guſtavit. - - 120
XI. 6. Sine fide. - - XVI.
2. Petr. I. 19. Donec. - - 77. 119
1. Joh. II. 27. Indifferentiſtarum interpretatio. - 3
III. 6. 9. DEUM non cognovit. - 133. 150
V. 6. Teſtatur Spiritus. - - 150
Jac. III. 15. - - - v. 70. 125
Apoc. III. 20. - - - 152

INDEX III.

Doctorum, Verborum, Rerum.

A.

Actiones Pædagogicæ, qua naturales, qua ſupernaturales. 21

Alter-

Altercandi libido Academicis objecta. 7
Arnoldi Historia Hær. quibus sit in pretio? 3. 4
Assensus & is quidem immotus necessario antecedit fidem. 56
Auditui verbi partim naturalis, partim supernaturalis operatio pro diversa considerandi ratione adscribitur. XLIX.
Augustini loca de Prædestinatianismo suspecta. 180
Varenii de Augustino judicium. 183
Alia loca ex Augustino suspecta. 194. *s.*
Quid de Disputationibus ejus contra Pelagianos sit sentiendum? 174. 175

B.

Breithaupt de gradibus gratiæ. LXII.

C.

Calixtus testis veræ notitiæ in irregenitis. 86
De gradibus gratiæ. LIX.
Carnale quid sit & an duplici modo dicatur? 108
Carnalis est, vel qui sollicitatur à carne, vel qui ei obsequium præbet. LVII.
Carpzovius testis notitiæ in irregenitis veræ. 191. 192
Certitudo Divina & infallibilis Divinitatis Scripturæ in irregenito & impio. 158. *s.*
Chemnitius de gradibus gratiæ. 98
Supernaturalia in irregenitis agnoscit. LXXVII.
An doceat, in homine peccante manere illuminationem? 142
Completum quid quotupliciter dicatur? 41
Dicitur vel essentialiter vel accidentaliter. 67
Compunctio inevitabilis. L.

Compunctio semper est gratiæ opus. 113
Constanter resistere an de uno actu dicatur? 11. *f.*
Conversio est gradualis. XLV. *f.*
Proprie ad voluntatem pertinet. XLIV. XLV.
Ordinarie non nisi longo labore perficitur. 56
Conversus dicitur vel absolute vel cum addito. 45. 46
Convictio de Divinitate verbi in irregenitum cadit. 105

D.

Daunhawerus. Supernaturalia in irregenito agnoscit. LXXVII.
De ejus Hodosophia judicium D. Speneri. XXXIV.
Quomodo definiat Theologiam? *ibid.*
An sibi alibi contradicat? XXXVII.
Docet, supereſſe in homine lapso illuminationem. 136. *f.*
De gradibus gratiæ. LIX. 86
Definitiones rem definitam in perfectissimo suo statu definiunt. XXXVII.
DEus quomodo alienum faciat officium? 130
Diaboli notitia circa DEum est vera. 170
Disputationes, in quibus Respondentes sunt Auctores. 191
Doctores Ecclesiæ impii an possint dici illuminati? LXXIII.
Dorscheus non adversatur veritati notitiæ in irregenitis. 87

E.

Emphatica locutio figurata est. 39
Evangelicæ promissiones non omnes requirunt fidem, sed nonnullæ fidem promittunt & efficiunt. 33. 34
Experientia an ad notitiam necessaria? 119. 120
Cognitionem veram non facit. LXXV.

F.

Fides an & quomodo sit lumen? 228
προσκαιρος immota dici potest. 166. 167
Fidei partes sunt gradus, ut pars prior semper posteriorem progeneret. 96. 162
Fiducia in meritum Christi concipienda necessario supponit certitudinem notitiæ Divinam. 160
D. Fœrtschii consensus de vera notitia. 116

G.

Gratia perficiens & ipsa resistibilis est. LI.
Ejus gradus vel generaliter describuntur vel specialiter. 96. 97
Ejus gradus, cum in prævenientem, præparantem & reliquos dispescuntur, singuli cum latitudine plurium actuum & minorum graduum accipiendi sunt 47
Gratia præveniens, præparans, operans. XLVII.
Ejus gradus juxta Augustinum. 179
Gradus primus est inevitabilis. L.
Ejus gradus se invicem consequentes. 28. 29. 30
Gradus speciatim recensiti. 185. 186
Hactenus non satis evoluti. XX.
Gratia quot quantosque effectus in homine nondum regenito producat? LII. LIII.
Gratiæ gradus juxta veteres innumeri. XLVI. XLVII.
Gratia resistibilis est. LI. 55. *f.*

H.

Hæresis ut innocenti objectetur, tolerandum non est. IIX.
O. Henrici de gradibus gratiæ. LX.
Testis veræ notitiæ in irregenitis. 87. 88

Hollazius teſtis veræ notitiæ 113. 114
Judicium de eo. ibid.
Hülſemannus de gradibus gratiæ. LIIX. LIX.
Teſtis veræ notitiæ in irregenitis. 85. 86

I.

Illuminatio quid proprie ſit? 24
Primo & proprie ad intellectum, ſecundo & communicative ad voluntatem pertinet. 25, XLIV.
Pro diverſo reſpectu & intellectui & voluntati competit. 84
Gradualis eſt & ordinata. XLV. 28. 29. 30. 127
Quomodo â converſione differat? 45
Gradus admittit. LVI. LVII.
Partialis eſt vera illuminatio. XLVI. LXIX.
Non tantum ad aliquot ſcintillas hominem impium illuminat, ſed ſæpe ad excellentiſſimum gradum. 32
Illuminatio ſolida. LXXII.
Immotum aliquid dupliciter dici. 166
Impius. Inter impium & irregenitum ratione notitiæ nulla eſt differentia. 156. 157
In eo ſupereſt lumen veræ notitiæ. 145
Indifferentiſmus. Periculoſa paci religioſæ doctrina. 4. 7.
Ejus primi in Eccleſia noſtra defenſores. 2
Ejus fundamentum voluntatis ante intellectum immutatio. ibid.
Irregenitus. Quousque ut talis illuminari poſſit? 15. 16
Ejus notitia an Divinitus certa? LXVI.
Utrum ſpiritui S. cum eo aliquid ſit negotii? 147. 148
Quomodo ſub lege, & quomodo ſub Evangelio? 225. 226

Immo-

Immotam habere possunt rerum sacrarum certitudinem. Prob. argumentis. 158 - 163
An habeant spiritum? 231
An in iis sint vitales actiones? 199
Tantam notitiam habere potest, quantam habet regenitus. 118
Irregenitus ex toto & ex parte. LXIII.
An omnia dijudicare possit? 109
Irregenitus regenerare potest. LVI.
An habeat vires spirituales? 111

K.

Kœnigius de gratiæ gradibus. LIIX.
Testis veræ notitiæ in irregenitis. 85

L.

Lapsus an habeat vires naturales sese convertendi? 137. *s.*
Lucta carnis & spiritus in irregenito. 92. 93
Jam in primis conversionis gradibus datur. 47
Lutheri liber de arbitrio Servo. 18. 19
Lütkemannus de gradibus gratiæ. 100

M.

Micula notitiæ an sit in regenito, quæ esse non possit in irregenito? 227
Minister irregenitus an baptizare possit? 78. 79
An regeneret & convertat? ibid.
Motus Spiritus Sancti in irregenito an possint esse sine notitia? 14

Musæus an doceat, notitiam irregeniti esse veram? LXIV. *115. 121*
Supernaturalia in irregenito agnoscit. LXXVII.
Docet, supereſſe in homine lapſo actuale Spiritus Sancti lumen. *139*
Agnoscit in irregenito veram rerum sacrarum notitiam, etiam sanctificationem quandam. LXV. LXVII.

N.

Naturales res possunt fieri accedente verbo supernaturales. *83*
Notitia, vide & Illuminatio.
Notitia sacrorum vera. An hæc doctrina sit unius tantum alteriusque Theologi? *18*
An Lutheri libro de servo arbitrio adversa? *19*
Status controversiæ. *8. 9*
Veritatis vox quotupliciter capiatur? *9. 10*
Notitia sacrorum vera in irregenito; doctrina hæc producit in tota vita hominum pessimos fructus. III.
Id quod refellitur. V. VI.
Controversia integra proposita. IX. X.
Sententia adversa. XI. XII.
An liticula tantum sit nominalis? XII.
Momentum controversiæ ex utraque parte. XIII. XIV. f.
An indignum sit Spiritu S. notitiam veram in indignum effundere? XV. XVI.
Notitia irregeniti provenit â Spiritu S. *65. 66*
Est conformis verbo Divino. *68. 69*
Variis modis stimulat ad conversionem. *70. 72*
Est viva. *202*
Notitiæ certitudo Divina in irregenito existit. Idque suffragiis Calovii & Calixti. *221. 222*

An

An controversia de ea agitata sit alicujus momenti, an vero liticula inanis? VII.
Notitiam spiritualem in naturalem converti absurdum est 226
Notitia nonnunquam affectum & effectum includit. 207
Notitiæ in irregenito veritatem sine consideratione graduum gratiæ intelligi non posse. 153. 154
Notitiam in irregenito esse à Spiritu Sancto, esse veram, esse vere spiritualem. LIV. LV.
Notitiæ DEI naturales an & quomodo ad gratiam referantur? XLIII. XLIV.
An iis supernaturale quid insit? ibid.
Notitiæ irregenitorum veræ Pelagianismus objectus. XL.
Notitia Theologica seu notitia rerum sacrarum an æstimari possit ex indole notitiarum naturalium? 36
Notitiam in primis gratiæ gradibus esse vere spiritualem. 63
Notitia Practica & Theoretica. LXXV.
Notitiam irregeniti esse supernaturalem. 51. 52
Notitia in irregenitis vera, an sit doctrina nova? Variæ ea de re reflexiones. 93. 94. *f.*
Notitia totius analogiæ fidei, an sit vera? XXVI.
Notitia experimentalis notitiam veram non facit, sed supponit. LXXV.

O.

Olearius, Lipf. veram irregeniti notitiam & illuminationem præter voluntatem suam docet. LXX. f.
Joh. Ad. Osiander de gradibus gratiæ. LIX. LX.
Testis veræ notitiæ in irregenito. 86

P.

Pædagogicæ actiones dupliciter considerantur. XLIX.
Peccatum in Spir. S. an peccent irregeniti? 214. 215
Pelagianismus an sit, docere, irregenitum veram habere, rerum sacrarum notitiam? 173. *f.*
An Augustini scripta norma sint cognoscendi Pelagianismum? 174
In quo juxta Augustinum consistat? 20
Naturam nonnunquam nomine gratiæ vestit. 22
Pharisæi peccant peccatum in Spiritum S. 214. 216
Pietistæ, unde & quo jure ita denominentur? 2
Promissiones Evangelicæ non omnes requirunt fidem. 200

Q.

Quenstedt de Gratiæ gradibus. LX.

R.

Regeneratio an sit successiva an momentanea? LVII.
Regeniti vox an iis attribui possit, qui nondum complete sunt regeniti, sed initia tantum habent? 106. 107
Resistentia posterior an tollat admissionem priorem? 117. 118
Resistere vel de quibusdam tantum gradibus dicitur vel de omnibus. LVI.

S.

Sanctificatio qualis detur in irregenito? LXXII.
Schuckmannus de gradibus gratiæ. 102

Scri-

Scripturæ sensus literalis an sit à Spiritus Sancti gratia supernaturali? 90
Sensus literalis anima verbi. LXXVI.
Speneri Universalis Θεοδίδαξις. XXI.
Strictura in totum libellum. *pp. seqq.*
Spiritualis vox Pietistarum μορμολύκειον. LXXVII.
Spirituale quid proprie sit? 75
Quid improprie & figurate? 76
An spirituale id tantum sit, quod est complete tale? 76
Spiritualis vel ex toto vel ex parte. LXIII.
Spiritus S. utrum in alieno officio versetur, quando primos gratiæ motus excitat? 129
Supernaturale est, quod habet virtutem supernaturalem non necessario effectum. 53
An naturale fieri possit? 89

T.

Terminus gratiæ. Ejus negationi objectus Puccianismus & Huberianismus. Quam absurde? XL.

V.

Varenius quoad internum auditum vindicatus. 206. 207
Velamen Mosis. 168
Velthemius docet, notitiam irregeniti veram. LXIIX.
Verbi Divini auditus, lectio &c. an ad naturam, an ad gratiam pertineant? 104
Veritatis vox aliquando proprie, aliquando cum ἐμφάσει *accipitur.* 9. 10
Verum in ἐμφάσει. 94. 95

Verum ratione qualitatis & ratione effectus completi; quid de hac distinctione habendum? 128
Verum aliquando opponitur falso, aliquando completo, etiam apud profanos scriptores. 205. 206
Verum quid sit proprie loquendo? 36
Verum cum completo male confunditur. 43. 44
Veri vocem inepte extra figuram pro completo & perfecto sumi. 64
Video meliora, proboque, deteriora sequor: an in Theologia verum sit? 131
Voluntas an aliquando imperet intellectui assensum? 221. 189
Voluntatis ante intellectum illuminatio fundamentum Indifferentismi, 4. 5

FINIS.

38 14
h. 5

(X226 0694)



6.

DE VERA
RERUM SACRARUM
NOTITIA,

Qua & quousque illa in hominem Irregenitum cadat?

DISQVISITIO,

IN QUA SENTENTIA AFFIRMATIVA EX GENUINIS S. LITERARUM FUNDAMENTIS ADSTRUITUR & CUM AB IMPACTO EIDEM PELAGIANISMO, TUM AB OBJECTIONIBUS ALIIS DILUCIDE DEFENDITUR.

OMNIA HÆC

EX DOCTRINA DE GRADIBUS & ORDINE GRATIÆ CONVERTENTIS AD OCULUM DILUCIDANTUR.

CUM CONSENSU R. FAC. THEOL. ROSTOCHIENSIS.

AUCTORE

JOANNE FECHTIO, D.

P. P. CONSIST. DUC. CONSILIARIO ET DISTR. ROSTOCH. SUPERINT. FAC. THEOL. SENIORE.

ADJICIUNTUR INDICES NECESSARII.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR

CUM PRIVILEGIO REG. POLON. & ELECTOR. SAXON.



FÜRSTLICH STOLBERG. BIBLIOTHEK ZU WERNIGERODE

ROSTOCHII & LIPSIÆ,

Apud JOANN. HEINR. RUSSWORMIUM, CIↃ IↃCC XXVIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119425-p0345-0